BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
B
9
NAPOLI

XXI.
13.
9.

XXI.
B.
9.

Digitized by Google

[illegible] by Google

SCIPIONIS

GENTILIS

IVRISCOS.

DE IVRISDICTIONE

Libri III.

Ad Sereniſs. Principem

FRIDERICVM IV.

Electorem.

Cum INDICE gemino.



Cum grat. & Priuileg. S. Cæſ. Majeſt. ad ſexennium.

FRANCOFVRTI,

Apud hæredes Claudij Marnij.

M. DC. XIII.

Svmma Privilegii.

CÆSAREÆ Maieſtatis priuilegio cautum eſt Andreæ Wecheli hæredibus, Claudio Marnio, & hæredibus Iohnnis Aubrii, ne quis hos Scipionis Gentilis de Iuriſdictione libros tres intra S. Romani Imperij & omnium regnorum ac prouinciarum imperialium fines, eodem vel alio charactere excudere, aut vbicunque recudēdos dare, aut alibi impreſſos importare, vēdere vel diſtrahere palam vel occulte auſit. Idem priuilegium eis conceſſum de aliis etiam auctoribus in philoſophica, medica & iuridica facultate, aliisq; diſciplinis liberalibus, ad ſex cuiuſq; editionis annos. Quod ſacra Maieſtatis interdictum ſi quis neglexerit, non modo libris expreſſis, verum etiam inſuper decem marchis auri puri, imperiali fiſco, fraudis vindici & dictis Wecheli hæredibus, ex æquo ſoluendis mulctabitur, vt latius in Cæſareo diplomate declaratum eſt. Dato Viennæ 25. menſis Maij, anno Domini 1582.

RVDOLPHVS.

V. Io. Bapt. VVeber.

Ad mandatum S. Cæſ. Majeſt. proprium.

P. Obernburger.

Sereniſſimo Principi.

FRIDERICO IV. ELECTORI

PALATINO RENI COMITI Sac. Rom. Imp.

ARCHIDAPIFERO ET VII. viro Bauariarum Duci S. D.

SCIPIO GENTILIS.

SERIVS, quam volebam, liber hic meus ad te venit, magne ELECTOR. ante annum, & amplius oportebat; itaque deſtinaram. Cum enim Ambergam olim veniſſes, lautiſſimam ditionis tuæ vrbem, ea fuit & tam illuſtris, atque teſtata clementiſſimi erga me animi tui ſignificatio, vt me non hominem putem, niſi ad alia beneficia, quæ in me cõtuliſti, eius quoque rei æternam memoriam iucundiſſimáque conſeruarem. Eo quidem tempore cogitare ſerio cœpi ac circumſpicere, num-

quid eſſet in literario meo cenſu, quod tibi à me non indecore offeri poſſet. ardebam enim deſiderio gratitudinis, ſingularisq; erga C. T. obſeruantiæ meæ apud omnes teſtificandæ, &, ſi qua ratione conſequi poſſem, etiam poſteris oſtendendæ. tenuitas mea non eſt paſſa, vt diu quærerem. erat hic domi liber de Iuriſdictione, à me iamdudum informatus potius, quam ſcriptus. Viſa illico res eſt, quæ in eo tractabatur, non indigna magnitudine tua: ſed vires meę deterrebant, non ſatis firmæ, nec tantæ rei pares. Sciebam enim, optimeque intelligebam, quanto doctrinæ inſtrumento, quantiſque non literarum modo, ſed vſus ac prudentiæ præſidiis inſtructum & ſtipatum eſſe oporteret eum, qui de Iuriſdictione ſcribere adgrederetur. Sed vicit in animo meo cupiditas, aperiendi mei & probandi tibi. Ita opus adgreſſus, breui effeci, vt videri quodammodo poſſet tale, cuius non deberet authorem pœnitere. Id nunc offero clementiæ tuæ: teque demiſiſſime ſubiectiſſimeque oro, ne hac animi mei propenſionem, vel potius pietatem erga te, aſperneris. Voluiſſem aliquid maius, & cum dignitati iſti tuæ, tum his afflictiſſimis temporibus, ad quæ conſtituenda fato datus es, adcommodatus.

Tam-

Tametſi enim ſummi quique & optimi Principes atque Imperatores, atque in his Carolus Magnus, ſtirpis veſtræ author, nihil ſanctius, nihil antiquius habuerunt, quam legibus ſanciendis iurique dicundo operam dare: tamen & illud ſimul intelligo, obſoletam hodie hanc laudem inter Principes eſſe, & intempeſtiuum videri poſſe nunc Iuriſdictionem tibi obtrudere, cum muros & portas quatit aries potentiſſimi atque immaniſſimi hoſtis. Sed ego vel boni ominis cauſſa hæc ad te mitto, oblectoq; etiam ſæpe ipſe me communi errore, & vna cum cæteris (vt eſt apud veterem poetam) fruor iratis diis. Neque enim vllum certius argumentum eſſe iræ diuinæ putādum eſt, quam non ſentire tam præſentia pericula, quibus circumſidemur: & alia omnia potius agere, atque inter nos certare, quaſi nullo externo aut contemnendo hoſte. Tanta ſocordia animos occupauit. Patrum & noſtra memoria maxime miſerabilis mihi viſa eſt fortuna populi Chriſtiani, cum duo opulentiſſimi Chriſtianorum omnium Reges, iidemque optimi & fortiſſimi Principes ac Duces, ita inter ſe tamen dimicarent, vt relicto communi teterrimoque hoſte, in mutuam perniciem omnibus viribus, atque omni ani-

morum contentione raperentur. Quibus conſultis ſeque,& rem Chriſtianam ſæpe in ſummum diſcrimen adduxerunt. Ac niſi paucorum, præcipueque PHILIPPI & FRIDERICI Palatinorum, propinquorum tuorum, ſingularis ac diuina virtus Solimannicis illis bellis extitiſſet, profecto magna pars Europæ, quæ nunc libertate atque inſtitutis ſuis floret, ſub immaniſſimæ gentis imperium, ditionemque ſubiuncta fuiſſet. Illis, illis familiæ veſtræ veris heroibus, non Viennæ ſolum mœnia defenſa, nec Turcarum maximus & ſæpe victor equitatus conciſus (quas grauiſſimas ſenſit Solimannus, ſub auſpiciis Auſtriacæ domus inuictiſſimæ, & ad tutelam generis humani natæ, clades:) Sed Germaniæ totius, vicinarumque prouinciarum ſalus incolumitaſque debetur. Hodie vero & diſſenſiones illæ dimicationeſque funeſtiſſimæ inter nos vigent, etiam maiores: & à virtute atque copia ducum, quibus tum illa ætas abundabat, prope deſerimur. Arma, tela, tormenta, equi viri ad hoc pecunia & commeatus, nunquam nobis ita deerunt, vt non ſola Germania, ſi conſentiat, ſatis potens pollenſque futura ſit ad quemuis potentiſſimum hoſtem arcendum & profligandum, ac ne duces quidem,

dem, vti ſpero, deſiderabimus: ac ne Philippos & Fridericos quidem, ſi tu, magnanime Princeps, tanta domeſtica atque ante oculos extantia exempla ſequi volueris, eo maiori cum gloria tua, quo in maiori, quam illi, dignitatis & potentiæ faſtigio collocatus es. Magnam omni Germaniæ ſpem, magnamque opinionem excelſæ & inuictæ indolis concitaſti iam tum ab initio Principatus tui cum adoleſcens ac pene puer, orbatus repente fideliſſimo & fortiſſimo tutore, patruo tuo, CASIMIRO, inclytæ memoriæ Principe, in maximas difficultates atque aſperitates incidiſſes, quas tamen omnes incredibili animi robore admirabilique conſtantia ſuperaſti. Tanta erat illorum temporum caligo, ac prope nox, vt etiam prudentiſſimi homines deſperarent, nec viderent, qua ratione ex tantis fluctibus atque è vadis enauigare adoleſcentia tua poſſet. Nō prius admotus es Reipub. gubernaculis, quam ſummo velut certamine virtutis edito, qualis quantuſque Princeps eſſes, oſtendiſſes. Non igitur iam te ad aliorum exempla voco: te ipſum imiteris, tecum certes atque cōtendas, neceſſe eſt. Intelligis, Princeps, nihil magis iuris conuenire, quam laborem: quare omni te laborum genere excercuiſti at-

que induraſti : nihil pulchrius eſſe virtute, hanc amas atque amplecteris : nihil gloria dulcius atque iucundius : ea vero, ſi adniti modo volueris, matura parataque eſt. Neque hæc ego tam cohortandi & incitandi tui cauſſa dico, quam quia libentiſſime in commemoratione laudum tuarum verſor, præcipioq; iam animo ac lætitia illum diem cum ſalute Reipubl. procurata, rebuſque feliciſſime geſtis omniũ vocibus & gratulatione celebreris, virtuſq; & gloria tua omni laudationum & monumentorum genere æternitati conſecretur. Quod vt quam citiſſime fiat, Deum Opt. Max. ſuppliciter adoro ac veneror. Dat. Altorphij in Prouincia Norici. Kal. Martiis. 1601.

IN LI-

IN LIBROS DE IVRISDICTIONE CL. V.D. SCIpionis Gentilis I C. Collegæ coniunctiſs.

IVRISDICTIO quid, quotuplexque ſit, & quibus illa
Competat aut proprio aut alieno iure: quibusq́;
Legitime acquiſita modis ſeruetur, & iiſdem
In diuerſum actis perdatur & eripiatur:
Permulti ſtuduere ante hac euoluere: verum
Perpauci iuſta cum dexteritate, viaque
Legitima potuere, quibus Themis aurea fauit
Præ reliquis, dextraq́; ſua in penetralia duxit,
Arcana oſtendens quæ ſenſibus abdita vulgi.
Nec mirum. Vſq́; adeo late res fuſa patenſque,
Mæandris tot & eſt anfractibus indupedita.
Nunc noua lux, rerum nouus ecce renaſcitur ordo,
Gentili illuſtrem faculam allucente, tenebras
Diſcutiente, chaos confuſum dique gerente.
Hinc ipſi faſces ſubmittit doctior ætas,
Iureque dicundo deberi ſceptra fatetur.

DE SCIP. GENTILIS. LIBRIS DE IVRISDICTIONE & bienni Rectoratu Acad. Altorfinæ.

IMPERIO *populum regere, & bene reddere iura,*
Par labor eſt, doctiſque enucleare libris.
Hæc dum ſcripta lego, ſceptrumque bienne recordor,
Cum paucis, inquam, Scipio vtrumque poteſt.

CVNRADVS RITTERSHVSIVS,
Iurecouſultus.

INDEX.

INDEX OMNIVM CAPITVM, QVÆ IN HOC DE IVRISDICTIO-ne tractatu continentur.

Libro Primo.

I.	*Iuriſdictionis ſignificationes.*	1.
II.	*De iuriſdictione generalis diuiſio.*	5.
III.	*Iuriſdictio & mixtum imperium.*	8.
IV.	*Iuriſdictionis & mixti imperii definitio.*	9.
V.	*Mixtum imperium cur modica coercitio dicatur.*	12.
VI.	*Coercitionis modicæ varia genera.*	16.
VII.	*De iure dicendæ mulcta.*	20.
VIII.	*De actionibus ad iuriſdictionem tuendam comparatis.*	27.
IX.	*De actione Iudicati.*	31.
X.	*Actionem vel iuriſdictionem denegare.*	35.
XI.	*De pignoris capione.*	39.
XII.	*Deprehenſione & retentione corporis.*	42.
XIII.	*De vinculis, carcere, de verberibus & tormentis.*	45.
XIV.	*De infantia & pœna temere litigantium.*	48.
XV.	*Quædam falſo relata inter ſpecies mixti imperii.*	52.
XVI.	*Verbis, imperio, minis, coercere.* Præcepta pœnalia.	55.
XVII.	*De manu militari & in ciuili executione.*	58.
XVIII.	*Diuiſio iuriſdictionis.*	61.
XIX.	*Cauſæ iuriſdictionis voluntariæ, quæ tribu-*	

nal & decretum requirunt. 64.
XX. Quæ ſint iuriſdictionis voluntariæ, in quibus decretum non requiratur. 66.
XXI. De bonorum poſſeßionibus. 69
XXII. De decretali bonorum poſſeßione. 76.
XXIII. De Carboniana bonorum poſſeßione. 79.
XXIV. De mißione in bonorum poſſeßionem. 85.
XXV. De translatione in poſſeßionis. 91.
XXVI. Explicata l. vnic. ff. vt ex legibus vel SC. poſſeßio detur. 96.
XXVII. Quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeßionem mittatur. Ad l. vlt. C. de edict. D. Hadr. tollen. 107.
XXVIII. Ius dicere, Iudicare, Iudicem dare. 119.
XXIX. De decretis. 121.
XXX. De edictis & interdictis. 125.
XXXI. De ſtipulationibus prætoriis. 128.
XXXII. De in integrum reſtitutionibus. 138.
XXXIII. De cognitionibus. 142.
XXXIV. De legis actionibus & legitimis actibus. 144.

AD ORATIONEM D. MARCI.

I. De tutoribus dandis. 148.
II. Quibuſnam competat ius dandi tutoris & quibus
III. conditionibus. 154.
III. Quis & à quo tutor dari poßit & cui. 159.
IV. An tutoris datio mandari poßit. 164.
V. De ſuſpecto tutore remouendo. 168.
VI. De ſuſpecto hærede. 177.

INDEX CAPITVM.

LIBRO SECVNDO.

I. *Iuriſdictionem iure magiſtratus competere.* 182.

II. *Quid ſit magiſtratus.* 184.

III. *An iuriſdictio extra magiſtratum eſſe poßit.* 189.

IV. *Officium magiſtratus, ius dicentis, iuriſdicundi, iudicis.* 192.

V. *De magiſtratibus municipalibus.* 196.

VI. *De iuriſdictione magiſtratuum municipalium.* 201.

VII. *De Defenſorum poteſtate.* 207.

VIII. *De variis iudicum generibus.* 210.

IX. *De vicariorum generibus.* 213.

X. *De Legatis & aliis quibus mandatur Iuriſdictio.* 219.

XI. *De mandanda Iuriſdictione.* 230.

XII. *Quid ſit iuriſdictionem mandare.* 233.

XIII. *Quatenus liceat iuriſdictionem mandare & quibus.* 237

XIV. *Specialiter vel nominatim mandari quid dicatur: item more maiorum.* 241.

XV. *Cauſæ quæ ſpecialiter lege tribuuntur.* 248.

XVI. *Emancipatio, Manumißio, Adoptio.* 249.

XVII. *Alienatio prædiorum minoris. Tranſactio de alimentis: alia in quibus decretum interponendum eſt.* 254.

XVIII. *Cauſa libertatis & ſtatus.* 257.

XIX. *Ciceronis locus.* 261.

XX. *Extraordinariæ & prætoriæ cognitiones an mandari poßint.* 268.

XXI. *Ad l. 2. C. de pedan. iudic.* 272.

INDEX CAPITVM.

XXII. *Cauſæ, de quibus ex officio ſuo magiſtratus cognoſcere dicuntur.* 277.

XXIII. *Quæ iuriſdictione mandata tranſeant.* 281.

XXIV. *Cauſas mixti imperii mãdari delegariue poſſe.* 286.

XXV. *Quæ prætor ſibi edicto ſuo iniunxit, vel reſeruauit, ea mandari poſſe.* 290.

XXVI. *Quibus verbis intelligatur iuriſdictio mandata.* 293.

XXVII. *De iudice à Principe dato.* 292.

XXVIII. *Quibus modis iuriſdictio firmetur vel amittatur.* 302.

XXIX. *Quibus modis mandata iuriſdictio finiatur.* 310.

XXX. *An iudex ad cognoſcendum datus etiam ad pronunciandum datus cenſeatur.* 320.

XXXI. *An iudex ad exequendum datus, poßit etiam de ea ipſa cognoſcere.* 330.

LIBRO TERTIO.

I. *Imperium, Magiſtratus, Militare, Regium.* 337.

II. *Merum imperium, ius gladij, ſecuris, alia.* 341.

III. *Meri imperii definitio.* 345.

IV. *Meri imperij quædam eſſe, quæ eius definitione contineri non videantur.* 351.

V. *De iure reos abſoluendi.* 354.

VI. *Partes ſiue gradus meri imperii.* 359.

VII. *Primus meri imperii gradus.* 362.

VIII. *Secundus gradus.* 363.

IX. *Tertius gradus.* 366.

X. *De pœnis communibus meri & mixti imperij.*

XI. *Qui*

XI.	*Qui non habet in ære luat in corpore.*	375
XII.	*De perſonis merum imperium habentibus.*	379.
XIII.	*De iuriſdictione Iudæorum temporibus Chriſti.*	ibid.
XIV.	*De presbyteris Chriſtianorum & perſonis Eccleſiaſticis.*	383.
XV.	*De iure Iuſtinianeo quatenus Eccleſiaſtici habeant iuriſdictionem.*	385.
XVI.	*De Caroli Magni & deinceps temporibus.*	388.
XVII.	*De rectoribus Academiarum, ad Auth. Habita. C.ne fi. pro patr.*	395.
XVIII.	*De politicis magiſtratibus.*	402.
XIX.	*Ius gladij lege etiam ſpecialiter dari priuatis.*	405.
XX.	*De magiſtratibus quomodo merum imperium ſpecialiter iis tribui aut dari dicatur.*	408.
XXI.	*De Municipalibus magiſtratibus.*	412.
XXII.	*De ciuitatibus liberis.*	415.
XXIII.	*De Ducibus, Marchionibus, Epiſcopis, &c.*	417.
XXIV.	*Quatenus cui competat merum imperium.*	422.
XXV.	*Merum imperium mandari non poſſe. ad l. 1. ff. de off. eius.*	425.
XXVI.	*Iure magiſtratus non competere merum imperium.*	433.
XXVII.	*Ratio cur merum imperium ſpecialiter lege detur*	438.
XXVIII.	*Quatenus merum imperium alteri mandari poſſit.*	440.
XXIX.	*De iure Canonico.*	451.
XXX.	*Iudex in cauſis meri imperii dari non poteſt*	453.

XXXI. *De ordinariis iudiciis.* 454.
XXXII. *De criminibus legitimis atque ordinariis.* 459.
XXXIII. *De pœnis legitimis.* 462.
XXXIV. *De iudicum poteſtate in pœnis.* 464.
XXXV. *An iudex pœnam legitimam infamiæ vel aliam impedire tacite poßit.* 468.
XXXVI. *De homicidio alioue delicto componere vel tranſigere.* 473.

SCIP.

SCIP. GENTILIS IVRISCONSVLTI

DE IVRISDICTIONE LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Iuriſdictionis ſignificationes.

OMNE imperium atque omnis iuſſus eorum, qui publice aliis præſunt, latiſſima iuriſdictionis ſignificatione continetur. Summa eſt penes Principem poteſtas omnium rerum. Innumerabilia autem ſunt, quæ pro poteſtate illa agit, in quibus nullum ius dici, nullam verſari iuriſdictionem, vt eſt communis & ciuilis horum verborum vſus, recte dixerimus. Nec tamen impropriè, ſi quis iis in rebus ea verba vſurpauerit, locutus videri debet. Hinc illa vox Romani Principis apud Senecam lib. 1. de Clementia: *Quæ ruant vrbes, quæ oriantur mea iuriſdictio eſt.* Id etiã maxime conuenit origini huius nominis, quod ex iure & dicendo eſt. Quare apud Liuium legas, iuriſq; dictio. In vtroq; vocabulo, authoritas, imperiũ, iuſſus inſunt. Vere enim ius à iubendo, & dicere, pro poteſtate atq; imperio dicere: vnde & Dictatores adpellati, & Gręcorũ eſt Δίκη, quę Germa-

nico Cæſari in Arato, iuſta virgo. Huic proxima illa ſignificatio eſt,& magis vſitata, cum de quauis re atque negotio ius alteri editur atque præſcribitur inter volentes & inuitos, ex præcepto legum, an ex arbitrio ſolo imperantis, vt olim cũ primum nata imperia ſunt. Eleganter hoc Q. Ennius in hiſtoria ſacra, quam de Euhemero Siculo Latine interpretatus eſt: *Ea tempeſtate*, inquit, *Iupiter in monte olympo, maximam partem vitæ colebat, & eo ad eum in ius veniebant, ſi quæ res in controuerſia erant.* Vt hinc etiam iuriſdictionis antiquitatem intelligas, ſed & vim atque gloriam. Quæ res ex homine Deum Deorumque imperatorem fecerit. Reſtrictius paulo accipitur in illa diuiſione, vbi iuriſdictioni vrbanæ, & togatæ opponitur militaris atque caſtrenſis. Cornelius Tacitus in Agricola: Credunt plerique militaribus ingeniis ſubtilitatem deeſſe: quia caſtrenſis iuriſdictio ſecura & obtuſior, ac plura manu agens, caliditatem fori non exerceat. Notandum, quod manu agens, inquit. Id enim ſignificat, quod Pomponio Iuriſconſulto, manu à regibus omnia gubernata, l. 2. ff. de orig. iur. quo ſignificatur iuſtum quidem imperium, ſed ex arbitrio regum pendens, non adſtrictum legibus, neque ordini, formulis ue iudiciorum. Manus enim regia non minus iuſtitia, quam poteſtate definienda eſt: ſed in primis ſimplicitate quadam & celeritate in exequendo quod dictum eſt. Illæ quas ſubiiciam, ſignificationes ex media ſcientia ciuili erunt. Proprie igitur iuriſdictio eſt notio ciuilium & criminalium cauſſarum cum ſtatuendi & exequendi poteſtate, quæ verba ſi quis pro definitione iuſta acceperit, non repugnabo. Eſt

enim

enim notionis ſpecies Vlpiano l. notionem. ff. de verbor. ſign. l. ait prætor. ff. de re iudic. Ad criminales etiam cauſas pertinere capite ſequenti docebo, quamuis vſitatius de ciuilibus cauſis dicatur. Illud tenendum in iuriſdictione ineſſe vim exequendi atque imperii, l. vlt. C. vbi & apud quem in integ reſtit. ſine quo iuriſdictio nulla ſit l. vlt. ff. de offic. eius. nullius momenti. cap. paſtoralis. ext. de offic. deleg. Et tamen in ipſis etiam interdum legibus pro ſimplici notione capitur; vt in lege Thoria aliiſque veteribus, & in illo edicto prætoris, quod Vlpianus tamen reprehendit in d. l. ait, rectius enim dicturum prætorem fuiſſe, CVIVS DE EA RE NOTIO ESSET, vt etiam qui notionem tantum ſine poteſtate exequendæ ſententiæ habet, vt iudices dati comprehenderet. Iam iuriſdictionem pro certa locorũ regione, vt ius pro loco in quo ius dicitur. l. vlt. ff. de iuſt. & iur. accipi, ille Plinii locus demonſtrat. lib. 5. nat. hiſtor. cap. 20. *Ab ea Doris incipit: ſed prius terga & mediterraneas iuriſdictiones indicaſſe conueniat.* Non probo eos qui pro territorio accipi dicunt in l. ſi quis ex aliena ff. de iud. Nam ex aliena iuriſdictione, eſt, non ſuppoſitum ſuæ iuriſdictioni, licet eiuſdem territorii & loci fuerit l. 1. ff. ſi quis in ius voc. Magis pro locis accipias in Epiſt. Seruii Sulpitii IC. ad Ciceronem, cum ait: Eo conſilio, vt ab Athenis in Bæotiam irem, reliquamq; iuriſdictionem abſoluerẽ; id eſt, reliquas partes prouinciæ meæ adirem, in quib. ius dicerem. Frequentiſſime pro edicto prætoris capitur, quo ſcilicet propoſita eſt. Sic Iuſtinianus, iuriſdictionem ait bonorum poſſeſſiones introduxiſſe. Sic Papinianus edicti conditionem, &

iuriſdictionis formam pro eodem ſumit l. poſtquam. §.1. ff. vt legat. nom.cau. Eſt enim iuriſdictionis forma nihil aliud, quam ius prętoris edicto conſtitutum. l. ſi filia. ff. fam. ercif. l. 1. C. vbi in rem act. quod ſimpliciter iuriſdictio adpellatur, vt iuriſdictionem reſtituendam in d. l. poſtquam: vbi reſcripto principis locus non ſit, quod reſcripto in cautionis illius genere derogatum quodammodo iuri prætorio erat. Simili modo iuriſdictionem temperandam in l. 2. C. quæ res pign. Iuriſdictionem moderandam in l. quamuis. ff. de in ius voc. dicitur, & contra diſtincte ponitur, vbi edictum deficit, pro officio prætoris. Sic Vlpianus iuriſdictione ſupplenda eſſe, quæ legi vel edicto deſunt. l. nam vt ait. ff. de legibus. Non idem eſt auxilium prætoriæ iuriſdictionis in l. penult. §. vlt. ff. de rit. nupt. eſt enim id ex edicto. Sed clare hæc duo diſtinguuntur in l. 3. C. de edend. in qua ſcriptum eſt, *editam ſemel actionem licere mutare, vel emendare, prout edicti perpetui monet authoritas, vel ius reddentis decernit æquitas*: neque enim pro eodem poſitum eſſe, Doctori meo credo. Sed edicti authoritas, refertur ad emendationem libelli, quæ emendatio actori edicto perpetuo permiſſa erat; æquitas ius dicentis ad mutationem libelli pertinet, quæ cum edicto permiſſa non eſſet (eſt enim longe quiddam maius mutare quam emendare: nam emendatur cum retinetur eadem actio, aliquo tantum adiecto, vel detracto: mutatur, cum actio noua inſtituitur) tamen à prætore ex officio poteſt hæc mutatio concedi, æquitatis ſcilicet ratione, & cauſſa cognita; atque ita quod edicto perpetuo deerat, ſuppletur interdum iuriſdictione &

inter-

interpretatione prætoris iuxta ſententiam Vlpiani in d.l. nam vt ait,ff.de legib. Similiter officium ius dicentis pro ipſa iuriſdictione capitur; vt cum Vlpianus ſcribit, mãdata legato iuriſdictione vniuerſum officium ad eum iuriſdicundi tranſire l. 1. ff.de ſuſp.tut. Sed officium iuriſdicundi anguſtius eſt, quam officium ius dicentis. l. 1. ff. de iuriſdict. iuncta l.mutuo. §. tutoris datio. de tut. de quo tamen infra pluribus.Sic ſarcta tecta exigere ad prætoris,id eſt,ius dicentis officium pertinet;quod tamen diſtinguitur ab altero prętoris munere,id eſt, iuriſdicundi atque à iuriſdictione, vt patet ex Ciceronis Verrinis,aliiſq; veteribus locis.Eſt & cum pro iure, vel iuris neceſſitate ſumi iuriſdictio videatur, vt apud Iuſtinianũ §.1. de fideic. paulatim conuerſum eſt,inquit,in aſſiduam iuriſdictionem. Significat enim non ſolo pudore,vt antea eorum, qui negabantur fideicommiſſa,contineri.Sed clarius in l. 3. §. 1. ff. de recept. Quoniam hæc res, inquit, Vlpianus, *libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem iuriſdictionis.*

CAPVT II.

De iuriſdictione generalis diuiſio.

IVRISDICTIONIS nomen generale eſſe, & imperium non ſolum mixtum, ſed etiam merum, ſub ea tanquam ſpecies contineri, quamuis aliqui negauerint, euidenter tamen demonſtrari poteſt. Nam in l. 1. ff. de offic.eius. Papinianus diſerte pro eodem ponit iudicii publici exercitationem, quã eſſe meri imperii cõſtat, & iuriſdictionem,idemq; probat etiam(vt cętera teſtimonia ab aliis collecta

taceam) inſcripto tit. ff. & C. de iuriſdictione, in quo tamen & de imperio mero mixtoque traditur. Similiter ius dicere magiſtratus Pomponio & Suetonio dicuntur non in pecuniariis modo cauſſis atq; ciuilibus, ſed in capitalibus etiam, quæ meri imperii ſunt l. 2. §. & quia. ff. de orig. iur. Cur igitur, inquies iuriſdictio tam ſæpe ab imperio diſtinguitur, vt in l. 4. ff. de iuriſdict. in l. muto. §. tutoris. ff. de tutelis? Facilis reſponſio eſt: Iuriſdictionis vocabulum & generis & ſpeciei loco ponitur, vt multa alia in iure ciuili, velut, Adoptio, Cognatio, item apud Ciceronem in Top. vxor, apud Ariſtot. lib. 1. Rhet. ſi recte memini, ſignum. Fateor in veterum ſcriptorum libris nō aliter fere iuriſdictionem accipi, quam pro ſpecie, id eſt, in cauſis priuatis ac pecuniariis. Hinc illa Cic. Verrin. partitio: Nam alius eſt liber de iuriſdictione, alius de frumēto, alius de ſignis, alius de ſuppliciis, quod Pedianus aliiq; docent. Idem Cic. aperte hanc diuiſionē bipartitam ponit in orat. pro Cæcin. cum ait, omnia iudicia aut diſtrahendarum controuerſiarum, aut puniendorū maleficiorū cauſa reperta eſſe. Quorum alterum leuius ſit, alterum vehemētiſſimum. Nam iudicia diſtrahendarum controuerſiarū vno verbo, iuriſdictio eſt: puniendorum autem maleficiorū, vel vt impp. loquūtur in l. 1. C. qui ad libert. peru. non poſſ. coercendorum maleficiorum poteſtas, merum imperium eſt. Nullum autem vnū fuit verbum, quo poteſtas illa maleficiorum coercendorū ſignificatur, ſed quæſtiones publicæ vel quæſtiones legum, vel leges publicorum iudiciorū, aut quæſtionum, vel iudicia publica, & ſimilibus verbis deſcribi videas, quod poſtea non multo ante Pauli

& Vlpiani tempora merum imperium vel ius gladii dixere. Interdum tamen quæſtiones abſciſe legimus pro iudiciis maleficiorum. Vnde & præeſſe quæſtionibus, & exercere quæſtiones, vel vt apud Papinianum, iudicium publicum, vel etiã exercere leges, vt in illo reſpõſo Tiberii principis, qui interroganti prætori, an crimina maieſtatis reduci vellet, exercendas eſſe leges reſpondit; quod illam rationem habet: quia iuriſdictio magiſtratuum propria eſt, & ratione ac iure magiſtratus habetur: merum imperium ſpecialiter & non niſi lege datur. Iuriſdictionis vocabulo, vbi merũ imperium duntaxat ſignificetur, non facile reperias, apud veteres authores, vel Iuriſconſultos. Caſſiodorus ſic accepit, ita de Conſule ſcribens: ſecures enim & faſces, quos illi dicauit genio, antiquitas, tuis phaleris deputata videntur: vt iuriſdictio conceſſa vel tacita poſſit admonere prouincias, id eſt, ius gladii, ſiue ius necandi, & verberandi, quod ante leges Valerias conſulibus in ciues fuit, in peregrinos etiam poſt illas leges, de quo in diſputatione de lege Porcia dixi. Iuriſdictio igitur ſi ius noſtrum & poſteriorum temporum vſum ſpectes cum genus ſit, in duas ſpecies recte diuiditur, in eam quæ ſpecialiter iuriſdictio adpellatur, & in merum imperium, non addo tertiam, id eſt, mixtum imperium, nam hoc idẽ quod iuriſdictio eſt, vel certe iuriſdictioni ſic cohærens, vt ab ea diuelli non poſſit: recteq; ab Accurſio aliiſque dictum eſt, quicquid eſt iuriſdictionis idem & mixti imperii eſſe, & vice verſa; de quo, quia nonnullas habet dubitandi cauſſas, paulo clarius atque vberius exponendum eſt.

Capvt III.

Iuriſdictio & mixtum imperium.

AC primum illud occurrit, iuriſdictionem vt nomine, ſic etiam re ac iure ſæpe ab imperio ſeparari nō ſolum mero, ſed & mixto: vt cum Paulus ait, quædam magis imperii eſſe, quam iuriſdictionis, veluti in integrum reſtituere; ſtipulatione prætoria cauere iubere, ſimilia l. 4. ff. de iuriſdict. l. ea quæ. ff. ad municipal. Definitione etiam Vlpianus videtur ea duo diſpeſcuiſſe in l. 3. ff. de iuriſdict. Quomodo igitur vnum? Res ita habet. Si res conſideremus & materiam, iuriſdictio & mixtum imperium non differunt; quæcunque enim iuriſdictionis ſunt, eædem & mixti imperii cauſſæ ſunt. Sunt autem hæ cauſſæ & controuerſiæ ciuiles ac pecuniariæ, in his inquam, vt iuriſdictio ſic mixtum imperiū verſatur atq; conſumitur. Contraque vt iuriſdictio non verſatur in cauſſis criminalibus, ſic nec mixtum imperium: eaque re ambo diſterminantur à mero imperio, quod in cauſſarum criminalium cognitione, & coercitione conſiſtit. l. 3. ff. de iuriſdict. Igitur quæ mixto imperio, eadem videmus & iuriſdictioni tribui, & viceuerſa, veluti bonorum poſſeſſiones & iudicis dandi licentiam. l. 1. l. 3. l. 4. ff. eodem. l. cum prætor. ff. de iudic. Nec mutat, quod quædam magis imperii eſſe, quam iuriſdictionis dicantur. Id enim eo dictum eſt, quod cauſſarum illarum ciuilium aliæ aliis grauiores & digniores ſunt, in quibus ſcilicet imperium ac maieſtas prætoris magis conſpicitur, atque hæ

cauſſa

cauſſas viſum eſt nō omnibus magiſtratibus committere, nō certe magiſtratibus municipalibus, vt Duumuiris, quamuis eis iuriſdictio alioquin competat l. ea quę ff. ad municip. quale eſt in integrum reſtituere, in bonorum poſſeſſionē mittere, quod Duumuiris ademptum eſt, præterquam ex cauſſa damni infecti vbi res celeritatem deſiderat ob periculum impendētis ruinæ d. l. ea, l. dies §. duas res. ff. de damn. infect. eodemque pertinet, quod Vlpian. ait omnibus magiſtratibus licere iuriſdictionē ſuam pœnali iudicio defendere exceptis duūuiris l. vn. in pr. ff. ſi quis ius dic. non obtemp. Hinc illa fluxit Doctorum noſtrorum diſciplina, vt ciuilium cauſſarum quæ maioribus iudicibus propter ipſarum Excellentiam competunt, cognitionem mixto adtribuerunt imperio: quæ autem minoribus ſimplici iuriſdictioni, quā vocant, authore huius definitionis Oldrado in conſ. ven. caſtro. Quod ſi non res circa quas verſantur ſpectemus, ſed vim ipſam atque naturam iuriſdictionis & imperii mixti iuriſdictionem eſſe dicemus ius cognoſcendi & ſtatuendi de cauſis ciuilibus, mixtum imperium vero poteſtatem, quæ Iuriſdictioni cohæret eius tuendæ & exequendæ cauſſa, quare & coercitio adpellatur l. 1. & l. vlt. ff. de off. eius. in veteri lege Colon. deduc. ad Hyginum: IN EIS AGRIS IVRISDICTIO, COERCITIOQVE ESTO. Hæc ratio diſtinguendæ iuriſdictionis à mixto Imperio fuit.

CAPVT IV.

Iuriſdictionis & mixti imperii definitio.

IN l. 3. ff. de iuriſdict. quam vulgo clauem huius tituli ac quæſtionis adpellant, mihi perſuaſum

eſt, non tres, ſed duas tantum definitiones ab Vlpiano tradi: imperii, inquam, meri ac mixti, quod initium leg's oſtendit, vbi imperium in hæc duo membra diuiditur, deinde explicatio ſiue definitio vtriuſque ſubiicitur, quod & ipſæ definitiones probāt; quæ à cauſis rebūſque ſumuntur, quarum duo tantum genera, ciuiles & criminales l. vn. C. de off. Proconſ. illæ ad mixtum imperium, hæ ad merum pertinent. ſed clariſſime quod dico adparet ex eo, quod mixtum imperium definiens Vlpianus ſic ſcribit, cui iuriſdictio ineſt, quemadmodum viceuerſa iuriſdictioni ineſſe ſiue cohærere mixtum imperium Paulus dicit l.1. §.1. ff. de offic. cius. non probo Hottomannum, qui in d.l.3. quod iuriſdictioni ineſt, legendum contendit: neq; vllū alium ex iis, qui d.l.3. poſteriorem partem, quæ de mixto imperio & iuriſdictione loquitur, varie emendant, interpungunt, interpolant, quorum etiam fere nemo eſt, qui nō alicuius veteris Codicis authoritatē in patrocinium aduocet. quod enim in fine illius capitis Iuriſdictio dicitur eſſe etiā Iudicis dandi licentia, quis non videt ad definitionem illam mixti imperii pertinere, cui ineſſe iuriſdictionem dixerat, quaſi dicat Vlpianus, mixtum imperium ſiue iuriſdictio (nam vtrumque ſic alteri cohæret, vt diuelli non poſſit) non ſolum in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit, ſed etiam in Iudicis dandi licentia. In quo animaduertenda eſt hominis acuti, & definiendi artis peritiſſimi ſolertia. Nam ne aliquid eſſe putaremus mixti imperii, quod non eſſet pariter iuriſdictionis, non dixit, ſimpliciter mixtum imperium eſſe, quod in dāda bonorum poſſeſſione conſiſteret, ſed illa verba

præ-

præpoſuit,cui iuriſdictio ineſt, vt quæ ſequebatur definitio ſiue explicatio ad vtrumque pariter referretur: rurſum ne quis aliquid à ſe tribui iuriſdictioni, quod non & mixti eſſet imperii, exiſtimaret, non dixit iuriſdictio eſt iudicis dandi licentia, ſed iuriſdictio eſt etiam iudicis dandi licentia. Vtrumque enim, id eſt, & bonorum poſſeſſionem, & iudicem dare vtriuſque pariter eſt, pariterque ad ius dicentis officium pertinet l. 1. ff. eod. titu. Artificioſe etiam illud, vt mihi videtur, quod non mixtum imperium (quamuis & de hoc æque dici potuerit l. ait prætor. ff. de Iudic.) ſed iuriſdictionem dixerit eſſe iudicis dandi licẽtiam, quia hoc nomini iuriſdictionis, atque vſui magis conueniebat. Iudicat enim diſceptatue prætor priuata negocia non tam iudicando, quam iudices litigatoribus addicendo, de qua re plura infra. Contra vero imperii & nomini & naturæ magis congruebat, bonorum poſſeſſiones dare. Quamuis & hoc iuriſdictionis ſit, imo in hoc præcipue verſari iuriſdictio ſæpe à M. Tullio aliiſque veteribus dicitur, quod & illa verba ſolemnia iuris, officiique prætorii oſtendunt, DO, DIÇO, ADDICO. Et quod Vlpianus cum mixtum imperium definit, cui etiam iuriſdictio eſt, vel idem cum iuriſdictione eſt, ad nomen illud mixti imperii reſpexit. Et quod reuera ſi notionem & vim propriam ſpectas, potius mixta & cohærentia, quam eadem ſint, vt ſuperiori capite dictum eſt: materiæ autem & ſubiecti ratione eadem. Quare ſic mixta inter ſe ſunt, vt alterum in altero inſit, & vt ſolemne vocabulum Vlpiani fuit, iaceat. Eum enim κειτούκειτον

appellatum olim vulgo fuiſſe ex Athenæo didicimus: quod in omnibus rebus vel potius vocabulis ſoleret quærere, atque inueſtigare, quid cuique ineſſet. Iam vero definitiones ne ſint, quas Vlpianus in d. l. 3. expoſuit, an ſimplices deſcriptiones, ſcio ab Interpretibus quæri. Mihi neque definitiones veræ ac perfectæ videntur, vt Angelo placet; neq; rurſum nudæ deſcriptiones, vt pleriſque; ſed mixtæ, id eſt, definitiones exemplares, ſiue per exempla deſcriptæ, quales in vſu fuiſſe Iuriſconſultis, & M. maxime Varroni ab aliis obſeruatum eſt. Quãquam imperii meri explicatio pro definitione iuſta accipi poteſt: quod enim exemplum, vel quæ ſpecies eius imperii non includitur atque exprimitur illis verbis, poteſtas ad animaduertendũ in facinoroſos homines? nam quod gladii additum eſt, ad vſum loquẽdi atq; inſignia magiſtratuum pertinet, & quia præcipua ac potiſſima pars meri imperii eſt ſicut mixti & Iuriſdictionis eſt, Dare bonorum poſſeſſionem, & litigatoribus Iudices: Decreta atque iudicia Cicero nominat.

CAPVT V.

Mixtum imperium cur modica coercitio dicatur.

PAVLI verba ſunt; Mandata iuriſdictione priuato etiam imperium, quod non eſt merum videtur mãdari: quia iuriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt l. vlt. ff. de off. eius. Primum notãdum eſt illis verbis: Imperiũ quod non eſt merum, ſignificari imperium mixtum; hæc enim duo imperii genera ſunt l. 3. ff. de iuriſd. quod idem Paulus

lus alibi ſic expreſſit, imperium quod Iuriſdictioni cohæret, mandata iuriſdictione tranſire verius eſt l.1. in fi.ff. de off. eius. Id autem eſt aperte mixtum imperium d. l. 3. Deinde notandum eſt, Paulum mixtum imperiũ adpellare vel definire modicam coercitionem, ſine qua iuriſdictio nulla ſit, id eſt, nullius momenti, vt loquitur ſummus pontifex ad illa verba Pauli alludẽs in c.paſtoralis.extra de off. deleg. Tria hic ſunt nobis explicanda, quib. non recte perceptis magnas tenebras offũdi huic quæſtioni videmus: quid ſit coercitio, quid modica, quid Iuriſdictioni cohærere eam, vel iuriſdictionẽ ſine eâ nullam eſſe. Coercitionem hic accipere debemus pro coactione & poteſtate iubendi atque exequẽdi, quod & verbis fit, & magis rebus ac pœnis. Damnum, aliamque coercitionem, inquit Liuius lib. 4. & Saluſtius in Catilinario de ſenatuſconſulto extremi temporis loquẽs, omnibus modis coercendi ciues ſocioſque poteſtatem eo permitti magiſtratui ſcribit. Ex quo intelligim⁹ omne genus Imperiorum ac pœnarum eo vocabulo cõtineri, & mero igitur imperio, non ſolũ mixto cõuenit. Sed cum diſtincte & ſingulariter pro imperio mero ponitur, additur fere vocabulum grauioris vel ſeuerioris. l.ſolent in princ.l.ſi quid erit, ff. de off. Proconſ. nemo poteſt gladii ff. de Reg. Iur. L.vlt.C.de mo.mulct.cum pro mixto modicæ d.l.vlt.l.oſſa.§. ſi in locum ff.de religioſ. Nec diſſimiliter Cicero pro Muræna, triſtem atque atrocẽ, plenam lachrymarũ & ſqualloris vocat Seru. Sulpitii criminalem, vt ita dicam, prouinciam, & pro Cæcinna, hoc ipſum genus iudiciorum vehementiſſimum. Contra ſedatam ac lenem Murenæ pre-

toris iuriſdictionem. Similiter Ammianus lib. 30. *Nec enim vſquam reperitur miti coercitione contentus, ſed aliquoties quæſtiones multiplicari iuſſiſſe cruentas.* Abſciſe autem & ſine vllo adiuncto, coercitio pro grauiori, quę meri imperii eſt, ponitur, vt in l. 1. ff. de term. mot. coercitione tranſigendum eſt, ſicut & animaduerſio, adeoque imperium pro mero, quaſi per excellentiam vſurpatur l. 3. de off. præſid. vt & poteſtas l. 3. De iuriſdict. Modica igitur coercitio mixtum imperium eſt, vel eius proprius tãquam effectus. Nam quia iuriſdictio mixtumq; imperium non in facinoribus cognoſcendis & puniendis: ſed in cauſſis ciuilibus ac pecuniariis iudicandis verſatur, idcirco & leni & moderata & ciuili coercitione egebat. Quę quibus in rebus conſiſtat, intelligemus cum partes ſiue ſpecies eius coercitionis explicabimus. Non ſatis eſt coercitionem modicam eſſe. Nam & modica coercitio interdum leuioribus delictis adhibetur, quæ delicta vindicare meri eſt imperii, non mixti. Hoc ſenſu accepit Vlpianus modicã caſtigationem in l. magiſtratib. 12. ff. de iuriſdict. Non eſt igitur ſatis modicam coercitionem dicere: adiiciendum eſt, ſine qua iuriſdictio nulla eſt, vel quæ iuriſdictioni cohæret atque ineſt, id eſt, iuriſdictione continetur l. ſi quid 45. ff. de Leg. 3. Sicut Imperator Iuſtinianus in l. vlt. C. vbi & apud quos in integ. reſt. qui certæ adminiſtrationi, cui & iuriſdictio adhæret, præpoſiti ſunt, inquit, magiſtratus, intelligens, quorum eſt propria iuriſdictio, nullus enim magiſtratus ſine iuriſdictione intelligi poteſt, & diſtinguit iuriſdictionem habere, & iudicandi facultatem, quia in iuriſdictione ineſt poteſtas exequendi, non item in notione,

tione, quam habent iudices dati: quorum ſententias illi, à quibus dati ſunt, exequuntur l. à Diuo Pio ff. de re iudic. Ex his quæ dicta ſunt, facile colligitur, iuriſdictionem eſſe quidem notionem l. ait prætor 5. ff. de re iudic. l. notionis ff. de verb. ſign. Sed cum poteſtate exequendi, quæ poteſtas imperium dicitur. Poteſtatem enim in magiſtratibus imperium ſignificare ait l. poteſtatis ff. eod. tit. in magiſtratibus omnibus ſcilicet, & quatenus magiſtratus ſunt, mixtum igitur & quod iuriſdictioni cohæret, vel cui ipſa iuriſdictio ineſt d.l. vlt. & d.l. 3. de iuriſd. Hinc eleganter Ælius Nebriſſenſis iuriſdicendi magiſtratibus parere, inquit in vita Ferdin. Arragoniæ regis. Poſtremo quæret aliquis, cur mixtum imperium dicamus, non etiam iuriſdictionem mixtam? Hoc & Donellus quærit, nec recte explicat. Doctores autem noſtri nugantur in ea quæſtione, vnde potiſſimum ſumi cuiuſcunque rei adpellatio debeat. Breuiter ratio hæc mihi videtur. Cum ciuilium cauſſarum cognitio propriũ nomen haberet, & iuriſdictio vocaretur, criminalium vero non haberet vllum proprium & peculiare, ac certum, doctrinæ commodioris gratia fabricati ſunt authores iuris nomen imperii meri, atque ideo meri, quia ſeparatum diſtinctumq; eſſet à iuriſdictione, vt ſuo loco docebo, quo facto ne quis putaret iuriſdictionem omni imperio vacuã eſſe, & quia meri nomen mixto opponitur, conſequens fuit, & mixtum imperium adpellare, quod ita cohęreret iuriſdictioni, atq; mixtum eſſet, vt ab ea ſeparari non poſſit. Nam ſi ſepares, perdes, vt dicebat Caſcellius. Nulla eſt enim iuriſdictio ſine hoc imperio, modicaq; coercitione d. l. vlt. & d. cap. paſtoralis.

Capvt VI.

Coercitionis modicæ varia genera.

Remedia prætoria vocat Vlpianus in l. 1. §. quid ergo ff. de ven. inſpic. Cogenda, inquit, remediis, prætoris eſt in ius venire, & ſi venit, reſpondere, pignoraque eius capienda & diſtrahenda, ſi contemnat, vel multis coercenda. Hæ atque aliæ pœnæ modicæ coercitionis ſunt, id eſt, mixti imperii, & recte prætoris remedia dicuntur: nam ſuo iure & quatenus magiſtratus eſt, iuriſq; dictionem habet, ei competunt alia remedia, ſiue pœnæ grauiores non competunt, quia meri imperii ſunt, quod lege datur. Hinc eſt quod prætores nunquã in ſuis Edictis capitalem pœnã ſanxerint, cum de capitalibus iudiciis edicere nõ poſſent, vtpote quę SC. aut lege aliqua conſtitui oportuerit. Teſte etiam Theophilo in tit. Inſtit. de publ. iud. neq; capitalem modo pœnam, ſed neque aliam vllam fere prætor pecuniariam propoſuerunt, etiam cum de maleficio aliquo edicerent, etiam cum de eo maleficio, quod antea legibus capite vel alicuius mẽbri ruptione ſancitum eſſet: veluti, furtum atq; iniuria. §. pœnæ autem. Inſtit. de iniur. Idque ita eſt, etiamſi pleniſſimam, vel omnem iuriſdictionem prætoris dicas: nunquam enim capitalis ſimiliſue alia vel cauſſa vel pœna continebitur, vt in Edicto illo: SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IVRISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Quare quod Vlpianus ſcribit his verbis, *ſi in locum publicis vſibus deſtinatum intulerit quis mortuum, prætor in eum iudicium dat; ſi do-*

ſi dolo fecerit, erit extra ordinem plectendus, modica tamen coercitione. Sed ſi ſine dolo, abſoluendus eſt: Si ad prætoris coercitionem referas, non ad alterius magiſtratus, ad quem præ tor caſtigandos remittere delinquentes ſolet, vt ad præfectum vrbi, tum modicam coercitionem non vltra carcerem, vel leniorem aliquam verberationem extendemus. Nam & carceris interdum pœna vſurpata à prætoribus fuit, vt adparet ex l. 1 §. vlt. ff. de aleator. quem Bartolus vnicum eſſe locum in iure ciuili ſcribit, quo carcer pro pœna iniungatur, contra l. aut damna. §. non ſolet. ff. de pœn. Leniorem etiam verberationem mixti imperii eſſe doctiſſimus Goueanus adfirmat; de quo poſtea. Similiter pro re ſubiecta & perſonarum iure accipitur pleniſſima coercitio in l. locum. ff. de vſufruct. vbi hæc verba ſunt: *Et Ariſto apud Caſſium notat, pleniſſimam eum (dominum ſerui fructuarii) coercitionem habere, ſi modo ſine dolo malo faciat;* quo modo puto tamen excludi cædem ſerui: nam ita ſolum deterior conditio fructuarii fieret, de quo ibi quæritur, ſed plane vſusfructus perimeretur. Deniq; memorabilis eſt illa Baldi definitio in cap. quanto. col. pen. ext. de iudic. etiamſi dicatur Omnis iuriſdictio, non contineri tamen mixtum & merum imperium. quod in his ſpecialis conceſſus requiratur l. Pomponius. in princ. ff. de proc. & vniuerſalis illa vox, Omnis, de pluribus differentibus numero, non ſpecie dicatur. Sed id falſum eſt in mixto imperio, vt ſupra demonſtratum: ſed & in mero, vt lib. 3. dicam. Nunc coercitionis huius modicæ ac prætoriæ genera exponamus. Tria maximeque illuſtria sũt illa, mulctæ dictio, pignoris captio, corpo-

ris retentio, ſiue præhenſio, notata in l.ſacrilegi.§. vlt ff.ad l.Iul.pecul. Nec nos initio moueat, quod & in mero imperio, ac maleficiorum coercitione hæc locum habeant, aliaque nonnulla, quæ mox commemorabo. Nam & finis, & ratio, & modus diuerſa ſunt in vtroq; imperio. Nam in mero adhibentur ad vindictam Reipub.pœnamq;peccati, & directo & grauius; in mixto imperio valent ad iuriſdictionem tuendam, exequendamque, cuius eſt ratio omnis moderatior, ac lenior, quamuis in contumaces. Præter illa, quæ ſupra poſui, ſunt & aliæ coercitionis modicæ ſpecies, miſſio in bonorum poſſeſſionem, poſſeſſionis in alterum translatio, ſequeſtratio, manus militaris, iuriſdictionis denegatio, interdictio aduocationis ac fori, collecta ſunt. Nos pręcipuas omnes ſpecies hoc loco exponemus, ſi tamen illum ſcrupulum prius amouerimus, quem doctiſſimis etiam interpretibus curam inieciſſe video. Poſitum eſt enim à nobis, mixtum imperium modicam quandam coercitionem eſſe iuriſdictioni defendendæ paratam, idq; ex l. vlt.ff. de offic.eius. Quod ſi verum eſt, quam multa ſunt, quæ mixti eſſe imperii dicuntur, in quibus tamen non ſolum modica, ſed nulla prorſus coercitio verſatur, ac ne poteſt quidem ſępe? Exempli gratia, iubere cauere prætoria ſtipulatione in integrum reſtituere, in poſſeſſionē mittere, imperii eſſe dicuntur, & quidem magis quam iuriſdictionis. l.4.ff. de iuriſd.l. ea quæ.ff.ad municip. imo imperiũ ipſum mixtum definitur, quod in dãda bonorum poſſeſſione cõſiſtit d.l.3. quę certe abſq; vlla coercitione expediri poſſunt, ac ſolent. Quanto magis illa, quę voluntariæ iuriſdictionis ſunt, puta, tutores dare, decretum

decretum in tranſactione alimentorum, in rebus minorum interponere, conſilium in manumiſſionibus exercere, ſimiliaque alia, de quib. infra exponendum erit? Neq; enim opinor, triplex imperium cum quibuſdam conſtituemus. Conſtat enim duplex tantummodo ab Vlpiano & Paulo proponi, merum & quod nō eſt merum, ideſt, mixtum, neq; vero imperium iuriſdictionis, quod illis tertiū eſt, aliud eſſe, quam quod iuriſdictioni cohærere, & ea mandata ſimul tranſire, & cui ipſa iuriſdictio ineſſe dicitur. Quare ſuperior obiectio ſic tollenda eſt, in omni imperio, quod quidem imperiū dici mereatur, ineſt ius & poteſtas efficiens ratum ac firmum, quod imperatum eſt, ſed vt hoc ita fiat, nō ſemper pœna aliqua opus eſt, ſed verbis & ipſa authoritate ad commodanda, ſæpe res tranſigitur, ſiue quia ſponte pareant ii, quibus vel in quos ius dictum, eſt, ſiue quia id, quod præſcribitur poſtea à magiſtratu, eiuſmodi eſt, vt petatur vltro à volentibus. Saluſtius de Marcio, *pudore magis, quam malo exercitum coercebat.* Semper tamen verum eſt, ius à magiſtratu pro poteſtate atque imperio dici, id eſt, & cognoſci de re & ſtatui, ſiue effectum dari, quod dixerit. Hæc enim duo in omni iuriſdictione continentur. Cato apud Feſtum. *Nihilominus voluit ſemper de ſtiricidio in repræſenti cognoſcere, atque etiam ſtatuere.* Liuius libro 40. *Nec vltra quicquam reſponſum eſt, quam miſſuros, qui de controuerſiis eorum cognoſcerent, ſtatuerentque.* aliud eſt igitur decernere atque imperare, aliud exequi, & imperata rata efficere. Eleganter hoc vt omnia, & grauiter Saluſtius lib. 3. hiſtor. *Magna illa conſulum imperia & patrum decreta, vos*

exequendo rata efficitis, Quirites. quanquam, vt ante dixi, nullum proprie ac vere dici imperium poteſt, in quo non hæc vis exequendi & efficiendi inſit. Hæc igitur modica coercitio, hæc remedia prætoria ſunt, hæ vires præturæ, quibus compellendi reſiſtentes litigatores Vlpianus ait l. 2. in princ. ff. de iudic. quod ſi nõ ſemper neq; in omnibus cauſſis adhibentur, non propterea minus illę cauſſæ ad imperium mixtum pertinere putandæ ſunt. omne iudicium conſtat ac perficitur tribus velut membris, cognitione, ſententia, & quod extra iudicium eſſe dicitur, ſed iudicium tamen ratum efficit, exequendi poteſtate, quæ tria ſic complexus eſt Varro lib. 3. de vita pop. Rom. *ſi cuius legati violati eſſent qui id feciſſent, quamuis nobiles eſſent, vt dederentur ciuitati ſtatuerunt. Fecialeſq; 20. qui de his rebus cognoſcerent iudicarent, & ſtatuerent, conſtituerunt.* Non debuere igitur Longouallius, aliique ſtipulationes cautionales, & alia ſimilia, vt dare bonorum poſſeſſionem, iuriſdictionis potius, quam imperii facere; quod in illis nulla coercitio verſari videatur.

CAPVT VII.

De iure dicenda mulcta.

Ciceronis notiſſima eſt illa lex, *Magiſtratus nec obedientem ciuem, mulcta, vinculis, verberibuſue coerceto, ni par maiorue poteſtas populuſue prohibeſſit, ad quos prouocatio eſto. Cum magiſtratus iudicaſſit, irrogaſſitue, per populum mulcta certatio eſto.* Sed de iure mulctæ, quatenus ad maleficia punienda adhibetur, non eſt nobis propoſitum diſputare: id tantum, quod eſt ad explicandam ac defendendam

dam iuriſdictionem ſatis, exponam. Quo pertinet illa Vlpiani definitio, *Omnibus magiſtratibus, præterquam Duumuiris, conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam pœnali iudicio defendere ſecundum ius poteſtatis ſuæ*, l. vnic. ff. ſi quis ius dic. non obtemp. mulctæ enim dictionem intelligit, vt Accurſius & cæteri interpretantur, quamuis aliæ coercitionis formæ non excludantur: Quod autē Vlpianus ait, conceſſum eſt, intelligo, lege veteri Tarpeia, quam Sp. Tarpeius, & A. Terminius Coſſ. centuriatis comitiis tulere; quam recitat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 10. ſimilibus Vlpiano verbis, ἵνα ταῖς ἀρχαῖς πάσαις ἐξῇ τοὺς ἀκοσμοῦντας ἢ παρανομοῦντας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐξουσίαν ζημιοῦν. τέως γὰρ οὐχ ἅπασιν ἐξῆν, ἀλλὰ τοῖς ὑπάτοις μόνοις. τὸ μὲν τοι τίμημα οὐκ ἐπ' αὐτοῖς ζημιοῦσιν, ὁπόσον εἶναι δοκεῖ, κατέλιπον, ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισεν, &c. Id eſt, Licere omnibus magiſtratibus ſuæ poteſtatis læſæ reos mulctare. Nam antea ſolis Coſs. id licuerat, mulctæ tamen modus non mulctantium arbitrio relictus eſt, ſed ab ipſis præfinitus, ne & cætera. Qui ſit autem hodie iure Iuſtinianeo modus mulctarum, & quæ cuiuſque magiſtratus iudiciſue in ea re poteſtas, cum ex aliis locis, tum ex titulo C. de modo mulctarum, inſcripto cognoſcitur. Quod autem Vlpianus ſcribit, *His datur mulcta dicendæ ius, quibus publice iudicium eſt, & non aliis: niſi eis ſpecialiter hoc permiſſum eſt.* l. 2. §. fin. ff. de iudic. Item, *Mulctam is dicere poteſt, cui iudicatio data eſt: magiſtratuſq; ſolos & præſides prouinciarum poſſe mulctam dicere, mandatis permiſſum eſt.* l. aliud fraus. §. 1. ff. de verb. ſig. ad excludendos cum magiſtratus municipales, tum iudices datos, atque arbitros dictum eſt. Neque obſtat quod in l. non

ex omnibus. ff. de recept. qui arb. recep. ſcriptum à Iauoleno eſt, contumaciam litigatorum arbitrum puniri poſſe. Nam id non tam ex poteſtate arbitri quam ex litigatorum compromiſſo & ſtipulatione deſcendit, ac propterea non ipſi arbitro, vel fiſco, ſed aduerſario pecunia adiudicatur; vt ibidem ſtatim ſequitur, *punire*, inquit, *poterit pecuniam eum aduerſario dari iubendo*: quod ſecus eſt in vera mulcta, quæ pro poteſtate magiſtratus irrogatur: ea enim fiſco addicitur, & olim populo l. 5. C. de mod. mulct. Iudices etiam dati mulctandi ius nullum habent; cognoſcere tantum & iudicare poſſunt, eorumque ſententias magiſtratus qui eos dederunt, exequuntur, litigatorumque contumaciam puniunt ac coercent l. à Diuo. ff. de re iudicat. De magiſtratibus municipalibus maior dubitatio eſt, an hodie ſaltem, id eſt, iure Codicis, & Nouellarum mulctæ dictionem habeant, in quo diſſentiunt veteres interpretes, qui & d. l. vnic. verba varie legunt, alii enim, *non tantum* Duumuiris alii, *non tamen*, quæ poſterior lectio certiſſima eſt: illa prior abſurdiſſima, hoc enim dicit non ſolum magiſtratibus municipalibus, ſed etiam maioribus ac legitimis populi Rom. magiſtratibus conceſſum eſt. Quod ad ius vetus attinet certa res eſt, non habere hanc poteſtatem Duumuiros. nec obſtat l. magiſtratibus. ff. de iuriſd. Ea enim de ſeruis diſerte loquitur, in quos & alios vilioris ſortis homines caſtigatio Duumuiris permiſſa fuit, mulctæ dictio non fuit. Sed contra docere Cuiacius conatur in d. l. aliud fraus. de V. S. & in l. 1. ff. eod. Argumenta eius hæc ſunt. Primum poteſt magiſtratus municipalis iuriſdictionem ſuam defendere captis pigno-

pignoribus.l.20. §.magiſtratus.ff.ad legem Aquil. l.3. §.1. ff.de reb.eor.qui ſub.tut.l.4. §.1. ff.de damn. infect. Cur non & mulcta poſſit? Hæc enim coniunctim in legibus dari. Deinde defenſoribus ciuitatum interdicitur mulctæ dictio. l.5. C. de def. ciu. quod argumento eſt, non interdici Duumuiris, quorum maior eſt poteſtas, quam defenſorum. poſtremo loca quædam iuris citat, quæ ait de magiſtratibus municipalibus intelligi etiam debere, vt l. 2. ff. ſi quis in ius voc. non ier. quæ dicit eum qui poſteaquam vocatus eſt in ius non iuit, mulcta damnari à competente iudice pro iuriſdictionis eius modo. Eodem pertinere, quod magiſtratus municipales habeant iuriſdictionem vſque ad certam ſummam, vt Paulus oſtendit lib.5. ſent. tit.5. atque ita l. vlt. ff. de iuriſdict. totam accipiendam de magiſtratibus municipalibus. Ait enim, extra territorium ius dicenti impune non pareri, quod de Duumuiro nominatim proditum eſt in l. Duumuirum. C. de decur. idem eſſe ait, ſi ſupra iuriſdictionem ſuam velit ius dicere, id eſt, ſupra quantitatem definitam; quia non poterat Duumuir ius dicere, niſi vſque ad certam ſummam. Inter conſentientes poteſt etiam de maiori ſumma vel re ius dicere l. inter. ff. ad municip. l.1. ff. de iudic. Hæc Cuiacii argumenta ſunt, nec mouetur. dict. l. 2. §. vlt. ff. de iudic. Nam & Duumuiro publicum iudicium eſſe, & tribunal & faſces, nec dict. l.1. ſi quis ius dic. non obtemper. quæ non de mulcta loquitur, ſed de pœnali iudicio, eo ſcilicet, de quo illic agatur, id eſt, actione pœnali, vt in Paratitlis exponit, videlicet, quanti ea res eſt, etiamſi nihil interſit, quod & Eguinarius fecit,

qui de mulcta non intelligit, contra quam veteres Doctores, & recentiores multi, inter quos & Bodinum numerem, qui libris de Republ. non mulctam ſolum, ſed & prehenſionem, ſiue manus iniectionem ſignificari illis verbis d.l. vnic. ac ſcribit argum. l. ſacrilegi §. vlt. ff. ad l. Iul. pecul. Nunc argumentis Cuiacii reſpondeamus. Ac primum quidem infirmum eſt ab vna ſpecie coercitionis ad alteram argumentari, cum in iis quæ imperii ſunt, ne argumentum quidem valeat, de maiori ad minus, vt vocat, id eſt, ſi quod maius eſt, ei licet, & quod minus eſt, licebit. Deinde eadem ratione omnes ſpecies coercitionis, quæ cum mulcta iunguntur, ad Duumuiros pertinerent, quod eſt abſurdum. Multo etiam leuius eſt, quod de defenſoribus ciuitatum adfertur. Nam & defenſores iſti magiſtratus municipales ſunt, & iuriſdictionem maiorem, quam Duumuiri habent, nimirum vſque ad quingentos aureos. l. 1. C. de def. Auth. & iudicare. eod. tit. Præterea non ſequitur, Habet quis maiorem in Republ. dignitatem vel poteſtatem. Ergo mulctare poteſt. Nam mulctæ irrogandæ ius non ex poteſtate vel adminiſtratione Reip. competit: alioquin haberent id ius etiam procuratores fiſci vel ciuitatis, ſimiliſue qui procurationē publicam ſine iuriſdictione habent, l. 2. & 3. C. de mod. mulct. Sed hoc ius totum pendet ex iuriſdictione: mulctare inquam, iuriſdictionis eſt, ſiue imperii iuridicialis, quod etiam vulgo Doctores, ſi Iaſoni credimus, adprobauerunt. Ad argumentum ex l. 2. ff. ſi quis in ius vocat. non ierit, nam ea lex apertiſſime loquitur de prætore & aliis, qui iuriſdictioni præſunt, vt in initio & fine le-

gis ſcriptum eſt. Nec ad rem facit, quod ex Pauli libr. 5. profert: ibi Paulus hoc tantum dicit, Rem iudicatam videri etiam à magiſtratibus municipalibus, quid ni? cum & delegati iudices rem iudicatam faciant: vt illic adſcriptum diſerte eſt. Quos tamen nemo dixerit ius mulctãdi vel aliam vllam coercitionem habere: nec exequi ſententiam à ſe dictam, poſſe. l. à Diuo Pio. ff. de re iudic. neque enim iuriſdictionem habent, ſed notionem tãtum l. vlt. C. vbi & apud quos in int. reſt. Multo minus ad rem facit l. Duumuirum. C. de cur. in qua hoc tantum generaliter & infinite ſcriptum eſt, *Duumuirum impune non licere extollere poteſtatem faſcium extra metas territorii propriæ ciuitatis.* De mulcta nihil dicitur. Multa autem alia ſunt, quę facere magiſtratus municipales queũt, quãuis mulctare nõ queãt, quæ breuiter illic Cuiacius collegit, plenius autem Guido Pancirolus in lib. de magiſtratibus municipalibus capit. 8. ex quo adparet, poteſtatem faſcium non ſemper dici de iuriſdictione, ſed ad alias res pertinere, puta, ad ludos: quomodo Apuleius libro 10. de his ipſis magiſtratibus, & ludis gladiatoriis, *ſplendorem capeſſendorum faſcium* nominat. Nam etiam non magiſtratus, ſed priuati homines, qui ludos & funera curabant, lictores habuere, nimirum ad ſummouendum: Cicero libr. 2. de legibus, *Dominuſque funeris vtatur adcenſo atque lictoribus.* Nam quod Cæſar aduerſus Pompeianos queritur, lictores priuatim in Capitolio habitos cõtra omnia vetuſtatis exempla, alio pertinet. Infirmiſſimum igitur eſt hoc Cuiacii argumentum à faſcibus atque lictoribus, quos & priuatos homines, vt dixi, habuerunt, & virgines interdum Ve-

ſtales, & Senatores qui in prouincias rei propriæ cauſa legationem liberam obtinebāt. Illud verum non puto, quod tribunali præeſſe Duumuiros, ait. Hoc enim proprium eſt maiorum magiſtratuum ac poteſtatum. quod autem l.2.§.fin.ff. de iudic. & l. aliud fraus. in fin. ff. de verb. ſign. in ſuam trahere ſententiam, quæ tamen & aliorum veterum interpretum eſt, conatur; fruſtra eſt. Iampridem de hac Iaſon Alexandro reſpondit, contrarium potius ea probari, cum dicat, magiſtratus ſolos & præſides prouinciarum. Nam ſi verbo illo magiſtratus continerentur omnes, etiam infimi, quam ineptum fuiſſet, adiici, & præſides Prouinciarum? ſimiliter & de l.2.§.fin. de iudic. Recte Fulgoſius, magiſtratibus municipalibus non dici eſſe publicum iudicium, nec dici eos publicos iudices; ſed defenſores ſolum, & magiſtratus municipales. Illud explicandum eſt, quod pro ſententia Cuiacii & veterum facere magnopere videtur, qua ratione magiſtratus municipales conſequentur, ne luſoria atque inanis eorum iuriſdictio ſit, ſi defendendi eam pœnali iudicio poteſtas iis adimitur? cum contra pro regula traditum ſit, cui iuriſdictio data eſt, ea quoq; conceſſa videri, ſine quibus iuriſdictio explicari nō poteſt l.2. & ibi Accurſ. ff. de iuriſdict. Primum reſpondeo implorare eos auxilium poſſe, & fidem competentis iudicis, à quo iudicio dato eorum iuriſdictio vindicetur: quod Euignario Baroni videtur placuiſſe arg. d.l.2. ſi quis in ius voc. non ier. & c.1. ex. de offic. deleg. Deinde eſſe & alia remedia ſpecieſque modicæ coercitionis, quibus iuriſdictio defendatur: quæ ad aliquem modum enumerat Bartolus in l. magiſtratibus. ff. de iuriſdict.

CA-

CAPVT VIII.

De actionibus ad iuriſdictionem tuendam comparatis.

)ROPOSVIT prætor & pœnalia iudicia, ſiue actiones quibus iuriſdictionem ſuam defende:t aduerſus contumaciam atque iniurias priuatom.Huc pertinet&nobilis lex,ſi quis id,quod iuſdictionis 7. ff. de iuriſdict. & plures tituli ſeqq.)ixi,iuriſdictionem ſuam, nam iniuriarũ quidem : contumeliarum, quæ in perſonam vel dignita:m magiſtratus inferuntur, alia ratio eſt: in quo uæſitum ſcio, an magiſtratus aliquando reſiſtere er vim liceat? Quæ diſputatio ab inſtituto noſtro lienior eſt: Dicam tantum quod apud Auerroem \riſtotelis Paraphraſten lib 1. Rhet.legi:eius rei ę:imationem ex diuerſitate formarum Reipub.pei debere; quamuis perobſcura eſt interpretis Lati:i oratio. In libera enim Rep. plus licet. quo perinet illud Suetonii in Veſpaſiano. Atque vti noum eſſet vtrumque ordinem nõ tam libertate iner ſe, quam dignitate differre, de iurgio quodam ;enatoris Equitiſque Rom. ita pronunciauit, *Non portere maledici Senatoribus : remaledici, ciuile faſue eſſe.* Vulgo putant & criminaliter agi ob conemptum iudicis poſſe. De quo Clarus videnlus eſt : vt non improbiſſimus videri poſſit C. /erres, qui cuidam minatus, *non putare ſe*, inuit, *eum etiam virgas contempturum.* Sed ad ·em. Earum actionum duplex genus videur. Vnum, quo proprie & primario, maieſtas ›rætoris vindicatur : alterum quo litigatori,

vel ei, cuius intereſt, ſubuenitur. Prioris generis eſt actio popularis propoſita in edicto de albo prętoris corrupto, de qua eſt d. l. ſi quis id quod ff. de iuriſ. vbi pœna in corrumpentes conſtituta eſt quinquaginta aureorum, vel vt alii legere malunt, quingētorum, quorum pars actori, pars fiſco datur arg. l. Lege Cornelia §. ſi ff. ad SC. Syllan. quamuis Accurſius actori totum tribuat arg. l. 3. in pr. de ſep. viol. ſed eſt longe diuerſa eius edicti ratio atq; huius, qua prætoris dignitas violata vindicatur, & quidem ſola. non enim ex quouis edicto ſiue albo corrupto hæc pœna proficiſcitur, ſed ex eo, quod iurisdictionis perpetuæ cauſſa propoſitum eſt d. l. ſi quis id quod. Quare ſi quis edictum citatorium peremptoriumue corruperit, quia id temporis cauſſa, & prout res incidit, vt in d. l. ſcriptum eſt, proponitur, non incidit in hanc pœnam: in quo rurſus Accurſius labitur. Aliæ ſunt actiones, quibus non tam prætoris maieſtas vindicatur, quam damnũ actori vel reo ſarcitur. Qualis eſt actio in factũ, qua tenetur is, qui à prætore miſſum in poſſeſſionem non admittit l. 4. §. an tamẽ ff. de damn. infect. Eoq; pertinet edictum & tit. ff. Ne vis fi. ei qui in poſſ. miſſ. er. actiones de in ius vocando proditæ ex edicto prætoris. Ne quis eum qui in ius vocabitur vi eximat. Item de eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio ſiſtat. Inter quos titulos quaſque actiones, quæ differentiæ ſint, erudite Cuiacius exponit lib. 10. obſeru. cap. 10. &, ſi recte memini Iac. Tomingius in quæſtionib⁹ ſuis. Nec alio pertinere eruditis hominibus videtur titulus, & L. vnica ſi quis ius dic. non obtemp. Cum enim iudiciũ pœnale illic nominetur, de actione,

ex qua iudicium conſtituitur, pœnaq; exigitur, id intelligendum videtur, non de ſola mulcta, quam etiam ſine vllo iudicio irrogare magiſtratus ſolent ex arbitrio ſuo. Illud quæritur qualis ſit hæc actio, vtrum priuata, vt Duarenus defendit lib. 1. Diſput. cap. 2. cum in fin. d. l. vnicæ dicatur, concludi, ſiue dari in id, quanti ea res eſt: an in factum quędam actio, quæ magiſtratui vel Procuratori fiſci detur, ad mulctam exigendam; vt Paulo Caſtrenſi placuit, quod ſene verius eſt: contẽptus enim prætoris eſt, qui vindicatur edicto, vt ex verbis Vlpiani adparet & ex eo, quod ſuperiori capite ex Dion. Halicarnaſſeo protulimus; neq; mouere nos illa verba, Quanti ea res eſt, debent. Nam & ad magiſtratus iniuriam æſtimandam recte accommodantur, vt pro eius magnitudine pœna reo imponatur: & reiicitur aperte eodẽ in loco ęſtimatio eius, quod intereſt: quod ad petitorem pertinet, vel etiam interdum ad reum, ſi petitor magiſtratui nõ obtemperauerit, vt Labeo voluit. In eo mihi errare interpretes videntur, quod generaliter ab Vlpiano definiri putant, quid ſit non obtemperare, quaſi is ſolum non obtemperaſſe dicatur, qui quod extremum in iuriſdictione eſt, non fecit, aut admiſit; immo vero & ante litem, & in principio litis, & deinceps etiam vbi nullum extremum eſt, in quauis parte iudicii, vt interuenire, ſic puniri contumacia poteſt. Punitur, ſi quis in ius vocatus non venerit; mulcta enim ei irrogatur, à quocunque magiſtratu vocatus fuerit, etiam non ſuo, ſi dubitetur, an iuriſdictio eius ſit l. 2. ff. ſi quis in ius voc. l. ſi quis ex aliena ff. de iudic. l. contumacia §. fi. ff. de re iudic. Punitur qui vadimonium deſeruit, imo & qui non vadatus eſt,

ſi ſui copiam nõ faciat, vel abſit, aut latitet perfru-ſtrationem, neque defendatur. Aduerſus hos in bonorum poſſeſſionem prætor mittit, diſtrahique etiã bona iubet. qua de re ſunt tituli illi in ff. Quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eatur. De reb. auctor. iud. poſſid. De re iudicata. Similiter Hermogenianus cum ait, *contumacia eorum qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coercetur* l. 53. ff. de re iudic. non generaliter de contumacia vel pœna eius definit: neque enim ea pœna vel ſola vel perpetua eſt, vt adparet ex §. 1. ſtatim, vbi contumax definitur, qui tribus edictis propoſitis, vel vno pro omnibus, quod vulgo peremptorium adpellatur, literis euocatus præſentiam ſui facere contemnit. Quod & ante litem conteſtatam, poſt in ius vocationem in actore locum habet, de quo plenius cautum eſt in Nouella 112. Et Cuiac. ad Nouell. 69. & in decretal. in tit. vt lit. non conteſt. videndus; in quo tamen multum poteſt arbitrium atque cognitio: neque enim hęc abſentium condemnatio iuris neceſſitati ſubiecta eſt, vt Imperator Antoninus admonuit l. 1. C. quom. & quan. iud. Neque vero illius edicti pœna, quam meram Vlpianus dicit eſſe, temere irroganda fuit ei, qui quoquo modo non obtemperaſſet, præſertim ſi poſtea paruerit in eo, quod petebatur, & ad quod obtinẽdum tanquam ad finem ius dici poſtulatum eſt: in quo ipſo & iuriſdictionis extremũ verſatur, quod recte de executione ſententiæ accipitur, nam quod Duar. & alii ius dici in ea negant, qui hoc vſurpari in iudicio duntaxat conſtituendo iudicibuſque dandis exiſtimat ab aliis refutatum eſt; imo, inquam ego, ibi maxime ius dicit cum ſententiam prætor fert, vel exe-

exequitur ſuam vel iudicis ab ſe dati. Quare lege agi olim dicebatur, cum prætor tria verba fari poterat, Do, Dico, Addico: qui eſt vltimus iudicii dies: cum vero cauſſis audiendis prætor operam dat, lege tunc non agitur, inquit eruditiſſ. Manutius in libello de dierum veterum ratione. Quid? quod actio ex re iudicata datur l.8. C. de reb. cred. quam profecto vnam etiam ex remediis prætoriis dicere poſſumus, quibus ſententiæ executioni mandantur, recteque hoc in loco exponemus, præſertim quod ita vulgo putent, hanc actionem nihil aliud eſſe, quam petitionem executionis.

CAPVT IX.

De actione iudicati.

EX ſententia Iudicis reque iudicata actionem naſci conſtat: quæ inde iudicati actio adpellatur l.4. in principio & paſſim, & l. miles 6. §. qui iudicati, & §. vlt. C. ff. de re iud. l. 1. C. de recept. arbit. l. 1. C. quan. ex fact. tut. vel curat. & aliis locis, ſed occurrit ſtatim: ſi actio ex re iudicata naſcitur, iudicium ex iudicio, litem ex lite orituram, id quod nefas adpellant Imperatores in l. terminatio. in fine. C. de fruct. & lit. ex principio cum tamen ſententia iuriſdictionem controuerſiis imponere debeat l. 1. de re iudic. Si enim actio eſt, vt tot locis dicitur, in iudicium deduci eam oportet: ſiquidem actio eſt ius perſequendi iudicio, quod debetur, Inſtitut. de action. in princip. Deinde, rebus rite iudicatis, cur non ſtatim & recta à magiſtratu fiat executio, ſed per ambages iſtas eatur? Nam ſi

Reipub. intereſt cito lites finiri, multo magis intereſt vim atque authoritatem ſuam rebus iam iudicatis conſtare; quibus (vt ait Cicero) ipſe ſtatus Reipub. continetur. Poſtremo, quænam vtilitas huius actionis erit, ſi idem per eam petatur, quod priori actione petitum eſt? In quo magis irridendi ſimus, quam veteres Iuriſconſulti, quorum erat illud in formulis, IDEM ALIO MODO. Nam actionem de eadem re dari, de qua ante iudicatum eſt, ſi non ſit eadem cauſſa petendi, vel perſonæ eædem, non eſt abſurdum l. an eadem. & paſſ. tit. de re iudic. hic proponimus omnia eadem. Illud etiam in obſcuro eſt, vnde hæc nobis actio naſcatur, ex contractu, an ex delicto, an ex lege? Nam & lege obligamur l. obligationum. §. 1. de obligat. & act. His difficultatibus omnibus ſatisfiet commode à nobis, atque plene, ſi huius actionis originem, naturam vimque explicemus. Et primum video fere conſtare inter doctos, hanc actionem ex contractu oriri: iudicio enim velut contrahitur inquit Vlpianus in l. 3. §. idem ſcribit. ff. de pecul. Quod ſi verum eſt, cur non ex arbitri potius ſententia actio naſcatur, quæ naſci negatur, in d. l. 1. C. de recept. Nam arbitrium ſuſcipitur omnino à volentibus & conſentientibus: iudicium redditur in inuitum l. continuus. §. 1. ff. de verb. obligat. Dicendum eſt, partim ex cõtractu, partim ex lege oriri hãc actionem, vel vno verbo ex quaſi contractu. Nam qui iudiciũ accipiunt de re iudicata conſentire videntur, vt ei ſtetur: & rei iudicatæ, atque huic litigatorum conſenſui eam vim lex tribuit, vt actionem pariat. Sic tutelæ actio, quæ eſt ex quaſi contractu, non tam naſcitur ex cõuentione, quã ex lege: ſic & actio

tio,qua hæres tenetur defuncti creditoribus,pa-
er ex quaſi cōtractu eſſe dicitur, quia aditio nos
ligat,ita volente lege,l.more noſtræ ciuitatis.ff.
acquir. hæredit.more,id eſt,lege 12. tab. vt alias
pe. Denique in omni obligatione, quæ ex quaſi
ntractu oritur,non tam voluntas, cum ſæpe in-
ti obligentur, vt tutores, quam lex & ius ciuile
ectatur.Neque mihi dubium eſt,quin hæc actio
ex lege 12. tabul. quæ & rebus iudicatis certum
mpus,id eſt,triginta dies, qui inde iuſti vocatur,
bitoribus conſtituit ad iudicatum faciendum,
eſt apud Gellium & alios.Nam etſi ea lex poſt id
mpus creditoribus poteſtatem permittat vin-
ndi,ducendi,&in neruo habendi debitores:ta-
en primum nihil vetat,&mitiorem hanc agendi
tionem fuiſſe ea lege permiſſam:deinde non nos
c de ipſa executione,ſed de via,qua ad eam per-
nitur,quærimus. Dico etiam ex illa ipſa lege 12.
bul.quam nunc recitauimus,ad executionem tā
erbā iudicati non aliter perueniri potuiſſe,quam
r actionem iudicati. Iubet enim lex poſt trigin-
illos dies in ius duci iudicatum. MANVS, inquit,
IECTIO ESTO: IN IVS DVCITO; NI IVDI-
TVM FACIT, eum demum duci & vinciri iu-
t. Neque hoc poſtea immutatum eſt; remanſit
im ſemper actio iudicati, licet pœna vel acerba
executio abolita fuerit, ſicut & diſſectio cor-
ris debitoris eadem lege inter plures permiſſa
editores. ſed & ex aliis rebus probari poteſt hanc
tionem ciuilem eſſe,non prætoriam,vt doctiſſi-
i quidam contendunt male.neque enim id pro-
tur ex d.l.actori.8. C.de reb.cred. vbi ex iureiu-
ndo actionem in factum ad ſimilitudinem iudi-

cati dari ſcriptum eſt;neq; enim omnis actio in factum,vel innominata prætoria eſt,ſed plurimæ ciuiles l. 7. §. 1. de pact. & paſſ. & tot. tit. de præſ. verb. neque actio iudicati in factum eſt. Non enim ſpectat huc illa ſimilitudo, ſed eo, quia vt confeſſio & tranſactio & iuſiurãdum comparantur rei iudicatæ, quod ad vim & effectum. neque verum eſt innominatam hanc actionem eſſe: eſt enim propriũ & elegans nomen iudicati; &, vt innominata ſit, non tamen, vt dixi, continuo prætoria. Nunc videamus quid in hanc actionem veniat. Et apparet venire id, quod in priori actione erat. De eo enim iudicatum eſt. Vtilitas autem eſt multiplex huius actionis. Nam primum in ea nihil quæritur, quam hoc vnum, an ſit res iudicata. l. poſt rem. 56. ff. de re iudic. Debereturne quod petitum eſt, non quæritur; nullæque hic vltra probationes requiruntur, vt & in actione in factum ex iureiurando, & ex confeſſione poſt Orationem diui Marci. dict. l. 56. quod commentario ad eam orationem fuſius expoſui. Alia vtilitas eſt, quod hæc iudicati actio ſemper eſt rei perſecutoria, & ob id perpetua eſt, & hæredi, atque in hæredem datur dict. l. miles. 6. §. vlt. quamuis prima actio fuerit ex delicto, & pœnalis, & non perpetua, neque in hæredes deſcendens dict. l. 3. §. idem ſcribit. de pecul. qua ex re magni effectus ſequuntur, vt adparet ex dict. l. 3. & aliis, de quo eleganter P. Fab. ſemeſtr. libro 2. ſi memini. Eſt & illa magna vtilitas, quod poſt elapſum tempus rei iudicatæ faciendæ vſuræ centeſimæ currant l. vlt. C. de vſur. rei iudic. Magna vero æquitas huius actionis eſt, vt non ſtatim ad executionem procedatur, vel petitor victor

res

debitoris iudicati occupet, quas ſi occupauerit, ti & vi bonorum raptorum eum teneri Vlpiaſcribit in d.l.miles. §. quid iudicati. æquitas aun ex eo, quod vt Donellus illic ait, fieri poteſt, vt dicatum non ſit, quod iudicatum actor dicit. einde quia reus ſæpe etiam aduerſus executiom iudicati multis exceptionibus vti poſſit, veluex epiſtola diui Hadriani de diuiſione inter fideſſores. ex conſtitutione diui Antonini ne donar, niſi in quantum facere poteſt, exigatur. Inſtit. fideiuſſ.l.Neſennius.ff.de re iud.cum ſimil. Huc gi velim ea, quæ eruditiſſime tradit in deciſionisMatthęus de Afflictis deciſ.346.vbi illam quęonem tractat, an executio ſententiæ, quæ tranſit in rem iudicatam, habeat inſtantiam in actione factum.

CAPVT X.

Actionem vel iuriſdictionem denegare.

NON ſolum actiones pœnales dando contumaciam & improbitatem prætor coercere ſot, ſed etiam actiones denegando, quod & iuriſditionem denegare dicitur l. ſed etſi per prætorem. ait prætor. ff. ex quibus cauſ. maior. quam rem nter ſpecies modicæ coercitionis Bartolus quoq; efert in l.magiſtratibus.ff.de iuriſd.neq; aliam corcitionem intellexit ICtus in l. quidam exiſtimaunt. ff. de re. cred. vbi in nobili illa quæſtione, an reditor inuitus cogatur accipere partem crediti à ebitore oblatam, reſpondet, *humanius prætorem faurum, ſi actorem compulerit ad accipiendum id, uod offeratur*; compulerit ſcilicet denegata eius

partis actione, vt rectiſſime Doctori meo, ſummo viro, placuit, aduerſus alios interpretes, qui pœnam aliam eius rei ineptiſſimam tradidere, Accurſiũ ſecuti, qui tamẽ alio in loco, id eſt, in l. ſi ſoror. C. de collat. recte vidit, hunc modum prætorium compellendi contumaces; vt mirer, qui id etiam arbitro dato tribuere videtur. Neque enim arbitri vel iudicis dati eſt actiones denegare, ſed prætoris vel præſidis, neque hoc vult illa lex, ſi ſoror. alia enim remedia ſunt, quibus arbitro parere cogimur. Igitur, vt eo redeam, vel cum certo generi hominum iuriſdictio denegatur edicto, vel certo etiam homini, vt Verres: SI QVIS HERACLIVM PVLSAVERIT, INIVRIARVM IVDICIVM NON DABO. IPSI NVLLIVS REI IVDICIVM DABO. vel cuiuis ob certas cauſſas, veluti ob contumaciam, Vlpianus: *Per magiſtratus factum ita accipiendum eſt, ſi ius non dixit, alioquin, ſi cauſſa cognita denegauit iuriſdictionem, reſtitutio ceſſat, & ita Seruio videtur.* & paulo poſt: *ſed etſi dum decreto prætoris non obtemperat iuriſdictionem ei denegauerit, non eſſe eum reſtituendum Labeo ſcribit. Idemque ſi ex alia iuſta cauſſa non fuerit ab eo auditus.* d. l. ſed etſi prætor. quo in loco Baldus notat ratione inobedientiæ in vno caſu poſſe alicui denegari audientiam in omnibus cauſſis. quæ certe non parua contumaciæ coercitio putanda eſt, iuſta tamen, cum & in carcerem poſſit quis ex hac cauſſa duci ob prætoris præcepta vel decretum contemptum. l. iniuriarũ. 13. §. ſi quis decreto. ff. de iniuriis. Quod ſi ſine cauſſa id fiat, magiſtratus denegatæ iuriſdictionis, vel, vt vulgo loquuntur, iuſtitiæ accuſari poteſt: amittit etiam in ea re, in qua denegauit, iuriſdictionem, & ad ſuperiorem

iorem magiſtratum aditur,iuxta Auth.de mand. Princip §.ſi tibi.Gail.lib.1.obſ.cap.28. vbi ſic ſæpe fundari iuriſdictionem Cameræ docet.Et plura de hac re tradit Hoſtienſis in tit. de for.compet.§.qui bus ex cauſis.vbi Nouell. Imp. Friderici. Hac edi-ctali poſuit,vt ait in ſum.de offic.ordin.Puniri etiam poteſt, quaſi ſuam litem feciſſet, etiamſi non dolo,ſed negligentia peccauerit l.ſi quis in conſcribendo,in fin.C.de pact.l.ſiquando.C.de teſtam.l. mancipia.C.de ſer. fug. Contrarium huic actionis denegationi eſt,aliquem ad agendum reſtituere,nō ſolum qui actionem tempore vel alio pacto miſerit,ſed etiam qui condēnatus iniuſte eſt,quā is in rē iudicatam res trāſierit, quod παλινδικίαν Græci dicūt. Ita Herodianus lib.7.Gordianum in Africa Imperatorē creatū ait dediſſe,τὴν παλινδικίαν τοῖς ἀδίκως κατακριθεῖσι, hoc eſt,vt Politianus doctiſſimus vertit,iis qui parū iuſte iudicio dānati fuerant, iterum defendēdi ſui poteſtatē indulſiſſe. Alim generalius,actionem & iudicium reſtituiſ-, vel cauſæ de integro dictionem. Plinius lib.10. epiſt.64.datum à ſenatu ius omnibus, de quibus e (Baſſus Proc,cuius acta reſciſſa)aliquid conſtituiſſet, ex integro agendi duntaxat per biennium. Similis eſt retractatio cauſæ, quæ olim in præfecti prætorii ſententiis obtinebat,neque enim ab eo li-bat adpellare. l.ſi quis. C. de appell. & l.1. C. de ent. præf. præt. ſicut neq; à ſenatu l.1.§.1.ff.à quibus appell. non lic. Retractari tamen cauſæ etiam ſenatu finitæ potuerunt. Plinius lib. 6. epiſt. 5. *de maximo Senatuſconſulto diſſeruit finitamque cauſſam retractauit.* Idem hodie ius translatum eſt ad Cameram imperii, aliaſque ſummas curias. Illud

hoc loco obſeruandum aliud eſſe videri iuriſdictionem denegare, aliud actionem denegare. Nã iuriſdictio denegatur ſæpe, non quod actio ei, qui petit, non competat, vel dari debeat, ſed in pœnã contumaciæ aliamue iuſtam ob cauſam. Actio vero denegari dicitur, cum vel nulla cõpetit, vel eſt quidem actio, ſed non danda, puta ex ſtipulatione turpi vel flagitioſa. l. veluti. ff. de verb. oblig. l. mercealem. C. de condict. ob tur. ca. cum ſimilib. Sed & in pœnam contumaciæ actio denegari dicitur, puta, vſufructuario, qui ſatiſdare recuſat l. ſi cuius. §. 1. ff. de vſuf. & procuratori, defendere dominum nolenti. l. mutus. §. pœna. 6. de procur. l. actionem. C. eod. tit. Item fratri emancipato, vel ſorori, quæ cauere de collatione per contumaciam recuſat. l. 1. §. ſi frater. & §. cum duobus. ff. de collation. l. 2. & 12. C. eod. tit. ſed & ei qui agere cœpit, cuique actio permiſſa eſt ob contumaciam abſenti, neq; agenti, denegatur in poſterum actionis eius ſiue cauſæ perſecutio, niſi reo omnes ſumptus iudicii refuderit. l. ſed qui ſemel. C. quomod. & quan. iudex. l. properandum. C. de iudic. Poſtremo notandum eſt, leuius videri crimen magiſtratus, ſi publicam iniuriam remittat, quam ſi actionem priuato poſtulanti deneget ſine cauſa. Elegantiſſime Vatinius Proc. ex Dalmatia ſcribens: *Sed tamen, mi Cicero, quid facere poſſum? Omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. Meam animaduerſionem & ſupplicium, quo vſurus eram in eum, quem cepiſſem, remitto tibi & condono. Quid illis reſpondere poſſum, qui ſua bona direpta, naues expugnatas, fratres, liberos, parentes, occiſos actione expoſtulant? Si mehercule Appii os haberem, in cuius locum ſuffectus ſum,*

tamen

men hoc ſuſtinere non poſſem. Hoc eſt illud, quod in-rpretes noſtri dicunt facilius remitti ius fiſci, quã riuatorum. arg. l. non puto. ff. de iur. fiſc. l. 2. C. de ı ius voc. l. reſcripta, C. de prec. imper. off.

CAPVT XI.

De pignoris capione.

PIGNORIS capio cum mulcta coniungi ſolet, eiuſque vt mulctæ, maximus eſt vſus, etiam ex-ra iuriſdictionis cauſſas. Nam & delicta iis mo-is coercentur: vnde mulctæ certatio, & ſimi-a apud Liuium, à quo & bona publicata damna-rum, pœnæ pignorata dicuntur lib. 19. Sed præ-ipuus tamẽ pignorum capiendorum vſus eſt ho-ie in exequẽda iuriſdictione contumaciaq; coer-enda. Iubet enim ſæpe magiſtratus pignora capi, c diſtrahi, cum in aliis cauſis, tum in primis ob res dicatas, ſi quis ſententiæ & rei iudicatæ non ſa-isfaciat. Atque in hoc differt hæc coercitionis pecies ab illa, quæ fit per miſſionem in bonorum oſſeſſionem: quod hęc locum proprie habeat ad-erſus latitantes, vel non defenſos; pignoris capio ere in iudicatos vſurpetur. l. item ait. §. hæc au-em. ff. ex quib. cauſ. maior. l. Fulcinius. §. 1. ff. qui-us ex cauſſ. in poſſeſſ. eat. Ex vtraque tamen cauſ-a pignus prætorium conſtituitur l. non eſt mi-um. ff. de pignor. action. l. 2. & 3. C. qui pot. in ignor. Sed ſpecialiter id, quod ex cauſſa iudica-i capitur, iudiciale adpellatur; vnde tituli in Co-ice diſtincti, vnus de prætorio pignore, alter, ſi x cauſſa iudicati pignus captum ſit; quod tamen & ipſum prætorium eſt, quia non niſi prætoris vel

magiſtratus imperium habentis iuſſu conſtitui poteſt. l. à Diuo Pio ff. de re iudic. quod ſi alicubi legatur iudicis iuſſu conſtitui, vt in l. ſi plus. §. 1. ff. de euiction. iudicem intelligere debemus magiſtratum, vt alias frequentiſſimum eſt, cum omnes magiſtratus etiam ſummi, atque etiam apud veteres iudicum nomine adpellentur. Sed de hoc vberius libro ſequenti, vbi de iudicibus dicam, & executoribus. nam per executores, atque officium ſimul magiſtratus hoc genere, id eſt, capiendis & diſtrahendis bonis ſententias exequuntur. ex quo quidam putant extraordinarium hoc remedium exequendi eſſe. Alii mirantur, & conantur explicare, cur extraordinarium ſit, vel dicatur in l. ſi pignora. ff. de euiction. vbi ſcriptum eſt, *ſi pignora veneant per adparitores prætoris extra ordinem ſententiam exequentes.* Sed negandum eſt, quod pro certo ponunt, eſſe extraordinariam hanc exequẽdi rationem. Eſt enim plerumque ſemper ordinaria. fit enim iure certo, recepto, ſæpe conſtituto, vt ait l. vlt. C. de execut. re iudic. ſæpe reſcriptis Imperatorum confirmato. l. 1. C. ſi ex fal. cauſſ. iudic. fit ex edicto: capiuntur, inquam, & venduntur pignora ex edicto l. 4. §. miles. cum ſimil. ff. de re iudicat. fit denique ſecundum formam iuris, vt eſt in dict. l. vlt. id eſt, ſecundum ordinem, & formam explicatam in l. à Diuo Pio, ff. de re iudicat. Non igitur extra ordinem, quamuis non ſeruetur is ordo, qui lege duodecim tabularum præſcriptus fuerat, nimis durus atque atrox. de quo Gellius lib. 20. cap. 1. ſeruatur tamen hic & melior illo, & vſitatiſſimus, & fere ſolus. nam miſſio in bonorum poſſeſſionem non ſolet adhiberi

res iudicatas exequendas,ſed magis aduerſus la-
ntes,nec condemnatos,vt dictum.Nec moueri
rbis d.l.ſi pignora debemus, non enim de puro
nudo executore intelligenda eſt, ſed de iudice
que arbitro ad exequendum dato l. ſi prætor. de
iic.l.vlt.eo.tit. in qua l.ſcriptum eſt,raro, & non
ſi re maxime vrgente debere adparitorem ſuum
iicem,atque arbitrum dare;alium quemuis præ-
re dare. Hoc eſt igitur quod d. l. ſi pignora. ait.
tra ordinem per adparitores ſuos, quia ordina-
im id non ſit, quia rarum, quia inciuile, vt l. vlt.
quod met.cauſ. Si hoc inciuile, quanto magis il-
l exiſtimari debet, pignora capta ob contuma-
m rei,cōcidere?Id enim ſolitum aliquando fieri
nagiſtratu, demonſtrat nobis Ciceronis locus
r.3. de Oratore, vbi Craſſus contra Philippum
onſulem ſic dixiſſe memoratur: *An tu,cum omnem
thoritatem vniuerſi ordinis pro pignore putaris, eamq;
conſpectu populi Rom. concideris, me his pignoribus exi-
nas poſſe terreri? Non tibi illa ſunt cædenda, ſi Craſſum
coercere: hæc tibi excidenda lingua: qua vel euulſa ſpi-
u ipſo libidinem tuam libertas mea refutabit.* Quo ta-
en ex loco ridiculum eſſe doctiſſimus vir ait,
di pignora conſueuiſſe colligere: cum cædere
c ſignificet conſumere, id eſt diſtrahere ac ven-
re.qua in re neminem ei puto adſenſurum & in-
te Craſſus, ſi figurate verbo concidendi vel cæ-
ndi eſſet in pignoribus vſus, ab hac figura aliam
guram duxiſſet, cum ad authoritatem Senatus à
hilippo conſciſſam id verbi vſurpauiſſet. Et quid
iremur Conſulem præſertim vehementem &
cauſſa publica id facere potuiſſe, cum legamus
l.Antonium Conſulem Ciceroni,quod in ſena-

tum non veniſſet, denuntiaſſe, ad eius ſe domum cum fabris venturũ, eamque diſturbaturum? Philip. 2. Inciuile id quidem ab Antonio factũ, & inuſitatum fortaſſe, vt Cicero contendit, nec tamen non iure licitum. Villas certe diſturbatas, & arbuſta excisa eius qui ad delectum non reſpondiſſet, iuſſu Conſulis legimus. Vt taceam etiam ab Ædilibus lectos in via publica poſitos, conciſos fuiſſe; quod & in ius noſtrum relatum eſt: & prætoris cuiuſdam curulem ſellam in foro à Conſule cõciſam, cum prætor aliam ſibi loris intentam poni iuſſit, tacite Conſuli exprobrans, quod is à patre aliquãdo loris cæſus dicebatur.

CAPVT XII.

De prahenſione & retentione corporis.

Corporis retentio vocatur in l. ſacrilegi §. vlt. ff. ad l. Iul. pecul. vbi cũ pignoris capione mulctæq; irrogatione coniungitur, pertinetque ſine dubio ad mixtũ hoc imperium. Quare omnibus magiſtratibus maioribus, quos habere imperiũ dicimus, id conceſſum fuit, vt in carcerẽ duci iubere poſſent l. 2. ff. de in ius voc. l. nec iniur. Gellius lib. 13. & plus videtur fuiſſe in ius vocare, quã præhendere: nã Tribuni pl. vt eſt apud eundem Gelliũ in ius vocare non poterant, præhendere tantũ poterant: quamuis alio eius rei cauſſa referatur. Nec illud obſcurum eſſe poteſt in cauſſis ciuilibus, id eſt, iuriſdictioni, de qua nunc agimus, exequẽdæ, hoc remedium adhibitum eſſe. Nam Paulus diſerte lib. 5. ſent. tit. 26. contumaciam carcere poſſe coerceri, & ſolere adfirmat: *Iudicati*, inquit, *etiam & confeſſi*, &

qui ideo in carcerem duci iubentur, quod ius dicen-
on obtemperauerint: quod etiam oſtendit l. iniu-
·um 13 §.ſi quis quod ff. de iniur. *Siquis*, inquit
ɔianus, *quod decreto prætoris non obtemperauerit du-*
ſ ſit: nō eſt in ea cauſa, vt agat iniuriarum, propter præ-
s præceptum. Sed quem intelligit Vlpianus non
ıeri iniuriarum? non enim prętorem certe, cuius
ecepto alium excuſari innuit. An executorē vel
torem? ne hoc quidem: quæ enim dubitatio de
eſſe poterat? Reſtat vt intelligat aduerſariū eius,
ıi ductus eſt: Sed in hoc etiam quænam dubitā-
ratio eſſe potuit? quare enim teneretur iniuria-
m ei? qui ductus eſt iuſſu prætoris & ob contu-
ıciam ſuam? Puto hoc Vlpianum velle etiam ſi
iuſtam cauſam litigandi habuerit, non teneri ta-
en eum iniuriarū, niſi calumnioſe fecerit. ſequi-
r enim ſtatim in §.3. ſi quis per iniuriam, ad tri-
ınal alicuius me interpellauerit, vexandi mei cau
potero iniuriarū experiri. Non ſatis habuit dice
per iniuriā, ſed addidit vexādi mei cauſa. hæc eſt
ıim calumnia l.1. & paſſim ff. de calumniat. At ſi-
: calumnia non facit iniuriā, qui iure publico vti
:r, neque.n. executio iuris habet iniuriā, vt antea
ıxerat. Illam priorē de magiſtratu interpretatio-
em adiuuat & illuſtrat Imp. Iuliani in Miſopogo-
e locus, vbi ſic ex perſona Antiochēſis populi lo-
uitur: λογίσασθε ἐχρῆν, ὅτι τῶν μὲν ἀδικημάτων οὐδ' εἰς
τιᾶται τοὺς ἄρχοντας, ἀλλὰ τὸν ἀδικήσαντα, ὁ δὲ ἀδι-
κῶν εἶτα εἰργόμενος ἀφεὶς μέμφεσθαι, τὸν ἀδικούμενον εἰς
οὺς ἄρχοντας τρέπει τὸ ἔχθος. Si Vlp. tēporib. vigeriſ
:t illa priſtina ratio l.12.tab. qua iudicati nō ſoluē
:s creditorib. addicebātur, potuiſſem' interpreta
i de hac priuata ductione, priuatoq; carcere, cum

domi creditoris debitor in neruo opus facere cogebatur Sed iam & edicto Seruilii Conſ.&L.Petilia Tribunitia aliiſq; abrogata ea lex fuerat. Emẽdandus hic obiter locus Liuii, vbi de iuuene ex creditoris domo profugerat, proceſſiſſe eũ in publicum ait, *cum omnibus maiorum ſuorum inſignibus.* Sed vnde is illa inſignia maiorum ſuorum tam ſubito arripuit, aut quî geſtare omnia potuit? Reſcribendum, mœrorum, vel malorum: quorum alterum Pflugio, alterum Grutero, amicis meis probabatur. Eleganter autem inſignia malorum aut mœrorum dicuntur illuuies, macies, vincula, atque compedes, & conſciſſum forte verberibus ſeruilibus corpus: quæ pali addicti & nexi ſolebant ſæuitia creditorum; ſed & fœdiora interdum, & quæ grauiora morte ciui Romano. Merito igitur mos ille ſublatus, aut certe non ita frequentatus, & diu intermiſſus. Nam Sex. Cæcilii IC. temporibus addictio & vinctio in vſu fuit, vt ipſemet teſtatur apud Gellium lib. 20. cap. 1. Vixit autem is ſub Hadriano, & Antoninis, vt & Hellius & Phauorinus Philoſophus, cum quo illic diſputat, vt non abſurde dici poſſit Vlpianum etiam in d. l. iniuriarum, hanc addictionem & ductionem priuatam intellexiſſe. Idemque & ex aliis teſtimoniis, quæ collegit in illuſtribus Hottomannus adparet, etiam Reipub. temporibus extremis necti & addici ſolitos; hinc leges Iuliæ debitoribus ſubuenernnt. Duæ enim fuerunt, vna de æſtimatione poſſeſſionum bello ciuili à C. Cæſare; de ceſſione bonorum, altera ab Auguſto, vt putant, lata. Sed prior illa vix illo ipſo tempore, quo lata fuit, valuit: Cælio in primis prætore aduerſante, qui poſita ſella prope C. Trebonii

ii tribunal ius de ea re dicentis, ſi quis ab eo ad
ſſet, auxilio ſe futurum pollicebatur. Qua de
a magiſtratu atque vrbe pulſus eſt à ſenatu, vt
net Cæſar libr. 3. ſcribit, qui ſummam æquita-
huius legis & decreti laudat. Illa de ceſſione
orum lex perpetuo in Repub. manſit, manetq;
e apud pleraſque gentes: ſed varie immutata
oercita vel amplificata, tum Impp. conſtitu-
ibus, tum inſtitutis populorum. De quo ceſſio
emedio ac beneficio (ſic.n. adpellatur, quod
eam & carceris & vinculorum & verborum
us depulſus eſt, poſtremo etiã ignominia, quæ
onem ſequebatur, Iuſtiniani conſtitutione
npta eſt iis, qui fortunę vitio non ſuo decoxiſ-
, bonamque copiam eiuraſſent, remiſſa etiam
ſſitate ceſſionis. Nouella cap. 35.) plurima o-
s generis ſcriptores, atq; in primis iuris ciuilis
pretes tradidere. Nos pro inſtituto noſtro ſa-
ixiſſe videmur.

CAPVT XIII.

De vinculis, carcere, de verberibus, & tormentis.

IVLTÆ fuerunt leges pop. Romani, quibus libertas & dignitas ciuiũ ita ſepta eſt, vt vin-
erberari, necari nefas fuerit, qua de re copio-
cimus in diſput. ad l. Porciam de ſuppliciis. ſed
re omnes, aduerſus vim atq; impotẽtiam ma-
atuum latæ ſunt, nec quicquam de iure credi-
m deminutum voluere. Vincula enim & ver-
, ipſamque corporis addictionem, quæ ſeruitu
oxima erat, ne eæ quidem leges ſuſtulere, quæ

ſuſtulerant, inualidæ aduerſus ius atque fidem rerum creditarum, quam præ cæteris gentib. Romanos coluiſſe, etiam authores Græci teſtantur. Hic de carcere publico, verberibuſque à magiſtratu inflictis cognoſcendū, ſint ne ea mixti huius, de quo agimus, imperii, hoc eſt, iuriſdictionis tuendæ remedia legitima? non enim modicæ, & ciuiles hæ coercitiones, ſed vehementes atque aſperæ videntur, & quę facinoribus puniendis potius, quam debitis, atque æri alieno dependēdo conueniat. Quo pertinet illa Cōſtantini Imperatoris celebrata ſententia; *carcer pœnalium, carcer noxiorum hominum eſt* l. 2. C. de exact. tribut. lib. 10. Sed ea lex de publicis, ſiue fiſci debitis eſt, in quibus carcerē & verbera remouet & facilius detrahi de iure fiſci, præſertim à principe, quam de iure priuatorum ſupra admonuimus. In priuatis igitur creditorum cauſis dubitari nō debet, quin carcer vſitatus fuerit exequendæ iuriſdictioni, nec ſolum vbi contemptus, & contumacia aduerſus præceptum ius dicentis vindicāda eſt, de quo ſuperiore capite dictum eſt, ſed etiam vbi ſatisfaciendum eſt, & conſulendum creditori. Conſulendum puta, ſi debitor malęfidei ſuſpectus de fuga, ſi nihil poſſideat, ſi non ſatis det, nec defendatur: merito in carcerem truditur: fugientem quidem debitorem etiam priuata authoritate comprehendere ac retrahere creditor poteſt l. ait prætor §. ſi debitorem ff. quæ in fraud. credit. quod eſt ex lege duodecim tabularum, multo magis igitur magiſtratus poterit id in quocunque, cui credi non poteſt nec debet. Satisfacere intelligo, rem iudicatam perſoluere. niſi enim ſoluat, nec habeat forte vnde ſoluat, carcere includi publico poteſt;

eſt: præſertim vbi ceſſionis beneficio locus non ſt, vel non cedit debitor l.1. C. qui bon. ced. poſſ. k ad hunc carceris publici vſum atque cauſſam eferenda eſt l. ſi victum ff. de re iudic. vbi datur ctio vtilis pœnalis ex l. ſcilicet Aquilia, vel actio iuriarum in eum, qui prohibuit ne iudicato vi-tus Aratumue inferretur. Hoc enim non poteſt e priuato carcere intelligi, quis enim eo prohi-eat in domum creditoris ne iudicato talia infe-antur? aut quis inferret inuito creditore? cui iu-:, id eſt lege duodecim tabularum permiſſum iit, tenuiſſime debitorem alere: Ni ſuo viuit. Qui im vinctum habebit libram farris in dies dato, volet plus dato. vt expoſui ad orationem D. larci de Alimentis; vbi Doctorum aduerſus Cu-cium ſententiam defendi, qui non patitur in d. ad verbum, *iudicato* (& in carcerem detruſo) ad-ci. Vincii autem qui in publico carcere eſt de-iti cauſſa, non debet. Atque hactenus probo, uod Accurſius in l.216. de verb. ſign. neminem, ui in carcere continetur, vinciendum eſſe ſcri-it: quod in reis criminum capitalium recipi non ebet. De verberibus videamus, quæ in priuata ncula debitoribus ductis infligi licuiſſe, antea emonſtratum eſt, multaque exempla docent: publica ductis, non putem. Cur enim magi-ratus fœneratorum illam ſæuitiam imitaretur? ominatur quidem à Iuſtiniano in dict. Nouell. 5. ἡ τοῦ σώματος τιμωρία, corporis pœna ſiue uciatus: ſed hoc de prætore carceris, & illu-e & victu miſero intelligendum, vt & in lege tim. C. qui bon. ced. poſſ. *Salua exiſtimatione, & mni corporali cruciatu ſemoto.* Quod ſi de verbe-

ribus accipiamus, nimirũ de creditoris, debemus, non magiſtratus intelligere. Nam quod ad conſtitutionem Valent. & Theod. attinet, legenti perſpicuum eſt eam ſingulare ius in ſingularibus caſibus cõtinere. l. 1. §. vlt. C. qui bon. ex Leg. Iul. ced. poſſ. Verbera igitur à iuriſdictione aliena ſunt, nec prętori, vt qui iuridicundo præeſſet, ius fuit, niſi forte in ſeruos & peregrinos. Quod tamen perperam nonnulli colligunt ex l. quod ſi minor. §. cum ſeruus ff. de minor. Nam de ſeruo ibi intelligendum eſt, quem priuato dominus verberandum exhibeat, deditionis euitandæ cauſſa, vt recte illic Cuiac. exponit ex l. ſed ſi vnus §. cum ſeruus ff. de iniur. Multo minus tormenta ad iuriſdictionẽ tuendam, vel neceſſaria ſunt, vel adhibẽda. Grauiſſima enim hæc atque aſperrima coercitio: & ciuem Romanum nulla de cauſſa torqueri potuiſſe conſtat, de quo in lib. ad l. Porciam. Imo nec ſeruos quidẽ in re pecuniaria ac ciuili torqueri poſſe, niſi cum de rebus hæreditariis quæritur, Paulus ſcribit libr. 5. ſen. tit. 15. l. vnius §. ſeruo & l. Diuus ff. de quæſt. l. vlt. §. licentia C. de iur. delib. Liberos vero nec in criminalibus torquendos eſſe, vt cogantur teſtimonium dicere, veriſſimum eſt: captis tantum pignoribus coerceri poſſunt, vt tradit Felin in cap. 1. de teſtib. cog. n. 8. & Albericus Roſatus in tractatu ſuo de teſtibus, vbi iudices imperitos, qui carcere ad id vtantur, reprehendit.

CAPVT XIV.

De infamia & pœna temere litigantium.

TRibvs modis temere litigantes coerceri, pœna pecuniaria, iuriſiurãdi religione, infamia,

tinianus ſcribit. Sed nõ hi tamen modi vel par-
proprie mixti imperii,quo ius dicentes tuentur
xequuntur iuriſdictionem ſuam. Etenim ma-
iudicii ſunt, quam iuriſdictionis: & lex ſiue ius
im,non magiſtratus,vel iudex,eas pœnas irro-
. Nam vt de infamia primum dicam, in priuatis
buſdam, & delictis,puta furti,iniuriarum,& a-
onibus,puta tutelæ,ſocietatis,mandati,depoſi-
irectis,pœna legis eſt,vt damnatus infamis fiat,
e vlla opera, imo dictione iudicis. Sequitur e-
n ipſa per ſeſe pœna damnatum. Sententia iu-
is in bona, & pecuniam fertur, famam non at-
git,nec tamen ſine ſententia & damnatione lo-
n haberet pœna legis. Nemo enim quantũuis
actionibus teneatur, niſi etiã damnatus (in de-
is depectũ eſſe ſufficit) ſit, hac pœna adficitur.
publicis iudiciis ſuo loco dicetur. Similiter pœ-
illa pecuniaria,quam dicitImp.Iuſtinianus ver-
i in iis actionibus,quæ inficiando creſcunt,non
illo imperio magiſtratus eſt,quo in exequenda
iſdictione vtitur, ſed à vi atque natura iudicii
it. Sicut & iuſiurandum in litem, quo coerceri
itur dolus, & contumacia non reſtituentis, vel
hibentis rem petitam iuſſu atque arbitrio iudi-
. l.tutor. & tot. tit.de in lit. iur. Idem & de iuriſ-
andi religione dicendum: quam aduerſus liti-
tores,eorumque aduocatos conſtituit,ne teme-
& calumnioſe lites moueant,ſuſcipiant,aut de-
idant. hæc quidem coercitio ne hominum qui-
m eſt,ſed Dei.l.2. C.de reb.cred. Illa potius pœ-
. quæ olim locum habebat, & in decimam par-
litis actores multabat, magis dici coercitio hu-
s mixti imperii potuit: mulcta enim adpellatur

§.2. d.tit.Inſtit. quamuis enim actio fuerit ea calumniæ, quæ aduerſus damnatum dabatur: non tamen minus coercitio magiſtratus eſt, à quo hæc actio danda fuit ad improbitatem petitoris coercendam. Sed pro ea actione introduxit Iuſtinianus iuſiurandum, & damna atque litis expenſas, atque hoc inſuper vt initio litis ſatisdet, ſe ſi litem amiſerit, decimam illam partem litis ſoluturum. Nouella 112. §.2. & ibi Cuiac. & lib. 6. obſer. Hæc pœna quæ cuiuis calumniatori, vel temerario litigatori in cauſſa ciuili infligitur, etiamſi nulla pecunia id adductus fecerit, diſtinguenda eſt ab ea, quæ edicto calumniatoribus propoſita eſt in quadruplũ intra annum, aduerſus eum, qui pecuniam accepit, vt alteri negotium faceret, vel non faceret l. 1. & tot. tit. de calum. qui vna & extra ordinẽ pro modo delicti puniri poteſt l. penult. eod. quod notandum eſt tum locum habere, cum ſub ſpecie criminis alicuius, vt eſt in d. l. tum pr. pecuniam acceperit ab innocente, multo etiam magis illud, quod ibidem ſcriptum eſt, *eum cuius de ea re notio erit, & pecuniam acceptam iuxta edicti formam reſtitui iuſſurum, & pœnam pro qua itate delicti irrogaturum.* Concurrit ergo ciuile hic iudicium cum criminali, idemque iudex de vtroque cognoſcit & ſtatuit. ſed cur ait, cuius de ea re notio eſt, cum iudices dati cognoſcere de criminalibus non poſſint, multo minus pœnam irrogare, quod eſt imperii meri? at iudex datus & mixto caret, omnique prorſus iuriſdictione l. à Diuo. de re iudic. l. vlt. C. vbi & apud quem. reſtit. Sed verum eſt ea verba, ad eum, qui de criminibus cognoſcere poteſt referenda eſſe, vt alias ſæpe. vel dicendum eſt ciuiliter de crimine

actum

ꝉum eſſe,puta furti, iniuriarum,vt Bartolus ſen-
:qui ait,eum iudicem poſſe etiam ex officio ſuo
iminaliter punire reum cõperto crimine; quod
›horret à legis illius ſententia,neque verum eſt,
.ıi merum imperium nõ habet, poſſe de crimine
›gnoſcere,nedũ ſtatuere,etiam incidenter. Vtra-
ıe autem pœna atque actio, quam calumniato-
bus in cauſa ciuili irrogari diximus, multum di-
at ab iis pœnis, quæ ex L. Rhemnia & ex Sena-
ıſconſulto Turpilliano infliguntur in publico ali
uo iudicio calumnianti, quarum in tit. ad SC.
'urpill.& alibi fit mentio. Illa notabilis differen-
a eſt,quod calumniæ in iudicio publico damna-
ıs infamis eſt: in priuato non eſt infamis, etiamſi
ı liberalibus cauſis ſit damnatus. l. qui calumnia-
›res. C. de cal. quod in eo qui pecuniam accepit,
t calumniaretur mirũ videri non poteſt. Eſt enim
oc impı obiſſimum hominum genus: & pecunia
ıget crimen ſemper in delictis, vt recte Baldus
otauit,& Sex.Cæcilius (qui Africanus noſter eſt)
pud Gell. lib. 20. cap. 1. non eſſe eam legem du-
ım dicendam putat,quę iudicem arbitrumue da-
ım, qui ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe
onuictus eſt, capite punit. Quod autem paulo
nte dixi, eum qui iuriſdictionem tantum, id eſt,
iuilium cauſarum cognitionem habet,non poſſe
le criminis quæſtione etiã incidenti cognoſcere,
'el ex eo manifeſtum fit, quod remitti etiã in cau-
is ciuilibus à prætore ad præfectum vrbi ſoleat,
ıui ob dolum vel aliam cauſam ſeuerius punien-
ıus videtur.l.1.§.ſolent.ff.de off.præf. vrb. l.vlt. de
ı ius voc. Grauiſſime igitur Bartolus idem hallu-
inatus eſt, qui in ſecundo gradu ſimplicis iuriſdi-

ctionis poſuit eas cauſas, in quibus ſententia lata ſuper actione ciuili & priuata poſſe ait perueniri ad pœnam corporalem propter inopiam rei condemnati, male accepto illo vulgari prouerbio: Qui non habet in ære, luat in corpore: quod in delictis, non in actionibus priuatis locum habet, vt leges illæ probant, ex quibus id colligunt, vt l. ſi quis. ff. de iuriſdict. cum ſimil. quem errorem & Curtius iunior ad legem, imperium. num. 131. recte notauit.

CAPVT XV.

Quædam falſo relata inter ſpecies mixti imperii.

DE miſſione in bonorũ poſſeſſionem, quod magnum remedium eſt exequendæ iuriſdictionis, vt mulcta, vt pignora, non hoc loco quamuis proprio, ſed infra exponam, vbi in vniuerſum de poſſeſſione bonorum danda, in quo conſiſtere mixtum Vlpianus ſcribit, mihi dicendum propoſui. Hic quædam, quæ vt ſuperiori capite allata, pleraque falſo imperii huius, & coercitionis modicæ partes numerantur, breuiter explicabo. Primum occurrit translatio poſſeſſionis, quę in actionibus in rem locum habet, vbi quis ob mendacium, quoniam ſe poſſidere negauerit, ita punitur, vt poſſeſſio ab eo in petitorem transferatur, atque ita fiat de poſſeſſore, non poſſeſſor, de reo actor, quæ certe non leuis pœna eſt. l. vlt. ff. de rei vindicat. pulchreque Cuiacius ad Africanum in expoſitione l. ſi priuſquam. ff. de nou. oper. nun-

tiat.

tiat. explicat. Eadem translatio locum habet &
ex cauſa contumaciæ, ſi quis vocatus in ius non
venit, res enim petita ab eo transfertur, l. penult.
§.penult.C.de præſcript. triginta annorum. Quibus in locis iudici tribuitur hæc poteſtas poſſeſſionis transferendæ. Ex quo colligi videtur non eſſe imperii & iuriſdictionis, quo iudices dati carent. Sed verius eſt in dict. l. vlt. de rei vindic. Iudicem pro magiſtratu & prætore accipi, vt aliis locis multis. In d. §.penult.aũt per iudicis ſententiam, quod dicitur obtinuiſſe poſſeſſionem rei, non id ſignificat, quaſi iudex ipſe tranſtulerit, atque ſententiam ſuam executus fuerit, ſed potius magiſtratus qui iudicem dedit, is & ſententiam eius exequitur l.à. Diuo Pio. ff. de re iudic. niſi & ibi iudicem intelligas prætorem. Illud conſtat, omnem executionem eſſe imperii, & per conſequens nulli iudici dato competere, quorum prius miror eſſe, qui admittant, iidem tamen quod conſequitur, negent. de quo maximas nugas apud Panormitanum legas in cap. ſi quis contra. in addit. vlt. ex. de for. competent. Quare hoc remedium inter prætoria ſane referatur, vt & miſſio in bonorum poſſeſſionem, cui hæc translatio ſimilis eſt, non tamen cum ea confundenda, vt infra ſuo loco dicetur. Sequeſtratio rerum litigioſarum, vel fructuum vero plane non eſt pars imperii mixti, non eſt remedium prætorium, ſed ad iudiciale officium pertinet: ſicut & iuſiurandum in litem, vel habere reum pro confeſſo, qui reſpondere ad interrogata, vel iurare de calumnia contumaciter recuſat. leg. de ætate. §. qui tacuit. Digeſtis de interrogat. action. l.2. §. ſin autem reus. Codic. de iur. calum.

excludere à iure probandi. l. non ex omnibus. ff. de recept. qui arbitr. recep. condemnare in expenſas litis l. ſancimus. Cod. de iudic. & ſi quæ ſunt ſimilia; hæc, inquam, non ſunt mixti imperii, nec executionis prætoriæ ſpecies. Nam ex officio iudicis pendent, neque habent executionem vllam adiunctam; omnia enim quæ in iudicio & cauſſæ cognitione contingunt, dicuntur ad officium iudicis pertinere, quod non conſiſtit in exequendo. l. Ædiles. §. ſciendum. ff. de ædilitio edicto. Nec ad rem pertinet, quod contumacia iis modis coerceri dicatur, quia non eſt hæc propria, & vera coercitio, de qua nos hic agimus, vtpote cum per eam nihil cogatur reus facere aut pati: ſed eo omnis ſpectat ac dirigitur, vt contumax condemnetur. Condemnatio iſta eſt iudicis cuiuſuis: de qua enim re quiſque cognouit, de eadem pronuntiare cogitur. l. de qua re. ff. de iudic. At vero executio condemnationis & ſententia non eſt pedanei vel ſpecialis iudicis, ſed magiſtratus duntaxat, qui eum dedit. l. à Diuo Pio. de re iudicat. Simili in errore verſatum Duarenum reperio, quem diligenter refutauit Donellus in commentario de iureiurando, capite decimoquinto, numero quarto, De excommunicatione ita eſt: ea tanquam telo in omnes contumaces Eccleſia vti ſolet, etiam in iudiciis, cap. vlt. extra. vt lit. non conteſtat. vt olim Druidæ illi Gallorum, teſte C. Cæſare de bello Gallic. Nam magiſtratus ciuiles non perinde vti ſolent, aut debent hoc remedio, præſertim cum eius legitimus vſus longe alius ſit, qua de re etiam Medici, non ſolum Iuriſconſulti & Theologi diſputarunt. Excommunicato

ıicato tamen denegari agendi facultatem, non
tiam excipiendi,& defendendi ſui, quoniam hoc
ıris naturalis ſit, vulgo inter Doctores receptum
ſt. Idemque de Proſcriptis ſiue Bannitis tradunt,
e quibus non omittam dicere, etiam Bannum in-
er remedia prætoria ad coercendam contumaciã
omparata, à Bartolo & aliis referri, ea ratione,
uod Bannum mulctæ æquiparetur, vt tradit Ac-
urſius in l. prima §. ex hoc reſcripto. ff. de inſpic.
ent. & in l.3.§. ergo.ff. de ſuſpect tutor. De aduo-
atorum coercitione, puta, aduocationis & fori
ıterdictione, quam ſolemnem pœnam, & foren-
s togæ honoris priuationem, & inconſultæ lin-
ıæ precium (nam ob maledicentiam plerumque
ıfligitur) Symmachus in Epiſtolis vocat, leges et-
m noſtræ cauerunt, vt l. prima. ff. de offic. pr. l.
ıoris. ff. de pœn. l.1.6.C. de poſtulando. Caninam
oquentiam in hac re Quinctilianus ex Appio,
: alii dicunt. Idque vitii non aduocato ſolum, ſed
qui aduocato tali vtitur, exprobratur. Legi enim
'aſſium Seuerum, cum prætor eum obiurgaret,
uod aduocati eius cuidam Cæſaris amico Epi-
ıreo conuicium feciſſent, Neſcio, inquit, qui
ɔnuiciati ſunt: & puto Stoicos fuiſſe. Quintiliano
ɔ.6. authore.

CAPVT XVI.

Verbis, imperio, minis, coercere. Præcepta pœnalia.

MINIME dubium eſt, quin cuiuis non mo-
do magiſtratui, ſed etiam iudici liceat con-
maces vel irreuerentius agentes vel alias delin-

quentes aſperioribus verbis coercere: nec ea de cauſſa vlla ſit iure ciuili actio iniuriarũ, aut alia aduerſus eum propoſita. nam iure licito, & iure honoris, vt ait l. continet. §. 1. ff. quod metus cauſſa, id facere intelligitur. Magiſtratus Romani non voce modo, ſed etiam bacillis lictorum in ſummouendo, ſilentioque, cum ius dicerent, imperando vſi, vt de C. Verre apud M. Tullium legimus. Quo pertinet illud hominis Rhodii, qui ad lictorẽ Prætoris Romani clamantem & ferocientem, Non curo, inquit, tu quid clames, ſed iſte quid taceat. teſte Plutarcho in libro περὶ ἀοργησίας. In verbis etiã proprium imperiũ elucet: vnde imperium ſæpe pro voce magiſtratus ſeueriori capitur, vt cum idem Cicero expuliſſe Catilinã pene imperio dicitur, id eſt, oratione. Et Gabinius eodẽ modo L. Lamiam eq. Romanum, quem in concione relegarat vno verbo. Similiter Arnobius lib. 2. adu. Gentes de Chriſto loquens, *verbo ſolitus imptrioque ſanare*, inquit. Quod Cyprianus libello de Idolorũ vanitate, *verbo & vocis imperio*. De minis extat Tit. lib. 7. C. eas vim rei iudicatæ, atq; executionem nõ habere, niſi cum pro Decreto habetur, vt in ſpecie l. tutor qui repertoriũ. §. ſi deponi. ff. de adminiſt. tut. niſi dicas poſt comminationem etiam decretum interceſſiſſe, quod d. l. non exprimit, ſed comminationem ſolã pro decreto accipit. ſed hæc quidem legitima ac licita ſunt. Cæterum à minis contumelioſis præſertim ſeruilibus abſtinere omnes, in primis iudices debent. Dico, ſeruilibus, quales animaduerti habitas olim fuiſſe, ſi quis *malum alteri minaretur*. Quod cum M. Poſtumius Trib. mil. cõſulari poteſtate, militibus ſuis minatus eſſet (di-

xit

:it enim, malum militibus meis,niſi quieſcant)ab is, incendente Trib. pl. interfectus eſt, vt legitur .iuii lib. 4. Neque aliter accipias verſum illum Saturnium Metelli conſulis,quo ſe ſuoſque vltus adierſus petulantiam Næuii poetæ dicitur. *Malum labunt Metelli Næuio poetæ.* nam vt ſeruo minatus :ſt, cum is de Metellis ſcripſiſſet; *Fato Metelli Romæ iunt Conſules.* Quo alluſit Cicero in II. Verr. *te non ato, vt cæteros ex veſtra familia,*&c. vt notat Pædianus. Contra autem minari liberis ita ſolebant, *Meius erit quieſſe.* Vt Appius, Liui. libr. 3. vel, *Non erit nelius,&c.* Sic Horatius, *melius nō tangere clamo.* Holie principes inclementiam ſuam minari conſueierunt,quibus irati ſunt. Eodem modo Græci, vt mp. Iulianus *Ἀμελοιώτης δ' αὐτ(ῆς)* (matris Deorum) *ὐκ ἀμέμπτοι μόνον, ἀλλὰ πικρὸν εἰπεῖν μὴ καὶ τῆς γῆς ἡμῶν ἀπολαύσωσι δυσμενείας* in epiſ. Ad hunc lo:um pertinent quoque pracepta pœnalia,quę no:tri Doctores adpellant, de quibus videndus eſt Iaon ad l. vn. ff. ſi quis ius dic. non obtemp. &plenius id l. nec quicquam §. decretum ff. de off. proconſ. *Reſcripta minacia* Imperatorum vocat in Diocletiao Aurel. Victor, in Theodoſio, *ſeuera præcepta*: Sed alio ſenſu. Exemplum horū præceptorum illuſtre videas apud D. Ambroſiū lib. 2. de off. cap. penul. vbi de depoſito quodam viduæ in Eccleſia Ticinenſi, quod Imperator reſcripto &pręcepto (vt ibi vocatur) auferri, & vindicari ſibi cupiebat: quod tandem remiſit. *Sed cum obreptio,* inquit, *tentata eſſet, præuenit ſanctus Epiſcopus, vt redderet viduæ, quod acceperat.*

CA-

CAPVT XVII.

De manu militari & inciuili executione.

MANVS militaris mentio fit his locis l. qui reſtituere. ff. de rei vin. l. pen. ff. ne vis fi. ei, qui in poſſeſſ. l. 2. C. de his qui latron. & forte aliis. Executio militaris dicitur in l. 5. C. de iuriſd. & diſtinguitur à propria magiſtratus executione, quæ ſcilicet per officium, hoc eſt, per miniſtros, & apparitores magiſtratus fit. Non probo quod quidam opinatur, lictorum miniſterio milites fungi ſolitos, in officio Proconſulis: niſi forte in ſupplicio ſumẽdo, vt apud Prudẽtium in martyrio Vincentii, ibi: Hæc iuſſa quidam militum. Alii ſunt ſtratores, de quibus in l. 4. de off. proconſ. Imperatores quidem militibus imo centurionibus non pro lictoribus, ſed pro carnificibus vſi videtur, cum in aliquem ſine iudicio animaduerterent, in quo ſibi illi proſpicere ſolebant accepto ab Imp. libello, quo cædes iniungebatur: ſolemne autem cæde patrata fuit, vt illis verbis Imperat. ſignificarẽt, *factum eſſe quod imperaſſet*, idq; ex more militię. Tacitus, Herodianus, alii teſtes. Neq; hoc inſtitutum quamuis ſęuum, & cruentum, ſemper iniuſtum, non certe tum, cum eius, in quem ſic conſulitur, nimię opes ſunt, quam vt iudicium de eo exerceri ſine periculo ſummo poſſit. Sic iuſte Aſiaticus ab Imp. Claudio denegataSenatus copia, intra cubiculũ auditur; Tacit⁹ lib. 11. Sic Tiberius Seianum. Sic Antoninus Seuer. filius Plautianum: ſic Seruil. Ahala Sp. Melium, Alexander rex Parmenionem, alii alios repẽte & indicta cauſſa occiderunt. Sed hæc publica ſunt neque ius ciuile magnopere attingũt. Manus igitur militaris

aris varie in iure aliis locis accipitur. nam in d. l. 2. auxilium militum ſignificat, quod Tribunus vel alius præfectus debet adcommodare magiſtratui ad latrones capiendos, & continendos, vbi ſcilicet, ciuile adminiculum, vt ibi dicitur, ſufficere nõ poſſe conſtiterit in d. l. qui reſtituere, & d. l. pen. ſtipatores, & cohortem prætoriam, maiorum magiſtratuum: de qua multa Cicero 2. Verr. vbi & manum prætoris appellat. Prætoris poteſtatem ordinariam Vlpianus in l. 1. §. 2. ff. ſi ventr. nom. mul. in poſſ. Canonici iuris Doctores brachiũ ſeculare vocant: quod implorare iudices eccleſiaſtici ſolent aduerſus contumaces, quos aliter coercere non poſſunt, vt ſententias ſuas exequantur ca. quoniã. & ibi Dd. extra de offic. iud. ordin. Nunc de vſu huius coercitionis, ſiue imperii videamus. Eum ego duplicem animaduerto: vnum ciuilem & ſemper iuſtum, alterum inciuilem, nec tamen ſemper iniuſtum. Inciuilis ſimul & iniuſtus eſt, qui proponitur in l. vlt. §. 3. ff. quod met. cau. vbi prætor nulla cauſæ cognitione adhibita, petente aduerſario, qui ſibi aliquid deberi dicit, exactionẽ crediti adparitori ſuo delegat: quod palam iniquum eſt, vt ibi ſcriptum eſt, inciuile: cũ cognitio cauſæ præcedere debeat, inde ſententia, inde executio ſequi l. 1. C. de execut. rei iudic. Sic C. Verres ſæpe à M. Tullio accuſatur, quod adparitores ſuos, alioſue ex ſua cohorte Decumanis adcommodauerit ad exigendas decimas, vexandoſque aratores. Inciuilis etiam vſus eſt, nec perpetuo tamen iniuſtus, cum prætor re cognita & iudicata, ad eam exequendam dat adparitorem ſuum vice iudicis ſiue arbitri, quod raro, & non niſi vrgente neceſſitate magiſtratus fa-

cere

cere debere dicitur in l. vlt. ff. de iudic. Ordinarium & ciuile eſt, alium quemuis arbitrum rei iudicatæ dare. Extraordinarium adparitorem dare: quod interdum tamen recte fit, ſic intelligendam eſſe l. ſi pignora ff. de euictiõn. ſupra docui. De executione & arbitris, qui rebus iudicatis dantur. copioſius infra libr. 2. à me dicetur. Inciuilis eſt etiam & extraordinarius adparitorum vſus, vbi ciuile aliquod & ordinarium remediũ adeſt, à quo non ſit æquũ recedere, vt in d. l. 1 § 2. ff. ſi mul. vent. nom. vbi ſcriptũ eſt, melius & ciuilius Prætorẽ facturum, ſi non manu miniſtrorum cogat de poſſeſſione decedere, ſed poſſeſſorem ad ius ordinarium per interdictũ remittat. Interdum tamen non modo neceſſitas, ſed etiam æquitas poſtulat, vt magis manu & imperio vtamur, quam iure ordinario, vt ſcribit IC. in l. 3. ff. ne vis. fie. ei. & in d. l. qui reſtituere. de rei vind. l. is cui §. miſſus ff. vt in poſſ. legat. nom. At in pœnis imperio vti, vel imperioſum eſſe, in malam partem ſumitur, quamuis nocens id mereatur. Varro de vita pop. Rom. lib. 1. *Metium Suffetium propter perfidiam interemit pene imperioſius, quam humanius. Nam equis ad curriculum ex vtraque parte deligatum diſtraxit.* Quid eſt pene imperioſius, quã humanius? Liuius interpretatur, qui huius pœnæ exemplum, *parum mem r legum humanarum* appellat. Illa omnium maxime inciuilis ratio videtur, & iniqua, impetum in debitoris, vel alias ſuſpecti domum facere, libroſque perſcrutari, aliaque ſecreta. De quo legi apud D. Hieronymum, quod memoria digniſſimum eſt Epiſt. 101. *Quid apud homines, inquit, tutum erit ſi ne parietibus quidem & ſcriniis noſtra poſſumus ſecreta celare? ſi ante tribunalia iudicum hoc*

vobis

bis crimen impingerem, reos leg bus ſubiugarem, quæ iam pro vtilitatibus fiſci noxiis delatoribus pœnas ſtaunt, & cum ſuſcipiant proditionem, damnant proditom? Lucrum *videlicet placet, voluntas diſplicet. Dudum tychium virum conſu atem, con ra quem patriarcha amaliel, grauiſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius inceps capite damnauit, quod ſollicitato notario chars illius inuaſiſſet.* Notent *magiſtratus.*

CAPVT XVIII.

Diuiſio Iuriſdictionis.

VRISDICTIONEM mixtumq; imperium in cauſis ciuilibus & pecuniariis verſari, ſupra demontatum eſt. Ex quo vetus illa diuiſio ſumpta eſt iuſdictionis. Alia enim voluntaria, alia contentioſa icitur l. 2. ff. de off. proconſ. quæ & vulgo ab interetibus recipitur. Quamuis huic diuiſioni Baldus atutariam neſcio quam, Donellus mixtã adiiciat, uam in tutoribus vel curatoribus dandis cõſumi ribit. vterq; perperam, certe non neceſſario. Pramatici vero etiam ineptius, qui iudicium aliud oluntarium, aliud neceſſarium faciunt: quod iuſdictionis erat, ad iudicium transferẽtes. Iudiciũ mne & contentioſum eſt, quia de lite aliqua & re õtrouerſioſa (vt Liuius loqtur) eſt, & neceſſariũ, uia in inuitos redditur. l. inter ſtipulantẽ §. 1. ff. de erb. oblig. Negotia ciuilia, in quibus verſatur iuſdictio, partim lites & controuerſiæ ſunt, partim iles res atque cauſæ, quæ inter volentes, abſque lla controuerſia imperio magiſtratus expediun-

tur.veluti,adoptio,manumiſſio,emãcipatio, tranſactio de alimẽtis,aliæ de quib.infra exponã.Quod aũtPomp.in l.2.ff de orig.iur. ſcribit,legũ actiones vocari,quib.inter ſe ciues diſceptant,i.e.litigant,id non ita accipiendũ eſt,quaſi cõtentioſæ ſolũ & diſceptatrices eſſent legũ actiones, nullæ volũtariæ. Conſtat.n. & de voluntariis cauſis eſſe legis actiones proditas,vt de adopt.l.2.De off.proc.l.1.de off. iuriſd.l.1.C.de adopt.Sed quia nõ generaliter legis actiones definire voluerit;vel quia(vtputo) magis ac frequẽtius iuriſd.magiſtratuũ in litib.diſceptandis cernerẽtur:vnde Cicero *litium actiones* appellat in Muræniana.quid?quod actorũ iudicialiũ appellatione ẽt ea cõtinentur, q̃ ad iuriſdictionẽ voluntariã ptinent:vt apud Iaſonẽ legere memini:& ſentire Iuſtin.mihi videt̃ in Nou 15. de defenſ.§.&agi. eũ ſcribit,*Nemo prohibeatur agere apud defenſores quadã monumenta,in quibuſcũq; voluerit,præter illa ſola,quæ iuriſdictione egẽt, & ex ipſa iudicum authoritate pendent.* Neq;.n.hæ voluntariæ cauſæ nõ ad iuriſdictionem magiſtratuũ ptinent ꝓprie: Antonioq; Gouea.auſcultandũ nõ eſt,qui ad l.1.ff.de iuriſd.nõ ad ꝓpriã, ſed aduentitiã põtatem magiſtratuũ refert tutelã, alienationẽ pdii minoris,tranſactionẽ de alimẽtis, ſerui minoris manumiſſionẽ:eãq; aduentitiã poteſtatẽ in reb.à iuriſd.alien.verſ.ſcrib. Nec meli⁹ Cynus in l.1.C.de emãc.liber.Scribit,eũ q iuriſdictione vſus ſit dũtaxat circa adoptiones&emancipationes,nõ retinere ea q̃ ſunt mixti &meri imperii argumento vulgari & inepto nimis à ſeruitutib.& ſimilibus ducto l.ſtillicidii ff.quem.ſer.am. l. ſi prius ff. de aq.plu.arc.Alii acutius,alia legis, alia iuriſdictionis eſſe aiunt.Legis,veluti tutorem dare, quod ne-

ue imperii, neq; iuriſdictionis eſſe Vlpianus ſcri-
it in L.muto §. tutoris de tut. ꝗ infra diluemus,ad
rationẽD.Marci deTutoribus dandis,vbi &alio-
ım ſentẽtias refellemus. Nunc videamus, quæ in-
:r cõtentioſam & voluntariã iuriſdictionẽ diffe-
:tia ſit.Cuia.in No.95. in eo multũ diſtare ſcribit,
› contẽtioſa tribunal exigit, volũtaria exercertur
e plano.Puto eũ ſcripſiſſe,exerceri ẽt de plano,aut
c intellexiſſe.Nã certe non omnis iuriſdictio vo-
ıntaria de plano exerceri põt: veluti alienatio p̃-
.iorũ minoris,q̃ tribunal & cognitionẽ deſiderat,
toris vel p̃ſidis. horũ.n. decretũ requiritur paſſim
it.4.ff.de reb.eor.& tit. C.de præd. minor.de qua
e j. plurib. Nec pendet illa differẽtia inter cauſſas
uriſdictionis volũtariæ,ꝗ q̃ de plano exerceri poſ-
ünt,nec tribunal deſiderãt,veluti,emãcipatio,ma-
ıumiſſio, ꝗ vel in itinere poſſũt à magiſtratu ex-
›ediri l.2.ff.de of.pc.imo & à ꝓcõſule,anteq̃ in ꝓ-
ıinciã ſuã venerit,ꝗ dici nõ poteſt de iis,q̃ tribunal
leſiderãt. Eæ.n.ex hac re ſimiles ſunt cauſſis iuris-
lictionis contentioſæ, q̃ non põt à proc. niſi in ꝓ-
ıincia ſua exerceri,& cauſſa pro tribunali cognita.
:ſt & illa differentia, ꝗ in iuriſd. contẽtioſa magi-
ſtratui,puta conſuli,vel p̃tori pmiſſum eſt,ſeſe mi-
ıoris vel æqualis iuriſd.ſubiicere l.eſt receptũ ff.de
uriſd.l.ille à quo.ff.ad SC.Tre.l.4. de recep ꝗ arb.
At nõ idẽ eſt in iuriſd.volũtaria, vt bene ad d. l.eſt
receptũ,Accur.&Gou.notãt l.apud te ff.de manũ.
Et ratio optima:ꝗa litigare p aliũ liceat;adoptare,e-
mãcipare,alia talia agere p aliũ nõ poſſumus l.poſt
mortẽ §.nec adopt.ff.de adop. Maiorẽ vero magi-
ſtratũ ad minorẽ venire,indecorũ&maieſt.minuẽ-
dæ. Quod nõ debet neq; ipſi licere magiſtratui, &
iure ob id maieſt.accuſat' videt' ille Corn.Trib.pl.

quod Codicem ipſe in concione legiſſet: quem Cicero defendit.

CAPVT XIX.

Cauſæ iuriſdictionis voluntariæ quæ tribunal & decretum requirunt.

PRima eſt alienatio prædiorum minoris. Hæc enim alienari, vel obligari nõ poſſunt, niſi prętor vel præſes prouinciæ cauſſa cognita, id pro tribunali permiſerit, id eſt, vno verbo decreuerit. Sed & Princeps id dari ſolet. l. 1. & paſſim C. quando decre. opus non ſit. Sed principis permiſſus non videtur fieri, cũ decreto vel cauſſæ cognitione, quia in l. 2. d. tit. dicitur ea conceſſio accedere ad inſtar præſidialis decreti: & ita Salycetus & alii notant, conceſſionem Principis etiam per reſcriptum factam tantum valere ad alienationem, quãtum valet magiſtratus decretum. quod verum non puto. Sed in Principe etiam locus videtur eſſe illi ſententiæ: quæ decretum deſiderant, per libellum & reſcriptum expediri non poſſunt. l. omnia ff. de R. I. l. ne quiſquã §. vbi decretum ff. de off. proconſ. ſine cauſſæ quidem cognitione nec ſolet, nec poteſt princeps ratam alienationem efficere: neq; id maieſtate eius indignum eſt. Hinc libri illi Pauli, Decretorum ſiue imperialium ſentẽtiarum in cognitionibus prolatarum. Quãuis enim ſummus princeps non ſit adligatus ordini iudiciorum, tamen eum libenter ſequi ſolet, vt & ſummus Pontifex cap. ex cauſſis. ex. de re iud. c. cũ delicti ex. de dol. & contumac. præſertim vbi de cauſſæ cognitione agitur & re magni momenti, & ad pupillos

ſimi-

ſimileſue ſpectâte. Quare præcipuam eorum curam ſe gerere Imperatores ipſi teſtantur. Nouell. 72. in princ. l. 2. §. Diuus. qui pet. tut. vel cur. Secũda ſpecies eſt, manumiſſio ſerui à minore viginti annis facta, neque enim valet, niſi cauſſa manumiſſionis anteâ in conſilio probata fuerit, cui conſilio Romæ prætor vel conſul, in prouinciis proconſul, vel pręſes pręerant, quod l. Ælia Sentia cautum eſt. §. eadem. Inſtit. quibus ex cauſſ. manum. non lic. Vlpianus tit. 1. Reg. & Theophilus in d. §. Inſtit. Et de hac capiendus Suetonius in Galba, vbi ait: cum quaſi manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal. Plutarchus addit, edicto diem indicaſſe. Tertia ſpecies eſt, tranſactio de alimentis teſtamento relictis, de qua extat oratio D. Marci, & SCtum ad eam factum l. cum hi. 8. ff. de tranſact. Hæc enim non aliter rata eſſe poteſt, quam ſi prætore auctore facta ſit, neq; prætore aliter, quam ſi eam cauſſę cognitionem adhibuerit, quam oratio requirit d. l. 8. in princ. & §. ſi prætor. vt pluribus explicaui in libro ad eam orationem. Eſſe autem iuriſdictionis voluntarię illa verba Vlpiani in prin. d. l. ſignificant. Solet igitur prætor interuenire, & inter conſentientes arbitrari, an tranſactio & quæ admitti debeat. Quarta ſpecies eſt tutoris datio. Sed de ea controuerſia magna eſt, non ſolum an ſit iuriſdictionis voluntariæ: ſed omnino an ſit iuriſdictionis. Negare enim id Vlpianus clariſſime videtur in l. muto. § tutoris. ff. de tutel. in fine huius libri dicetur: vbi eiuſdem Marci orationem de iure dandi tutores exponam. In his igitur & decretum cauſſæque cognitio diligens, & tribunal requiritur. Sunt alia in quibus tribunal requiritur,

nō etiam decretum vel cognitio cauſſæ neceſſaria ſunt. Qualia cum magiſtratus tractant,non ſolent ſemper attenti eſſe, quamuis pro tribunali ſedeāt. Vt Cicero Proconſul Ciliciæ lib. 5. ad Attic. epiſtolarum 20. *Cum hæc ſcribebam*, inquit, *in tribunali res erat ad HS*. 120. Hinc exercitum in hiberna agri mali pacati deducendum Quinto fratri dabam. Et his temporibus competum eſt in magnis Dicaſteriis, dum acta præſertim prolixiora leguntur, Adſeſſores alia ſæpe agere.

CAPVT XX.

Quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ, in quibus decretum non requiratur.

Atqve hæc quidem decretum & cognitionē magiſtratus requirunt. Alia ſunt quæ de plano tranſigi poſſunt, nec magna cauſſæ cognitione egēt, vel potius nulla egent. Quo in genere primū locum obtinēt adoptio, & emancipatio. Adoptionem conſtat imperio magiſtratus fieri l. 2. ff. de off. Procōſ. Sed adrogatio fit Principis auctoritate, vel vt olim populi comitiis curiatis d. l. 2. de adopt. Cicero pro domo. Sed adoptio cauſſæ cognitionem non deſiderat, niſi ſi pupillus paterfamilias adrogetur l. ſi paterf. 15. cum ſeqq. ff. eod. tit. olim requirebat, vt eſt in d. orat. pro Domo Vtraq; tamen eſt legis actio, vtraque ad iuriſdictionem volūtariam pertinet d. l. 2. ff. de off. Proconſ. nam & imperio magiſtratus vel Principis fit, & fit inter volentes l. in adoptionibus. ff. eod. tit. Nemo enim inuitus adoptat vel adoptatur: neque iudicium aut lis vlla de his rebus inſtituitur: & ſingulare eſt, quod in hiſto-

ria

ria Hungarica Antonii Bonfinii legi, MatthiāCoruinum clariſſimum Hungarię regē à Friderico III. Imperatore adoptatum eſſe ex decreto iudicum vel commiſſariorum (ſiue is vnus fuit) ſummi Pontificis. Poteſt & adoptio fieri teſtamento: ſed ea adoptio non valet, niſi confirmetur à populo, vel à principe: ſicut Octauiani, quem Cæſar teſtamento adoptauit; de quo Dio, & alii ſcribunt. Adoptionē autem inter legis actiones numerari notiſſimū eſt ex iure noſtro. Vopiſcus in Aureliano: Iube, vt lege agatur, ſitq; Aurelianus hæres ſacrorū nominis, & bonorū totiuſq; iuris Vlpio Crinito. Sequitur emācipatio liberorū, quæ & ipſa legis actio eſt, & imperio vel auctoritate magiſtratus fieri, ac iuriſdictionis eſſe volūtariæ dicitur. d. l. 2. de off. Proconſ. neq; vlla cauſæ cognitio in ea adhibetur, & volens à volente emancipatur l. non poteſt. ff. de adopt. l. 3. l. 4. C. de emanc. Dixi magiſtratus, quod intelligendū eſt etiam de municipali l. 1. C. eod. ſi tamen lex municipii eam poteſtatē Duumuiris dederit. vt ait l. 1. C. de emancipat. liber. manumiſſio quoq; ſeruorū, quæ apud prætorem fit per vindictam, nullā requirit cauſæ cognitionē, nullumq; decretū. Eſt enim voluntariæ iuriſdictionis d. l. 2. & l. vlt. C. de emanc. & Nou. 81. excepto; ſi minor 20. ann. ſeruū ſuū manumittat: Atq; hæ ſunt veræ ac propriæ iuriſdictionis volūtariæ cauſæ. Sed vulgo huc referūt et inſinuationes teſtamentorum & donationū, de quib. in l. cōſulta. C. de teſta. & in l. in hac. C. de don. male: neq; enim in his rebus iuriſdictio vlla, vel auctoritas magiſtratus imperiūq; verſatur non magis fere, quā ſi pecunia à debitore offeratur in iudicio creditori moroſo, & deponatur, quę depoſitio pro

ſolutione cedit.l. adeptam. C. de vſur. Sed nullo argumento melius refutantur,quam ipſa Nou. 15. de defenſor.§. & agi.quo Accurſius & Bart.aliique nituntur, vt oſtendant defenſores ciuitatum, qui ſunt magiſtratus municipales,vt Duumuiri,habere omnia quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis.Nam in d.§.diſerte cautum eſt, apud eos fieri poſſe inſinuationes teſtamentorum & aliorũ monumentorum,idemq; in fine repetitur : ſed exceptio tamen adiicitur,quæ hanc controuerſiã dirimit.Ait enim Imperator,nemo prohibeatur agere apud defenſores quædã monumenta ex quibuſcunq; voluerit, præter illa ſola, quæ iuriſdictione egent, & ex ipſa iudicum authoritate pendent. Separat igitur inſinuationes illas à cauſis iuriſdictionis, & quod ait non poſſe,quæ iuriſdictionis ſunt,agi apud defenſores,nõ præciſe ab eo dictum eſt. ſed addit, & ipſa iudicum auctoritate pendent,id eſt,magiſtratuum pop. Ro. ſiue maiorum & ICtorum:nam municipales non ſunt iuſti magiſtratus. Quare, adoptio, emancipatio,manumiſſio apud defenſores fieri nõ poſſunt,cum non ſit apud eos tanta iuriſdictio,vel legis actio.l.pen & vlt.C. de emanc.lib. l. vlt. C. de vind.lib.quamuis iudicandi de quibuſdã negotiis põtatem habeãt §.&iudicare.d.No.15.vbi quod in Græco cõtextu eſt δικάζειν Haloander perperã vertit,ius dicere,notatus ob id ab Ant. Contio:neque enim ius dicentis adpellatio facile tribuatur magiſtratui municipali arg.tit,& l.1.ſi quis ius dic.nõ obtem.Alia cauſa mihi videtur publicationis teſtam. hæc quodãmodo ad iuriſdictionẽ voluntariã pertinet:neq; enim aliter fieri poteſt, quam apud magiſtratum ſiue iudicẽ competẽtem,eiuſq; imperio.

Quare

Quare et apud magiſtratum pro tribunali ſedentē petitur apertio, publicatioq; tabularum. l.1.l.2.C. queād. teſtam.aper.l.4.ff.eod. Et in vrbe id ius fuit ſoli magiſtro cenſus l.2.l. conſulta.C.de teſta. Hæc publicatio dicitur etiam inſinuatio vt d. l.conſulta ſicut inſinuatio, etiam publicatio l. omnium.in pr. C.eod Sed proprie vel ſpecialiter inſinuatio eſt,cū quis teſtamentum facit apud acta cuiuſuis iudicis ſedentis voluntatem ſuam nuncupando,& in acta referri petendo d.l omnium. Publicatio eſt,cum hæredes teſtamentum defuncti aperiri & publicari petunt.

CAPVT XXI.

De bonorum poſſeßionibus.

PRIMVM intelligendum eſt,aliud eſſe bonorum poſſeſſionem dari,aliud in bonorum poſſeſſionem mittere. Vtrumque eſt iuriſdictionis,& mixti imperii l.1.l.3.l.4.ff.de iuriſdict. Sed datio pertinet proprie ad ſucceſſiones prætorias: vnde bonorum poſſeſſio ab Vlpiano definitur ius perſequendi,retinendiq; patrimonii,ſiue rei,quæ cuiuſq; cū moritur,fuit,l.3.§.bonorum.ff.de bon.poſ. Miſſio pertinet ad iudicia atque lites, & decernitur aduerſus contumaces vel latitantes, abſentesue, vt infra exponetur. de qua re agitur lib. 42.ff. vt quib.ex cauſ. in poſ.eat.&tit de reb.auth.iud.poſſid.cum de bonorum poſſeſſionibus agatur lib. 37. quamuis & miſſio in poſſeſſionem interdum in ſucceſſionib. quoq; vſurpetur, vt cum ventri bonorū poſſeſſio datur. dicitur enim in poſſeſſionē mitti, & generaliter in tit.Inſtit. de bon. poſſeſſ. in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur, imo & translatio poſſeſſionis, quæ ex actore reum facit, ex reo acto-

rem,miſſio adpellatur in l. 2. Cod. cum in rem act. cum à miſſione multum differat,vt poſtea dicetur. De his igitur primum dicamus, quantum quidem ad inſtituti noſtri rationem ſatis eſſe videbitur. Sũt enim ex iis aliæ, quæ ius dicentis decretum requirunt,aliæ quæ non requirunt. Aliæ dicuntur Edictales,aliæ Decretales l. 1.§.1.ff. ſi tab. teſt. nul. ext. l.1.§.decretales.ff. de ſucceſſ. edict. Edictales ſunt, quæ dantur ex edicto prætoris ſine cauſæ cognitione, & propterea dantur de plano,nec tribunal deſiderant; Cuiuſmodi ſunt illæ ſeptem ſpecies, quas enumerat,atq; explicat Iuſtinianus in tit.Inſt. de bon.poſſeſſ. Decretales contra, vt nomẽ ipſum quoque oſtendit, quæ dantur ex decreto & cum cauſæ cognitione,qualis Carboniana eſt, aliæque de quibus poſtea: & non igitur niſi pro tribunali. l.2.§.dies.ff.quis ordo in bon.poſſeſſ.l. in princ.ff. de Carb. ed. Edictales dicuntur etiam ordinariæ poſſeſſiones, vt decretales extraordinariæ l. 3. §. vlt.de Carbonian.edict. l.filio.§.ſi qu s.ff.de legat. præſt.excepta edictali ſeptima. in §. ſept. Inſtit. de bon.poſſ.d.l.vn.tit. ff. vt ex leg. & Senatuſconſult. bon. poſſ. der. de qua Iaſon in l. fin. C. an legit.& Nic.Bellon.lib.1.ſupput.cap.16. Edictalium enim poſſeſſionum locus in edicto, ratio cauſaq; certa eſt,vt petentibus paſſim ex edicto dentur. Decretales autẽ pleræq; præter ordinem & actionem iuris dantur, ideoq; cauſa cognoſcenda eſt, dari ne debeant,an denegari.Eſt& illa differentia,quod edictalis poſſeſſionis datio omnia iura tribuit petenti ſiue agnoſcenti,vt definitio ſupra allata demõſtrat. Contra decretalis etſi ius tribuat, nõ plene tamen, neq; omni tribuit:puta impubes Carbonianus poſ-

ſidet

ſidet res, & alitur ex fructib. &c.l.2. C.de Carb.ed. l.5. ff. eod. Cum autem edictalis bonorum poſſeſſio ſine cauſſæ cognitione detur,ac ſine lite atq;iudicio, merito ad iuriſdictionem volūtariam refertur. neq; verum eſt, quod interpretes quidam dicunt,aduerſarium citati oportere.Olim peti & dari ſoléniter à magiſtratu debuit: hodie ſufficit ſimpliciter eam agnoſcere apud magiſtratum:vt Imp. Conſtant ſanxit l.pen.& vlt.C.qui adm.ad bo.poſ. quarū conſtitutionum mētio fit in l.2. §. vlt. C. de cur.fur.Solemnitates enim veteres illas ſuſtulit,de quib.ſcriptum eſt in l.1. C.commun.de ſucceſ.& l. 20.ff.de excep.Deinde olim bonorū poſſeſſio dari nō potuit,niſi à prætore vel præſide d.l.2. §. dies.& ſeq.ff.quis ordo.Hodie ex conſtitut.apud quemlibet magiſtratum agnoſci & confirmari poteſt,etiā apudDuumuiros,quamuis magiſtratus municipales mixto illo imperio carere dicātur, cui⁹ propriū eſt bonorum poſſeſſionem dare, vel in poſſeſſionē mittere. d.l.4. de iuriſd. l.ea quæ. ff. ad municipal. Quod autem diximus huiuſmodi bonorū poſſeſſiones de plano dari poſſe.l.3.§. ſi cauſſa.ff.de bon. poſ.ex eo intelligere licet in computādo tempore, quod bonorū poſſeſſioni petēdæ præfinitū eſt, nō ſolum eos dies cedere,ac numerari,quib.magiſtratus pro tribunali ſedet,ſed etiam alios,quibus non ſedet pro tribunali, dū vtiles ſint,id eſt ex quo quis ſciuit bonorū poſſeſſionē ſibi cōpetere,vt explicat Theophil.in §.vlt.Inſt.de bon.poſ.cōtra,decretales,nō niſi iis diebus quib pro tribunali prætor ſedet,circūſcribi l.2.§.dies.ff.quis ordo in bon.poſ.d. § ſi cauſſa. Decretū.n.non valet, niſi pro tribunali interpoſitū ſit.l.naturali.§.1. ff.de confir.tut.Hinc

dies ſeſſionum adpellati d.§.dies.Duo igitur Conſtantinus noue conſtituit, & quod ſolẽnitates veteres ſuſtulit, & quod apud quemuis magiſtratum poſſe agnoſci voluit, etiam Duumuirum. Petitionem quoq; aliquã requirimus. An Iuſtinianus hic aliquid mutarit, quæri video. Putant enim doctiſſimi viri inſtitutũ ab eo eſſe, vt quoduis animi iudicium & quæuis volũtatis ſignificatio ſufficiat ad bon. poſſeſſionẽ agnoſcendã, etiã extra ius & conſpectũ magiſtratus in §.vlt.Inſt.de bon.poſſ.& arg. l.1.C.Iuſtin. de cretione vel bonor.poſſ. Sed vehementer errãt. Primum quia nuſpiã reperitur dictæ conſtitutioni Conſtantini derogatum eſſe. Nam quod ad d.l.1. attinet nihil illic proponitur tale, quale illi volunt: ſed hoc tantum dicitur, non eſſe neceſſariam bonorum petitionem, vel cretionem hæreditatis ſolemnem illam ac veterem: quod & nos dicimus, congruitq; conſtitutioni Conſtantini d.l.vlt.& l.cretionum.Cod.de iur.delib. *Sed legitima*, inquiunt ibi Impp. *ſucceſſio qualicunq; contenta aditæ vel adeundæ hæreditatis indicio eſt.* quod pariter veteri nouoque iuri conſentaneum eſt. hæreditatem enim quouis iudicio voluntatis etiã extra ius nobis acquiri, manifeſtũ l.pro hærede.cum ſimil.l. de acquir hæred.Inſtit.de hæred.qual.& diff. At in bonorum poſſeſſione, quæ eſt ſucceſſio Prætoria & veteri iure ſolemnis petitio requirebatur, & nouo requiritur agnitio iudicialis, apud quẽlibet magiſtratũ facta. neque id abrogatum legimus: ſola, inquam, petitio ſublata poſtea eſt, ꝙ & vetus Interpres ad d.l.1. C.Th. animaduertit. Non obſtat etiã d.§ vlt.Inſt de bon.poſſ.quia manifeſtũ eſt ſignificare illic Iuſtinianum, non aliam conſtitutionem

quam

quam Cõſtantini,quam in ſuum ipſe Codicem retulerat,quam etiam nominatim appellat &confirmat in l. vlt. C. de curat. fur. Præterea quod aiunt d.§.vlt.quoquo modo admittentis iudicium: ſatis aperte ſignificat, quod Conſtantinus ait iiſdẽ verbis,vt qualicunque, inquit, teſtimonio amplectẽdæ hæreditatis oſtendatur. Sed oſtendatur ſcilicet in iure apud magiſtratũ,vt in eadem lege clare ſcriptum eſt,ſed quid eſt tamen,quod in l.2. C. de iur. delib.Imp. Alexander reſcripſit,videri eum,qui æs alienum patri exoluerit,agnouiſſe & alligari hæreditati paternæ, hoc extraiudiciali facto. Facilis reſponſio eſt, de hæreditaria portione, atque ita de hæreditate loquitur, nõ de bonorum poſſeſſione. Rurſus quod in l. 1. d. tit. filiam negatur agnouiſſe bon.poſſeſſionem, intellige,quæ ſeruos hæreditarios manumiſerat, de bonorũ ſcilicet poſſeſſione loquitur,quæ etiam ſola ei nepoti emancipatę deferebatur, non de hæreditate.Nam vtique hoc facto,id eſt,ſeruorum manumiſſione paternorum,ſi hæreditas ei iure ciuili delata fuiſſet, pro hærede geſſiſſe, ſeque hæreditati alligauiſſe exiſtimaretur. l.Iulianus §.pen. ff.de acquir. hæred. At bonorum poſſeſſio ideo nõ eſſe agnita dicitur, quia nõ apud magiſtratum fuerit agnita,vt neceſſe eſt.Mirari etiam Bartolum quis poſſit in l.1. num. 4. ff.de iuriſd. ſcribentem bonorum poſſeſſionẽ hodie agnoſcere corã magiſtratu, vel Iudice nihil eſſe,id eſt,neq; imperii, neque iuriſdictionis rem eſſe. nihil enim inquit, facit in hac re iudex, niſi ꝙ exhibet agnoſcenti præſentiam ſuam.Ego nihil decernere iudicem vel magiſtratum fateor.ſed non continuo vbi decretum nõ adhibetur, ibi etiam iuriſdictio nul-

la eſt. enim hoc in officio ius dicentis, cum ad ſenſum ſuum authoritatemque accommodet agnoſcenti, verbisque etiam eam rem comprobat, quæ alioquin rata futura non eſſet. Vere id Bartolus dixiſſet de aditione vel cretione. Similis eſt, & grauiſſimus ille noſtrorum error, vt eiuſdem Bartoli & Azonis ad l. vlt. Cod. qui admitt. aiunt enim hodie nullam reperiri decretalem bonorum poſſeſſionem: quia hodie non decernatur à prætore vel iudice, ſed agnoſcatur tantum à parte coram iudice, id de Edictalibus vere dicitur, non de decretalibus. Decepti ſunt à l. 3. §. ſi cauſa. D. de bonor. poſſeſſ. nam quod ibi dicitur, ſi cauſſa cognita bonorum poſſeſſio detur, non alibi dabitur, quam pro tribunali, non debuerunt de Edictali poſſeſſione, ſed de decretali capere: nec quicquam Conſtantinus in edictali immutauit, quod ad Decretum, vt illi inquiunt: nam in Edictali, decretum & cauſſæ cognitio nec iure veteri vnquam neceſſaria fuit. Sed mirifice hæc illi confundunt, vt quæ Edictalis poſſeſſionis ſunt, ea Decretali tribuant, & vice verſa. Legatur ſumma ſaltem Azonis, item liber ſatis craſſus cuiuſdam Ronchegalli, quem tantas turbas in iure ciuili miſcuiſſe, qui tam nugax eſſet, miror. Supereſt, vt illud paulo clarius explicemus, quod diximus, edictalem bonorum poſſeſſionem ſine vlla cognitione cauſſæ dari. quid enim? ſi falſo & iniuſte petatur vel agnoſcatur? vel quid ſi alius ſeſe opponat, qui ad ſe pertinere dicat? Reſpondeo ſi nemo ab initio interuenerit, agnitione illa ſic penes agnoſcentem poſſeſſio collocatur, vt eripi ei tamen deinde poſſit à potiore,

veroque

veroque ſucceſſore: atque ita poſſeſſio illa agnoſcendi data ſine re, id eſt, ſine affectu erit: nam poſſeſſio alia cum re eſſe, alia ſine re hoc ſenſu dicitur ab Vlpiano in titul. Regul. de bonorũ poſſeſſionibus, & in l. poſthumus 12. de iniuſt. rupt. irr. Quod ſi contradictor ſimul exiſtat, non eſt dubitandum quin aliqua cauſæ cognitio adhiberi debeat: ſed ſummaria, vt opinor: per quam non præiudicetur futuræ de hæreditate quæſtioni. Nam agnoſci bon. poſſeſſionem oportet intra certum tempus, quo elapſo quis ab ea excluderetur. Illud notandum eſt, dationem hanc bonorum poſſeſſionis ex edicto, quam de plano dari, & ſine cauſæ cognitione diximus, non tribuere ipſam rerum hæreditariarum poſſeſſionem, ſed ius tantum eas res perſequendi d.l.3.§.2. de bon poſſ. vt autem res ipſas nanciſcatur, quæ ab aliis poſſidentur, vel tenentur, interdicto Quorum bonorum ei proſpectum eſt l. hæredes. in pr. ff. de acquir. poſſ. ff. ſed eo interdicto ita vincet, ſi non ſolum ſe accepiſſe bonorum poſſeſſionem ex edicto, vel ad eam admiſſum eſſe, vt loquitur l.1.C. quorum bon. ſed etiã ſe iuſte vereq; accepiſſe iudici probauerit, id eſt, eam cauſam, ex qua ei data poſſeſſio eſt, vere ſubfuiſſe, puta, reuera filium ſe eſſe, vel fratrem defuncti d.l. 1. quod vno verbo diceretur poſſeſſionem accepiſſe cum re, vt paulo ante dictum. Talem fuiſſe puto cauſam illam Silii, de qua Cicero ad Trebatium. IC. ſcribit his verbis, *cum ei dicerem, tibi videri ſponſionem illam nos ſine periculo facere poſſe, ſi bonorum Turpilia. poſſeſſionem Q. Cæpio prætor ex edicto ſuo mihi dedit: negare aiebat Seruium tabulas teſtamenti eſſe eas, quas inſtituiſſet is, qui factionem teſtamenti non habuerit:*

hoc idem Offilium dicere. Ex qua Seruii ſententia illud ſequitur, bonorũ poſſeſſionem ſine re datam Silio fuiſſe:ac proinde non potuiſſe eum hæreditarias res ab aliis petere, nec tuto ſpõſionẽ facere potuiſſe. Et ratio illa Seruii veriſſima; quod apertius diſces ex l.1.§,exigit prætor ff. de bon. poſſ.ſec.tab.

CAPVT XXII.

De decretali bonorum poſſeſſione.

BONORVM poſſeſſio edictalis ab ipſo edicto p̃toris perpetuo defertur, ſine vllo decreto factoq; p̃toris viui (vt loquuntur) i.e. ius dicẽtis. itaq; ſtatim agnoſci vel repudiari põt. At decretalis, quia nõ prius delata eſſe intelligitur, quã cognitio p̃toris decretũq; interceſſerit, idcirco repudiari nunquã põt: non ante decretũ, quia nondũ eſt delata; nõ poſt decretũ, quia acquiſita iã eſt; ſera igitur repudiatio eſt, quia ꝙ acquiſitũ eſt, repudiari nõ põt l.1.§.decretalis ff. de ſucceſſ.edict. Hui⁹ ſpecies ordine enumerandæ ſunt. ex qua re apparebit, cur eę cauſę cognitionẽ decretũq; deſiderẽt, cur extraordinarię dicãtur. In omnib.n. iis ſpeciẽb. aliquid reperietur, quo factũ ſit, quo min⁹, niſi certis quibuſdã perſonis nec ſemp & paſſim hoc eſt recta ex ipſo edicto, in quo cauſæ bonorũ poſſeſſionis dãdæ ꝓpoſitæ ſunt, dari deberet, aut poſſet: & tamẽ quia ęquitas, vt iis ẽt daretur, poſtulabat, examinãdæ cauſæ fuerunt, pp quas æquitas illa induceretur. quib. cognitis decretũ interponi opus fuit, quo pronunciaret prætor: bonorum ſe poſſeſſionẽ petenti dare. Prima igitur & vetuſtiſſima eſt, quæ Carboniana adpellatur, ex edicto propoſita, vel ipſius Carbonis, vel ex decreto, quod interpoſitum à Carbone prætore primum in bonis Pompeii, vt Valer. ſcri-

ſcribit edicto locum dedit, quod inde Carbonianũ adpellatur: non vt fieret ordinaria bonorũ poſſeſſio, paſſimque poſtulanti daretur, ſed ita relata in edictum, vt cum decreto & cauſæ cognitione daretur, vel denegaretur. Datur autem impuberi teſtamẽto patris præterito, cui fit de bonis paternis, adeoque de ſtatu ipſo, quaſi filius defuncti non eſſet, controuerſia. Interim enim dum ad pubertatem perueniat, decernitur ei bonorum poſſeſſio, ſed cauſa cognita, vt explicatur in l. 1. & paſſim de Carbon. edict. Æquitas eſt, ne ſimul & in illa ætate parua de bonis & de ſtatu periclitaretur. contra ordinem tamen datur, quia filius negatur eſſe. Viſum eſt igitur, hanc quæſtionem in tempus pubertatis differri, interim illum ali ex fructibus & haberi pro filio. Huius exemplo & aliæ bonorum poſſeſſionis dandæ cauſæ ſimiliter receptæ ſunt, puta, quæ ventri datur. quo itidem ei illud tribuit, vt interim & in poſſeſſione rerum ſit, & alatur ex fructibus l. 5. ff. de Carbon. edict. Alia ſpecies eſt bonorum poſſeſſionis, quæ furioſo datur. Furioſus neq; voluntatem, neque intellectum habet: at bonorũ poſſeſſio non adquiritur niſi volenti & ſcienti. l. 3. §. bonorum ff. de bon. poſſ. Igitur recte extraordinaria dicitur: datur tamen humanitatis intuitu, & ex decreto l. 2. §. ſi quis ex liberis. ff ad SC. Tertull. Iuſtinianus ampli⁹ ſanxit, vt liceat curatori furioſi ſimpliciter bonorum poſſeſſionem eius nomine agnoſcere & amplecti l. vlt. §, ſin autem C. de curat. fur. Alia eſt huic ſimilis, quæ infanti datur tutorem non habenti. l. ſi infanti C. de iur. delib. & datur à magiſtratu cum cauſæ cognitione, atque decreto, vt illic legere eſt; eadem eſt extraordinaria: quia ita-

ius ordinarium eſt, vt ſolum tutoris interuentu & au:horitate liceat bonorum poſſeſſionem agnoſcere:pupillus enim ſine tutore non poteſt obligari l.ſeruus §.impubes ff.de bonor. poſſ. l. bonorum C.qui adm.§. neque.Inſtit.de Att.tut. Obligamur autem bonorum poſſeſſione,ſicut hæreditatis aditione l.obligari ff.de author.tut. l. qui in aliena & l. more ff de acquir.hæred. Cauſæ autem illa cognitio in duobus præcipue verſatur,an tutorem pupillus vllum habeat,& an expediat ei talem hæreditatem habere d.l.bonorum d.l.ſi infanti. Alia ſpecies eſt, cum poſthumo datur, nam iure ciuili ſi poſthumus teſtamento patris præteritus ſit, naſcendo rumpit teſtamentum. Sed antequam naſcatur,pēdet ius teſtamenti,neque adiri hæreditas ex eo poteſt ab hærede ſcripto l. poſthumus §. ex his ff.de iniuſt.rupt. Quare ſi hæres ſcriptus interea moriatur, nihil ad hæredes ſuos ex illa hæreditate tranſmittit:quia ſit regula iuris tam veteris, quam noui, hæreditatem non aditam non tranſmitti l. vn.§. in nouiſſimo.C.de cad.toll. Sed quia iniquum videtur, vt qui non ſua culpa hæreditatem non adiuit, is eiuſue hæredes hæreditatis delatæ cōmodo ſpolientur.ideo prætor ſolet ei hærediue eius decernere bonorum poſſeſſionem ſecundum vel contra tabulas,vt explicatur in l. 4.in fi.& in l.5 ff.de bon. poſſ.cont.tab.in l.ventre præterito ff.de adqu.hæred. quæ lex quomodo concilianda ſit cum l. filius ff.de lib.& poſt.alibi diximus. Ad hunc numerum Decretalium poſſeſſionum quidam referunt eam, quæ litis de inofficioſo teſtamento ordinandę gratia agnoſcitur à filio emancipato(vt aiunt) præterito vel exhæredato: de qua ſcriptum eſt in leg. Papinianus.

pinianus.§.1.ff.de inoff.teſtamen.&illic Accurſius exponit. Et Cuiac. libr.9. obſeru. c. 14. & in parat. C.d.tit. Sed & aliæ quædam ſine dubio ad hũc ordinem adgregandæ ſunt, veluti in illis duabus ſpeciebus ab Africano propoſitis in l. ſi duobus §. filius ff. de bon. poſſ. cont. tab. in quarum vtraque danda decretum ex ſententia Iuliani præceptoris ſui exigit, quia iure ordinario non competeret: dãdam tamen ex æquitate, & interpretatione edicti, magis quam ex verbis, ne alioquin ab omniũ bonis excluderetur nepos, de quo ibi agitur. Iunge l. 1. §. nepos ff. ſi quis à par. man. fu. & l. vlt. §. is cuius ff. de legat. præſt. & videndus in primis eſt eruditiſſimus Menochius lib. 1. de adipiſcen. poſſ. c. 2. Hæc breuiter de bonorum poſſeſſione edictali & decretali dicere volui, tum quia peſſime ab interpretibus præſertim veteribus, hæc tradãtur, tum quia inſtituti noſtri ratio id flagitaret, cum Vlpianus mixtum imperium ac iuriſdictionem non ab alia re, quam à bonorum poſſeſſione danda ſibi definiendum putauerit, vt quæ eius potiſſima pars eſſet l. 3. ff. de iuriſdict. Pleraſque autem omnes ſpecies, quas ſupra expoſuimus, ad iuriſdictionẽ voluntariam potius, quam contentioſam pertinere, quiuis facile animaduertet.

CAPVT XXIII.

De Carboniana bonorum poſſeſſione.

IN l. 1. C. de Carbon. ed. nõ impuberi ſolum, ſed & matri mota controuerſia eſt, quaſi ancilla foret. Ea tamẽ controuerſia, q̃ quod ad matrẽ differri nõ debet, non obſtãte datur ei nomine impuberis

bon. Carboniana poſſeſſio, licet mater ancilla, vel alias rea ſubiecti partus iudicata fuerit. Et merito, quia res inter alos iudicata alii non ſolet nocere. l. quod ſæpe. ff. de re iudic. & ita in hac ſpecie ſcriptum eſt in l. 1. C. ad l. Corn. de falſ. & l. fi. C. de liber. cau. ſed obiicitur l. 1. §. vlt. ff. eod. tit. de Carb. edicto. Nã quod Cynus, Fulgoſius, & alii reſpondent, præiudicium adferri puero quale quale, non plenum, id eſt præſumptionem tantum aliquã aduerſus eum ex damnatione matris induci, parum id me mouet, nihil docet: Et ſolutio Accurſii ſentientis etiam puero in d. §. vlt. litem motam & iudicatam fuiſſe, merito notata eſt. Ego veriſſimum puto rem iudicatam aduerſus matrẽ nullo modo nocere impuberi nec quod ad propriam eius defenſionem attinet: nec quod ad hanc bonorum poſſeſſionem Carbonianam d. l. ſed. d. l. fin. d. l. 1. infra ad L. Cor. de falſ. Et cur noceret, cum è contrario lata pro matre ſententia ipſi non proſit. l. 3. §. ſi mater. ff. h. t. Non me mouet d. l. 1. §. fin. h. t. animaduerto enim in eo §. nihil dici de Carboniana poſſeſſione: verba enim hæc ſunt. *Poſt euentum cognitionis* (aduerſus matrem ſcilicet) *ſi ſuppoſitum partum apparuerit, actiones hæreditariæ puero deneganda ſunt, omniaq; perinde habenda, ac ſi hæres ſcriptus non fuiſſet.* His verbis dico non negari bonorum poſſeſſionem Carbonianam puero, ſed hoc tantum dici, eum non poſſe hæreditatis actiones exercere, tanquam ſi eſſet vere dominus atque hæres iudicatus, quod locum habet in omni impubere, cui controuerſia de ſtatu fit. quamuis enim de matre eius nihil ſit pronuntiatum: tamen quia ei cõtrouerſia ſit, nõ habetur interim pro hærede, neq;

tanquam

tamquam hęres actiones exercere poteſt l.3.ſ.miſſum h.t. Et hoc eſt ꝙ ait & l.1. C.de Carb. Ed.præmature hæreditatem à puero peti, antequam ſcilicet lis pro eo iudicata ſit,at non propterea denegāda interim puero eſt Carboniana poſſeſſio, imo ei danda eſt vt in d.l.1. C.dicitur.Sed cur addit IC. in d.l.1. §.fin.ff.omnia perinde habenda eſſe, acſi hæres ſcriptus non fuiſſet: quibus verbis videtur tolli etiam hæc Carboniana poſſeſſio?Reſpondeo. His verbis vel maxime interpretationem noſtram cōfirmari. Fuerat nimirum filius hæres teſtamento patris ſcriptus. Quare bonorum poſſeſſionem ſecundum tab. vel accepit, vel petebat. Quæ bonorum poſſeſſio cum ſit ordinaria, & plenum ius, id eſt,hæredis veri tribuat ei qui adgnouit,etiā actiones hæreditarias, is poteſt tamquam dominus & heres mouere l. 3. §. bonorum ff.de bon. poſſ. l.de bonis ff.de Carb. Nō ſuccedit igitur hic tamquam filius, ſed tamquam hæres ſcriptus l. 1.§. Pomponius ff.h.t.id eſt,non iure filii,ſed iure extero(id eſt extranei)vt loquitur l.à patre C.de Collat.Hæredi autem ſcripto, quamuis controuerſiam patiatur, quod negetur eſſe filius: non eſt neceſſarium hoc beneficium prætoris,id eſt,huius edicti Carboniani,vt diſerte ait l.cum ſine ff.de Carbon.Dices:cur ergo antea dixiſti hanc bonorū poſſeſſionem huic filio dari oportere, eumque excludi ab ordinaria, & ſi ordinariam accepit, nihil tamen ei prodeſſe? Reſpondeo. Carbonianam hāc bonorum poſſeſſionem, eſſe quidem propoſitam filiis teſtamento patris præteritis,vel ab inteſtato venientibus, ſi eis controuerſia de ſtatu fiat.Sed interdum etiam hæredibus ſcriptis neceſſariā eſſe. Quando vero?tunc

cum quis ideo hæres à defuncto ſcriptus eſt, quia eum filium ſu[illegible]m eſſe putauerit, ſed falſo. Exempli gratia, ſi ita ſcripſit: Poſthum[illegible]s vel poſthuma mea hæres eſto. N[illegible]m ſi poſtea negatur verum eſſe, quod ita in teſtamento ſcriptum eſt, id eſt, ſi dicatur non eſt poſthumus defuncti, qui natus eſt, ſed vel ex adulterio conceptus, vel à matre ſuppoſitus: hoc caſu puero neceſſaria omnino eſt Carboniana poſſeſſi[illegible], vt ſcriptum eſt in l. 3. § 2 ff. eod. Et merito. Nam inſtitutio hæredis facta tamquam filii, ſi erroris coarguatur, corruit, l. ſi cum vel in vtero. C. de teſtam. mil. l neq; poſſeſſio. C. de teſtam. l. cum pater. C. de hæred[illegible]b. inſti[illegible]. Et [illegible]ulchre tradit Phil. Decius conſ. 1[illegible]6. Si controuerſia nulla puero hæredi inſtituto fieret ex verbis & voluntate teſtatoris, tum non curaremus, quod aliunde ei controuerſia fieret: Nam licet quis demonſtretur non eſſe filius: non tamen ſequitur: Ergo non potuit hæres inſtitui. Cum igitur in d. l. 1. §. fin. dicitur, ac ſi hæres ſcriptus non fuiſſet, intelligere debemus, eum non ſimpliciter hæredem, & vt quemuis inſtitutum eſſe, ſed vt filium; alioquin ſi non vt filius inſtitutus eſſet, nunquam ei actiones hæreditariæ tamquam hæredi & domino ex teſtamento denegarentur, licet controuerſiam pateretur quaſi non filius d. l. cum ſine. in princ. Scriptus eſt ergo hæres, vt filius. Atqui probatum eſt, vel vt ait d. §. fin. adparuit, nō eſſe eum filium, ſed ſuppoſitum. Sed hoc nō efficit tamen, quin ei Carboniana poſſeſſio interim dari debeat, quod d. §. nullo modo negat, quia ſcilicet id adparuit ex ſententia contra matrē lata, non contra ipſum. Non igitur ei nocet d. l. ſæpe cum ſimilibus ſupra allegatis. In eo ſal. em præ-

iudicat,

iudicat, quod & æquiſſimũ eſt, vt interim non habeatur pro certo hærede, pro certo filio, neq; poſſit exercere tamquam verus hæres actiones hæreditarias, aliaque conſequi, quod veri hæredes ſolent: alias, ſumma fieret legitimis hæredibus, qui litem puero faciunt, iniuria. Hæc eſt veriſsima huius d. §. fin. l. 5. de Carbon. ed. ſententia. Non obſtat etiam l. ſi ventris. ff. de vent. in bon. poſſ. mitt. vbi ſcriptum eſt, ſi mulier ventris nomine in bonorum poſſeſsionem miſſa ſit, eaque adulterii accuſetur, differendam eſſe hanc accuſationem, ne aliquod præiudicium fiat nato. Nam in hac lege dicitur, ne præiudicium aliquod fiat, quod non eſt intelligendum de Carboniana, ſed de aliis præiudiciis, vt ſupra expoſitum. Rurſum cur dicitur in ea lege adcuſatio differẽda eſſe aduerſus matrem, cum in d. l. 1. C. ad L. Cornel. de falſ. & d. l. 1. §. vlt. contra ſcriptum ſit, nullo modo differendam eſſe adcuſationem ſubiecti partus aduerſus matrem? an quia ventri, id eſt, nondum nato magis fauemus, non ſolum vt alatur, ſed etiã vt in lucem edatur, quod matre prægnante adcuſata forte impediri poteſt, vel ne labes aliqua aſpergatur ei à matre, priuſquam naſcatur: an etiam, quia d. l. ſi ventris. loquitur in ſpecie adcuſationis adulterii, aliæ leges in ſpecie ſubiecti partus? Nouimus autem in crimine adulterii multa eſſe ſingularia. l. tranſigere, & ibi notant C. de tranſact. Denique dici poteſt in d. l. ſi ventris, non matri ſolum, ſed & ventri controuerſiam factam, quaſi vel non mittendus eſſet in poſſeſsionem, vel ſi miſſus eſſet, è poſſeſsione extrudendus l. Titia. ff. de Carbon. edict. alias certum eſt, adulterium matris, nihil neque nato, neq;

nondnm nato prȩiudicare,quia poteſt fieri vt mater ſit adultera, & tamen hic non ſit ex adulterio conceptus l.miles.§. quapropter.ff.ad L. Iul.de adult.Quæ rationes ſi non ſingulæ per ſe valerent,at coniunctæ, & vt Cicero loquitur, turba valent. Poſtremo illa quæſtio explicanda eſt,an hæc Carboniana poſſeſſio cum aliis ordinariis concurrat? Reſpondeo,concurrere. Primo ſi ordinaria bonorum poſſeſſio inutiliter petita fuerit, vel ex teſtamento,vel ab inteſtato,vnde liberi. Nam ſi poſtea ſit controuerſia impuberi de ſtatu, illa ordinaria poſſeſſio eſt ei inutilis.Eſt, inquam, ſine re,ſine effectu: ita vt neque actionem vllam tanquam hæres aut bonorum poſſeſſor habeat, neque interdictum ad poſſeſſionem rerum adprehendēdam l.1. & l.2.C.quor.bonor. Quare inepta eſt illa Doctorum ſentētia,ideo Carbonianam concurrere cum aliis ordinariis bonorum poſſeſſionibus: quia ordinaria ius plenum tribuat, Carboniana nullum. Nam bonorum poſſeſſio ſæpe eſt ſine re, nunquã Carboniana: cum certe ex fructibus ali puer debeat. d.l.2. Secundo ſi prius hæc poſſeſſio petita ſit, tum etiam oportet ordinariam agnoſcere, ait l.3.circa fin.ff.h.tit. Quod intelligendum eſt, neceſſariam eam eſſe, ſi has duas res impubes conſequi velit, exercitium actionum rerum hæreditariarum, & tranſmittendæ ad hæredes ſuos bonorum poſſeſſionis ius. Nam ſi interim moriatur, bonorum poſſeſsione nondum agnita, eam non tranſmittet. l. vnic. §. in nouiſsimo. C. de cad.tollend.

CA-

CAPVT XXIV.

De miſsione in bonorum poſſeſsionem.

HACTENVS de danda bonorum poſſeſſione, quod eſt genus prætoræ ſucceſſionis atque fictitiæ: ſic enim Vlpianus has poſſeſſiones vel actiones, quæ inde dantur, in Regulis vocat, ex eo opinor, quod cum prætor hæredem facere nō poſſit. §. quos autem. Inſtit. de bon. poſſ. tamen loco & vice hæredis eum conſtituit, cui bonorum poſſeſſionem dedit. Nunc de miſſione in bonorum poſſeſſionem cognoſcendum, quod eſt imperii mixti maximum remedium. l. iubere. ff. de iuriſd. l. cognitio. §. 1. ff. de offic. eius. nec dubium, quin ad iuriſdictionem contentioſam ſpectet, cum aduerſus debitores abſentes vel latitantes, interdum & aduerſus iudicatos comparatum ſit. Quod autem imperii magis, quā iuriſdictionis eſſe dicitur, in d. l. iubere, non eo pertinet, quaſi iuriſdictionis non ſit, vt Doctores volunt: Quicquid enim eſt mixti imperii, idem eſt & iuriſdictionis, & è contrario, vt ſupra demonſtratum eſt. Sed quia iuſſus & imperium prætoris in hac miſſione magis eminet, quam iuriſdictio. Comparatiue igitur non electiue, vt loquuntur, particula, magis in d. l. iubere, accipienda eſt, quod & Accurſius vidit, licet rem non bene explicauerit. Cuius etiam legis verbis exiſtimo P. Manutium in errorem inductum, qui libro de legibus ſcribit, Prætorem cum daret bonorum poſſeſſionem in integrum reſtitueret, & ſimilia in iis non modo iudicaſſe: ſed nec ius dixiſſe: ſed omiſſa iuriſdictione, imperio prætorio ea

exequutum. Cæterum huius miſſionis cauſæ tres ab Vlp.recenſentur in l.2.ff. quib. ex cauſſ.in poſſ. eat.Item de reb.auth.iud.poſſ.item tit de cur.bon. dan.De ſecunda eſt tit. de ventr.in poſſ.mittendo, cui tertia, vtpote ſimilia, addenda Carboniana eſt. nam & ex ea fit in bon. poſſ. miſſio. tot. tit. de Carbon.edict. Acceſſit poſtea & miſſio, quæ fit ex edicto Diui Hadriani,hodie ex conſtitutione Iuſtiniani,quæ hæredibus ſcriptis parata eſt tit.C.de ed. Diui Hadriani toll. Damni infecti non putauit Vlp.inter eas cauſas referendum eſſe, quodvt ipſe ait in d.l.2.quę ex damni infecti cauſa fit miſſio,nõ in vniuerſa bona aduerſarii fiat,ſicut cæteræ,ſed in eius rei tantum,ex qua damnum timetur,puta,rui noſæ domus: vnde dici non poteſt proprie miſſio in bonorũ poſſeſſionem. Cic.in Quint. Omnino autem bona poſſeſſa nõ eſſe conſtitui:quod bonorum poſſeſſio ſpectetur,nõ in vna aliqua parte,ſed in vniuerſis quæ teneri ac poſſideri poſſint. Sed an non idem hodie dici poteſt de aliis etiam miſſionum cauſis,puta rei ſeruandæ, quæ contra debitores conceditur.Nam Iuſtin.in No.53.c.4. ſuſtuliſſe miſſionem illã in vniuerſa bona videtur, cũ dicat, & inpoſſeſſionẽ mittat actorem rerum eius ſecundum menſuram debiti,ipſum quẽ in poſſeſſionem miſſum habere etiã rem debiti ſeruãdi cauſa: Atq; ita interpretes vulgo putant. Quod falſum videtur &ex ipſius Nouellæ refelli verbis,nam rerũ poſſeſſionẽ adpellat diſerte. Itẽ res,bis inculcat, atq; illa verba ſecundum menſuram debiti nõ ad modũ& quantitatẽ rerum, in quas miſſio fieri debet, referenda ſunt:ſed ad finẽ atq; effectũ miſſionis, vt ſcilicet credior miſſus ſeruare ſuũ creditũ poſſit. atq;

ita

ita debuiſſe verti illa verba, mihi videntur πρὸς τὸ *μέτρον τοῦ διαφαινομένου χρέους: ad quātitatem declarati debiti ſcilicet cōſequendā, ſiue conſeruandā*: vt mox: ἔχειν τὰ πράγματα χρέους ἕνεκεν φυλακτέου, *habere res*(male vet. interpres rem) *debiti ſeruādi cauſſa*. Eodem modo accipiēda ſunt illa verba; *ad modū debiti*, in conſt. Leonis in l. vlt. §. cum autem monitus. C. de his qui ad Eccleſ. confug. cum dicat, *iudiciorum legumq́ ſolitus ordo ſeruetur*. Hunc ordinem igitur nec Iuſtinianus immutauit, ſed ſecutus eſt in d. No. 53. Nec durum hoc videri debet in latitantem ſiue fraudādorum creditorum cauſſa, ſiue propter æris alieni magnitudinem latitet. Præſertim ſi Romanorum hac in re ſummam ſemper ſeueritatem conſideremus, quam ex A. Gellio lib. 20. cap. 1. & orat. pro P. Quintio cognoſcere licet, quāuis raro id vſurpatū à maiorib. inuidioſe ibi dicat magis q̄ vere, præſertim cū fere ob vadimoniū deſertū ea miſſio interponatur d. orat. & l. 2. ff. quib. ex cau. in poſ. eat. Diuerſa cauſſa videtur abſentis nō latitandi cauſſa: nā ſi is non defendatur, nō tamen fit miſſio in vniuerſa bona eius l. 7. §. Celſus ff. quib. ex cau. in poſ. eat. Sed hoc accipiendum tamen ita eſt, ſi actione in rem agatur. nam ſi in perſonam ęque omnia bona abſentis poſſideri iubeantur, quod patet ex edicti ipſius verbis, in quo quatuor genera perſonarū notantur. Qui fraudationis cauſſa latuerit, cui hæres nō extabit, qui exilii cauſſa ſolū verterit, qui abſens iudicio defenſus non fuerit, in oratione pro P. Quintio. & in tit. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. Qua de re plurib. expoſui in lib. 23. c. 7. comment. Donelli, vbi & errorē illum Canoniſtarum oſtendi, qui remediū rei iudicatæ, quod pignoribus captis & diſ-

tractis inducitur, cum hoc miſſionis confuderint. In illo enim vere dicitur, pignora capienda & diſtrahenda nō eſſe, niſi pro quantitate ea, qua debetur, vt eſt in l. à D. Pio. §. ſi pignora. ff. de re iud. Illud quæritur, an ſine vlla cauſſæ cognitione hanc miſſionem prætor concedat? & ex ea, quam ſæpe iam nomino, orat. Ciceronis, nō vno loco colligitur requiri: niſi ad inuidiā Sexti Næuii, oratorieq; loquatur. Decernere enim prętor ſępe illic dicitur, cauſſa igitur cognita, imo amplius non vnū decretum, ſed duo interponūtur: Vnum, quo poſſideri bona iubetur, alterū, quo diſtrahi, poſtquam 30. dies poſſeſſa erant. Tertium Hotom. ad tit. C. de iud. (quod illi ordine ſecūdum eſt) adiicit, quo curator bonis vēdendis cōſtituitur: ſed minime, vt puto, neceſſario. ſicut & ꝙ Cuia. nō duo, ſed tria decreta in cauſſa dāni infecti ponit, in l. cū poſtulaſſem. ff. de dam. infec. cum decretū omnino requiratur, conſequēs eſt à maiorib. magiſtratib. puta, prętore vel pręſide poſtulādū & interponēdū pro tribunali eſſe. Quare ꝙ Imp. Iuſtin. in l. vlt. § 1. ait, qui ex ſententia iudicis res vendiderunt, de maiore iudice eſt, non de pedaneo, & ſpeciali intelligendum. Eſt. n. decretū ſentētia magiſtratus, vel principis: vt qui Pauli lib. Decretorū iidem ſentētiarum in cognitionib. prolatarum nominātur. Atq; ita etiā Decretum in hac re vocatur in l. 3. C. q pot. in pig. Diebus tn̄ feriatis poſſunt hęc decreta interponi ex omni cauſſa miſſionis. Effectum id nominatim oratione D. Marci in ſenatu recitata, vt ait l. 2. ff. de feriis. Vbi Accurſ. rationes huius ſpecialis iuris exponit. Supereſt, vt quoniā hęc implicatiſſime ab interpretib. tradūtur breuiter admoneam⁹ differentias quaſdā, q̄ huic in

bonorum

bonorum poſſeſſionē miſſioni cum aliis intercedunt. Et de remedio pignorū capiendorū & diſtrahendorum s̄. dictū eſt: id in rebus iudicatis locum habere,& non in vniuerſa bona intendi: cōtra miſſionem in vniuerſa bona,& aduerſus latitantes abſentes, aliosq; non defenſos locum proprie habere, non aduerſus condemnatos, niſi raro, l. 2. l. 3. C. Qui pot. in pign. Vtrumque tamen remedium eſt prætorium; ex vtroque prætorium pignus conſtituitur l. non mirum ff. de pignor. act. Quamuis enim in cauſſa iudicati capiatur, non tamen eſt iudiciale, nec ex iudicis authoritate, qui imperiū nullum habet, ſed magiſtratus capitur per executores eius l. à Diuo Pio. de re iud. l. ſi plus ff. de euiction. l. 2. C. ſi ex cauſſ. iudic. Deinde in miſſione, cum omnia bona occupantur, nullus ordo rerū ſeruatur, in pignoris capione ſeruatur maxime d. l. à Diuo Pio. & paſſ. In cauſſa damni infecti illud ſciendum eſt, non ſolum ea re differre à cæteris cauſſis in bonor. poſſeſſionem mittendi, quod in res ſingulares ea fiat, ſed etiam aliis, puta, quod miſſio in bonorū poſſeſſionem ex primo decreto duntaxat cuſtodiā tribuat, & detentionem, non poſſeſſionem: ac propterea Dominum inuitum detrudi non placuit: vt adparet ex ipſius edicti verbis in Quint. relatis, & ex l. 3. §. vlt. de acq. poſſ. l. cum legatorum ff. quib. ex cauſſ. in poſſ. quod ſummum eſt, vēditio bonorum ad extremum creditoribus conceditur. At in cauſſa damni infecti miſſus, ex ſecūdo decreto, id eſt, cum iuſſus eſt poſſidere, fit & poſſeſſor, & poſſeſſor iure dominii., vt eſt in l. ſi finita 15. §. poſteaquam. de damn. infect. id eſt, vt poſſit incipere vſucapere rem poſſeſſam cum animo dominātis eam

poſſederit l. generaliter de nox. act. hæc enim ſola poſſeſſio ad vſucapionem prodeſt, vt alibi explicatum. quo facto dominus deiiciẽdus erit de poſſeſſione, vt ait eadem l. 15. §. vbi autem. Neque enim duo in ſolidum poſſidere poſſunt eandem rem, vti neque in ſolidũ eiuſdem rei eſſe domini. l. ſi vt certo. §. fin ff. comm. l. 3. §. 5. ff. de adquir. poſſ. niſi forte ratione vniuerſitatis, & ſingularium in ea rerum l. 3. in prin. ff. de rei vind. poteſt enim vnus habere vniuerſitatis, alter rerum ſingularium dominium, etiam vterque directum: puta dominus & vaſallus Bal in pr ff. col. 4 in l. conſobrinorum & ibi Iaſon. C. vnde Legit. Poſtremo notanda differentia eſt inter vadimonium deſertum, & litis conteſtatæ deſertionem, interque tria decreta, quæ in illo, & tria edicta, quæ in hac interponuntur. Quam differentiam optime explicauit idem Hotomannus ad l. properandum; quę lex eſt tota non de vadimonio, ſed de lite deſerta atque eremodicio, vt adpellatur etiam in l. ait prætor 7. ff. de minor. Qua in re etiam doctiſſimorum virorum Goueani & Haloandri error rectiſſime notatus eſt. Quam autem neceſſarium ſit hoc remedium miſſionis in bon. poſſeſſionẽ, ex eo intelligi poteſt, quod aliud nullum ſit iure Rom. & Pontificio aduerſus eos, cum quibus lis nondum conteſtata eſt: neque enim cõtra hos iudicium inſtitui vel ſententia proferri poteſt. l. contumacia ff. de re iudic. l. vn. C. de lit. conteſt. l. properandum. C. de iudic. Nou. de exhibere. §. ſi vero lit. ex. vt lit. non cont. non proced. Quod moribus Galliæ non obtinere, Duarenus & Donellus ſcribunt.

CA-

CAPVT XXV.

De translatione poſſeßionis.

TRANSLATIONEM poſſeſſionis perperã cum miſſione in bonorum poſſeſſionem cõfundi ſupra dixi. Quod nunc apertius demonſtrandum eſt. Igitur miſſio ex cauſa contumaciæ decernitur & fere in abſentes vel latitantes, & qui copiam ſui nõ faciunt, interdum, ſed raro aduerſus iudicatos. l.4. C. qui pot. in pign. Translatio poſſeſſionis aduerſus præſentes locum habet, idque duabus tantum ex cauſis: ex mendacio negantis ſe poſſidere, & contumacia ſatiſdare volentis. Aduerſus contumacem, qui in iudicium vocatus venire recuſet, nõ vtimur hoc remedio translationis. Quare in l. conſentaneũ C. quom. & quand. iud. ſcriptũ eſt, transferri ex hac cauſa poſſeſſionem, id ego de miſſione interpretari ex iure recepto malim. Sicut in l.2. C. vbi in rem act. in poſſeſſionem rerum actor mitti debere dicitur, quo petẽte rem immobilẽ reus tribus edictis vocatus præſentiam ſui facere contempſerit. Neque enim de rei petitæ ſolius poſſeſſione transferenda id intelligi, ſalua ratione recti ſermonis, poteſt, neq; obſtat, quod in d. l. conſentaneum in fin. additum eſt, trãslata ſic in petitorem poſſeſſione aduerſarium eius ex poſſeſſore petitorẽ fieri, quæ pœna propria eſt translationis illius: nam & in miſſione, ſaltem poſt ſecundum decretum, is qui miſſus eſt, vere incipit poſſidere, vt ſupra demonſtratum. Illud obſeruandum quod translatio poſſeſſionis fit in re tantum petita: miſſio fit in omnia bona. Atque ita reſcriptum Imp. Antonini ab edicto prætoris differt in præſtatione ſatiſdatio-

nis fideicommiſſorum cauſa. Nam ex reſcripto transfertur poſſeſſio, ex edicto fit miſſio. Reſcriptum derogauit edicto ad aliquem modum, vt legere eſt in l. poſtquam §. imperat. ff. vt legat. nom. Sed vbi reſcripto locus non eſt, reſtituenda eſſe iuriſdictio, illic dicitur, id eſt, miſſio ex edicto. Hæc igitur altera eſt differentia ex rebus ſumpta: prior erat ex cauſis, ob quas miſſio vel translatio decernitur. De mendacio res manifeſta eſt ex l. vlt. ff. de rei vind. neq; ſolũ cum quis inficiatur poſſidere, vt in d. l. vlt. Sed etiam cum quis fatetur ſe poſſidere, ſed inficiatur rem petitoris eſſe. Nam ſi conuictus à petitore fuerit, iſque ideo retinere tamen rem petitã velit: quod dicat ſibi in eam ius eſſe, vel hypothecæ, vel ſuperficiei aut aliud ſimile, non auditur, ſed pœnæ loco ab eo transfertur in actorem rei, de qua lis eſt, poſſeſſio: quo facto demũ ſua iura proferre, & perſequi poterit. Cautum id noue à Iuſtin. vt ipſe profitetur in Nou. de fil. ante dot. & c. 18. c. 10. vbi eleganter hanc pœnam translationis vocat μετρίαν καὶ φιλάνθρωπον καὶ αὐτὸν τοῦ πράγματος ἐστοχασμένην, id eſt, modicã & humanã, & rei ipſi ſiue negocio conuenientem. Eſt. n. remediũ pretorium & mixti imperii, quod modicam coercitionẽ Paulus adpellat l. vlt. ff. de offic. eius. vtpote ciuilibus cauſis adcommodatam, & ideo ciuilem. Sicut Plinius modicam & ciuilem vſuram, dixit lib. 13. cap.
4 Et impp. Seuerus & Anton. an mittere, inquiũt, te in poſſeſſionem debeat ſecuturus iuriſdictionẽ, quæ exerceri aduerſus indefenſos ſolet. l. 3. C. de procur. intelligentes formam iuriſdictionis ac vim exercendi. Sed ad rẽ. Altera cauſa ob quam tranſlatio fit poſſeſſionis, ea vero frequẽtiſſima eſt, con

tumacia

tumacia, recuſantis cauere, vel ſatiſdare. neque vero expedita res eſt: & irriſit in ea re, & in verbis l. 1. C. vti poſſid. omnes Interpretes, Duarenus, ipſe poſtea ab omnibus irriſus, vel repræhenſus meritiſſime, etiam à Donello ſuo; is enim eſt, quem Cuiacius intelligit lib. 1. ſentent. Pauli tit. 11. vbi ſcholaſticum eum vocatū ob eam cauſam dicit, vt dieteritarii olim medici ſcholaſtici dicti, quāuis & ipſe Cuiacius incōſtantiæ ea ipſa in re poſtea fuit à Donello reprehenſus in d. tit. C. quod euerterit in libris obſeruationum ea, quę ad Paulum adfirmauerat. Huius translationis & pœnę aduerſus eum qui cauere nō vult fideicommiſſorum, vel alterius rei reſtituendæ vel conſeruandæ cauſa, mentio extat in l. poſtquam §. Imperator. ff. vt legat. nom. cau. & l. 2. §. fin. ff. de collat. l. de bonis §. fin. ff. de Carb. ed. d. l. 1. C. vti poſſidet. Eodem pertinent l. 5. ff. de pet. hered. l. ex libero §. vlt. ff. de quæſtionib. quibus locis de ſatiſdatione agitur, quam ſi quis præſtat poſſeſſoris commodo fruitur, imo interdum pro Domino interim habetur, vt d. §. vlt. Neque vero in hac modo re variauit Cuiacius, ſed & in eo, quod cum veram poſſeſſionem transferri ſtatim à contumace hoc trāslationis remedio poſuiſſet recte ad d. lib. 1. ſent. Pauli poſtea in c. vlt. vt lit. non conteſt. poſt annum demum, & ex ſecundo Decreto transferri ſcripſerit: ſecutus Innocentium, & iuris Pontificii rationem, cum prior illa ſententia iuris ciuilis ſit d. l. poſtquā. §. Imp. ff. vt leg. nom. & aliis iam allegatis d. l. pen. §. pen. C. de præſcript. 30. anni. quæ eſt alia differentia inter hoc remediū translationis, & miſſionis. nam per miſſionem cōſtat, nudam potius cuſtodiam rerū, & obſeruatio-

nem concedi,atq; transferri, l. cum lega: orum. ff. quib.ex cau.in poſſ.eat.l.3.in fin.ff.de adquir. poſſ. Primum enim mittimur à prætore in poſſeſsionem:deinde iubemur poſsidere l. ſi finita. §. non autem ſtatim. ff. de dam.infect. Niſi pro Cuiacio dicamus, diſtinguendum eſſe inter cauſas contumaciæ. Nam contumax in non veniendo ſic mulctatur,vt non ſtatim amittat poſſeſsionem, neque vera poſſeſsio ſtatim in aduerſarium translata intelligatur, quod ſane congruit miſsioni, quæ ex cauſa contumaciæ iure ciuili adprobata eſt. & de ea contumaciæ cauſa loquitur in d. c. vlt. &c. At contumax in non ſatiſdando punitur ſtatim, & recta translata in aduerſarium poſſeſsione, de quo agit d.tit. ſent. Pauli.Ita pro locorum & iurium varietate varia quoque interpretatio adhibenda fuit. Ex hac differentia manat, quod qui antea petitor erat, nunc ſit reus,vtpote poſſeſſor, poſſeſsioniſq; commodo fruatur: poſſeſſor qui fuerat, contra fiat nunc actor, & onere probandi adſtringatur iuxta. §.retinendæ.Inſt.de interdict.cum ſimil.quamquã & ipſe in quem ſic translata poſſeſsio, nouo alligetur onere,nimirum,ſatiſdationis iudicatum ſolui, vel de re reſtituenda conſeruandaue,quam poſſeſſor recuſauerat.imo non prius in eũ poſſeſsio tranſfertur,quam cauerit d.l.poſtquam.cum aliis. Satiſdatio enim poſſeſſori iniungitur.Olim longius hęc res extendebatur: nam & poſt ſatiſdationem præſtitã,ſacramento ſe mutuo prouocabant, quod eſt pœnã ſtipulari, & reſtipulari: ſi vel petitor vel reus in lite vindiciarum viciſſet, quam rem multis verbis Aſconius in tertiam Verrrinarum exponit: & quod hoc loco notãdum eſt, ad eam pecuniam in

litibus exigendam, quæ ſacramentum dicebatur, Tres viri à populo creabantur rogante prætore, vti lege Papi ia Tribunitia cautum erat, quod apud Feſtum legas, vbi vocem, *capitales* delendam cenſeo. Nam Triumuiri capitales nihil ad prætorem, vel iuriſdictionem eius tuendam; in rebus tantum & quæſtionibus capitalibus interueniebant: quod ex Plauto quoque patet, illi, vt ita dicam, Prætorii propius ad Triumuiros monetarios accedebant, quam ad hos capitales. In quo Cicero egregie luſit in quadam Epiſtola ad Trebatium IC. vbi monet à Treuiris Galliæ populo, ſibi caueat. Audio inquit eſſe capitales: mallem A. A. Æ F. F. id eſt, mallem pecunioſos ac tales eſſe, ex quibus præda potius ſperari, quam pernicies metui poſſit. Atque hęc hactenus de poſſeſſionibus, in quibus maxime ius & iuriſdictio cernitur de bonorum inquam poſſeſſione danda, de miſſione in bonorum poſſeſſionem, de tranſactione poſſeſſionis. Vt enim vocabulis ſic rebus iſta diſtinguuntur. Illud fortaſſe ineptum, quod Dd. noſtri differentiam faciunt inter bonorum poſſeſſionem, & poſſeſſionem bonorum, ſicut alibi, inter bonam fidem, & fidem bonam. Quamquam ſcio talia in Latino ſermone non ſemper eſſe negligenda, ne dum in iure ciuili. Quod magnam partem in verborum proprietate verſari, Fabius ſcribit. Adſcribam Seruii Grãmatici de hac re iudicium in illud libro primo Æneid. *veras audire ac reddere voces*: ſunt multæ reciprocæ locutiones vt hoc loco: ſunt multæ vnius partis vtrique ſufficientis, vt Tenemur amicitiis. ridiculum enim eſt, ſi addas, mutuis, cum amicitiis vtrumque ſignificet, ſicut Fronto teſtatur.

Item ſuntElocutiones,quarum vna pars plena eſt: quæ ſi conuertantur, habent aliquid ſuperfluum, vt in Saluſtio, *In tugurio mulieris ancillæ*, bene addidit, ancillæ. At ſi dicas *in tugurio ancillæ mulieris*, erit ſuperfluum mulieris. Ancilla enim & cõditionem oſtendit, & ſexum. Item res erat *prætoribus nota ſolis*: hoc ſuffecerat: male ergo addidit, *Ignorabatur à cæteris*. Quod ſi conuertas, nihil eſſe ſuperfluum inuenitur. Hæc Seruius. Sed hæ Grammaticorum munditiæ indignæ iuriſconſulto ſunt, niſi Triphilus ſit aliquis. De quo lege apud Sozomenum lib. 2. eccleſ. hiſtor. c. 11. cum ex IC. & profeſſore iuris apud Berytenſes, epiſcopus Ledranus factus eſſet, & in concione pronunciare illud, *Tolle grabatum tuum, & ambula*, deberet dixiſſe, pro grabato, ſemipoda. magna neq; iniuſta. Epyridionis indignatione, epiſcopi Cyprii.

CAPVT XXVI.

Explicata l. vnic. ff. vt ex legibus, vel SC. poſſeſſio detur.

Vehementer omnes cum veteres, tum recentes Interpretes laborant in hac bonorum poſſeſſione explicanda, vel aliquo ſaltem idoneo exemplo confirmãda. Non longe ab inſtituto meo abiuerim, ſi poſt expoſitas bonorum poſſeſſiones, quas iuriſdictione prætoria introductas eſſe Iuſtinianus ſcribit, huius quoque, quam lex, non iuriſdictio introduxit, explicationem aliquã hoc loco emoliar. Extat eius mentio præterquã in d. l. vn. etiam in §. ſeptima. Inſtitut. de bonor. poſſeſſ. in l. ſed cum patrono §. fin. in illis verbis, Legum quoq; tuen-

tuendarum cauſſa. ff. eod. tit. in l. 3. ff. vnde leg t. Quæ loca diligentius conſideranti mihi videntur duo eſſe, quibus hęc bonorum poſſeſſio conſtituitur. Vnum eſt, vt ſit lex aliqua noua, per quam deferatur. Alterum vt nominatim ſiue ſpecialiter bonorum poſſeſſionem lex deferat, non hæreditatem tantum: Quæ duo probantur ex ſupra adlegatis ll. Nouas leges hic omnes adpellamus præter l. 12. tabul. l. 1. l. 3. in fin. ff. de petit. hæred. Vnde Vlpianus in d. l. 3. ſcribit. ſi lex 12. tabul. hæreditatẽ deferat, non ex parte hac, id eſt, quæ ex legibus, ſed ex alia peti bonorum poſſeſſionem oportere, nimirum ex ea, vnde agnati proximi vel legitimi: ſic enim adpellatur edicti ea pars, quæ ex l. 12. tabul. agnatis bonorum poſſeſſionem dat: hiſque verbis concepta fuit: Tum quem ei hæredem, &c. vel Tum, vti proximum quemq; hæredem eſſe oportet, ita bonorum poſſeſſionem ſecundum eum dabo. vt adparet ex l. 1. l. 4. ff. vnde legit. l. 1. ff. de bon. poſſ. l. 23. §. vlt. ff. de bon. libert. Ideo autem de l. 12. tabul. nominatim Vlpianus loquitur, quia conſtat per eam legem non niſi agnatos proximos vocari ad hæreditatem, neque tum in vſu fuiſſe bonorum poſſeſſiones, quas demum prętores excogitauere. Alia ratio eſt, cur condictio ex lege, quæ ex alia obligatione lege aliqua noua introducta naſcitur, nunquam ex l. 12. tabul. detur, quamuis ea lege non ſit expreſſum genus actionis, quo experiremur, quod cum adcidit, tum dari condictio ex lege dicitur l. 1. ff. illo tit. Sed hoc ideo in l. 12. tab. locum non habet, quia legitimæ actiones ſiue formulæ ſolemnes iam antea ex l. 12. compoſitæ fuerant, ita vt pars & adceſſio quædam legum habe-

rentur l. 2. §. his legibus. ff. de orig. iur. Quare de noua lege concepit definitionem illam ſuam Paulus. Idem tamen conuentionem legitimam definit eam, quę lege aliqua vel SCto ſit confirmanda non dicit noua, ſed aliqua, vt etiam legem duodecim tabular. comprehenderet: conſtat enim ea lege pacta quædam confirmari & adiuuari, ſic v actio ex eis naſcatur, vel tollatur ipſo iure, quamui exempla non extent eius, quibus actio dari demõ ſtretur, ſed quibus tollatur tantũ, vt pactio de furto. l. poſt deciſionem. C. de furt. vt pactio iniuria rum de mẽbro rupto & de lite, vel cõtrouerſia tollenda: Sic enim interpretor illam legem. rem vb. pagvnt, &c. Cuiacius de omni pactione, quæ etiã ad agendum proſit, intelligere videtur. Rectius id de pactione in furto interpoſita dixeris: Donatu in Terent. Adelph. ibi. *vbi me dixero tanti dare*: Recte, inquit, vbi enim pactio intercesſerit precii, n ereptionis actio ſublata erit, & precium debebitur Sed hic non eſt nuda pactio: verum tranſactio, pe quã & actio tollitur, & ſimul quod promiſſum e deberi incipit. Et nota, quod ereptionis actionen dicit, vt quod de furto lex 12. ſanxit, id poſtea a rapinã furti ſpeciem improbiorem, tractũ videa tur. Sed nihil refert, etiamſi vel legis, vel Senatus conſulti nullum tale exemplum extet, non minu recta diuiſio pauli eſt, priuatæ conuentionis in le gitimam & iurisgentium. Nam & extabant Pau temporibus ſine dubio multa: & extare poſſunt v & rebus exigentibus: atque hoc eſt, quod Iuſtinia nus in d. §. ſeptima, ait de bonor. poſſeſſ. ex legibu eam accommodari. Provt res exegit: no ad præterita & præſentia tantum exempla reſp

cien

ciens, ſed ad ea, quandoque incidiſſent. Quod ſi alia lex pręter duodecim, hęreditatem alicui detulerit, eſt quidem hic noua lex, ſed non tamen continuo ex ea dabitur bonorum poſſeſſio vt ex legibus: ſed dabitur, vnde legitimi, niſi alterum illud requiſitum hic adſit. Et quod de lege dico, idem intelligendum eſt & de Senatuſconſulto & alia quauis parte iuris ciuilis, puta conſtitutione principis. Omnes enim hæ partes generaliter lex adpellātur. d.l. 2. §. fin. Vnde legit. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. Exempli cauſa, SCto Tertull. liberorum inteſtatorum hæreditas matri defertur, cui antea non deferebatur, vtpote cum mater filio ſuo ſit tãtum cognata, non etiam adgnata. Porro ius ciuile non adnoſcit cognatos. l. 1. ff. vnde cognati. Igitur Senatuſconſulto illo, vtpote iure ciuili, cum mater iam vocetur, tamquam adgnata filio facta eſt; Cui conſequens fuit, vt prætor etiam bonorum poſſeſſionem matri daret, non vnde cognati, ſed vnde adgnati, & legitimi, d. l. 2. §. fin. Similiter ex edicto Imperatoris Conſtantini, quod apud Euſebium & Sozomenum legimus, hæreditates martyrum nullis hæredibus legitimis extantibus, ad Eccleſias delatæ ſunt. ſicut Theodoſ. & Valentin. conſtitutione clericorum inteſtatorum omnium, quibus hæres alius non ſit. l. ſi quis presbyter. C. de epiſc. & cler. Facit & tit. C. de decur. nauicul. &c. Quod ſi lex vel alia pars iuris ciuilis non ſimpliciter hæreditatem alicui deferat, ſed ſpecialiter, vt ait Vlpianus in dict. l. vnic. bonorum poſſeſſionem ſe deferre dicat, hic demum nobis exiſtet bonorum poſſeſſio, vt ex legib. dict. l. 3. vnde legit. & dict. l. 1. vt ex legib. Specialiter, inquam, & nominatim

Et hoc eſt,quod Iuſtin.in d.§.ſeptima,ait, ***pratorem polliceri hanc bonorum poſſeßionem iis, quibus vt ea detur lege vel SCto comprehenſum eſt.*** ſi enim non expreſſerit bonorum poſſeſſionem, tunc non ex hac parte, ſed ex ſecunda, id eſt, vnde legitimi danda à prætore eſſet,vt ſupra dictum. In hac bonorũ poſſeſſione,vt ex legibus, multa ſingularia ſunt obſeruanda. Primum eſt,quod lex dat bonorum poſſeſſionem, cum alias bonorum poſſeſſionẽ dare non ſit legis,ſed iuriſdictionis, id eſt, magiſtratus. l. hædem.l.1.& l.3.ff.de iuriſd. Inſtit. de bon. poſſ. Hic autem lex bonorum poſſeſſionem dat: ſed tamen non ſine interuentu & auxilio prætoris, ad cuius officium pertinet bonorum poſſeſſiones dare. Itaque prætor edicto ſuo ſe daturum eam bonorum poſſeſſionem pollicitus eſt, quamuis datam à lege.d.§. ſeptima. Inſtitut. Ne ſcilicet ius & natura bonorum poſſeſſionis peruerteretur. Omnis enim bonorum poſſeſſio debet peti, vel ſaltem agnoſci, apud magiſtratum: neque aliter adquiri poteſt l. vlt. C. qui admitti, &c. Secundo, ſingulare eſt,quod condictio ex lege,quæ huic poſſeſſioni ſimilis eſt, ita demum datur, ſi ea noua,qua introducta eſt, lege nihil ſit de genere actionis expreſſum. l. 1. ff. de condict. ex leg. Exempli gratia Iuſtinianus hanc nouam obligationem induxit, vt ex nudo pacto donationis obligatio naſceretur l. ſi quis argentum. C. de donat. Neque expreſſit genus actionis, quo hanc obligationem perſequeremur. Ergo ad condictionem ex lege recurritur,iuxta d.l.vn. At contra hæc bonorum poſſeſſio ex lege non aliter datur,quam ſi lege ſpecialiter expreſſum ſit, vt detur:l.vnic.§.1. Tertio quod ſola

hæc

hæc bonorum poſſeſsio cum ſit edictalis (inter eas enim refertur d. t. Inſtit.) tamen eſt extraordinaria d. §. ſeptima, quod eſt proprium Decretalium, cum Edictales ſint omnes ordinariæ. Edictalis autem eſt hæc bonorũ poſſeſſio, quia ſic edicto comprehenſa eſt vt detur ſine cauſæ cognitione: ſufficit enim prætori extare legem vel SCtum, quo defertur: Extraordinaria autem eſt, quia non ipſe prætor primario eam defert, ſed à lege delatam pol licetur: tum etiam quia nullus certus titulus vel locus ei dari in edicto potuit, cum competat tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, & variis rerum cauſis pro vt res exigit. d. §. ſeptima. Quarto ſingulare eſt, quod vltimum auxilium à Iuſtiniano dicitur, ſicut actio prætoria in factum eſt vltimum ſubſidium iuris noſtri perſequendi. Sed in eo differunt, quod hæc bonorum poſſeſſio concurrit cum aliis bonorum poſſeſſionibus. l. 3. ff. vnde legitimi. d. l. 1. §. 1. ff. vt ex legib. Actio vero illa ſubſidiaria cum nulla concurrit, ſed tum datur, cum omnia nos remedia deficiunt l. quia. & l. quoties. ff. de. præſcript. verb. Dices igitur, ad quid vtilis eſt hæc bonorum poſſeſſio, cum aliæ ordinariæ nobis competant? Reſpondeo non inutilem ſolum, ſed & neceſſariam interdum eſſe. Primo vtilem dico, non ſolum ea ratione, qua & aliæ bonorum poſſeſſiones ordinariæ, puta, vnde legitimi, quæ dicitur non eſſe neceſſaria, quia etiam citra bonorum poſſeſſionem adgnati poſſunt iure ciuili ſuccedere, id eſt, hæreditatem adeundo, vel pro hærede gerendo adquirere. l. 3. C. de Senatuſconſulto Orphitiano. Quod cum dicitur non negatur tamen eſſe vtilis, cum ius prætorium multis

in rebus commodius ſit iure ciuili: ſed etiam ea ratione vtilem dico, quod licet cum aliis bonorum poſſeſſionibus concurrat, tamen habet ſuas per ſe vtilitates. Primo, quia habere remedia, pluresque actiones vtiliſſimum eſt. Secundo, quia ſi petitur ex hac parte, vt ex legibus bonorum poſſeſſio, expeditiſſima res eſt, noua lege adlegata, vel oſtenſa, per quam defertur; quod non ita expeditum eſſet, ſi ex alia parte, puta, vnde legitimi, peteretur, cum ambiguum ſit, an & quomodo ſint legitimi qui petunt, cum plerumq; tales nõ ſint, ideo non ſint agnati. Eſt igitur hoc remedium facilius: quo caſu nihil vetat, quin remedium extraordinarium cum ordinario concurrat. l. 1. §. 1. ff. de R. I. l. 3. §. ex hoc edicto. ff. nautæ caup. ſtab. ſecus eſſet, ſi ordinarium eſſet æque facile vel vtile, l. quædam. ff. de edend. l. 1. C. de theſaur. Dixi plene in libro de concurrentibus actionibus, quem Paulũ imitati ſcripſimus. Atq; ita in hac quęſtione noſtra recte Alexander Bartolum reprehendit in l. fin. nu. 7. C. communia de legat. Tertio, quia ſi quis omiſerit, vel nõ petierit bonorum poſſeſſionem, vnde legitimi, non prohibebitur ad hanc, tanquam ad vltimum auxilium recurrere, vt dicitur de filiis, qui omiſſa, vel repudiata bonorũ poſſeſſione, vnde liberi: tamen admittuntur poſtea ad bonorum poſſeſſionem vnde legitimi. l. 1. §. ſed videndum. ff. de ſucceſ. ed. Quarto, quia licet ex alia parte edicti adgnita ſit bonorum poſſeſſio, tamen hæc nunquam impeditur, id eſt, nõ excluditur quis ab hac poſſeſſione, vt ex legibus petenda. d. l. vn. §. 1. ff. vt ex leg. Quod ita intelligendũ eſt, nõ ſolum cum quis per errorem vel temere agnouit aliam bonorum poſſeſſionem

ſeſſionem quæ ei non competebat, vt poſſit deinde hãc adgnoſcere, neque ſuperior illa a gnitio ei præiudicet, vt recte Accurſius ſcribit: ſed etiam cum competebat. poteſt enim vtraque cumulari & coniungi, vt ſupra monui. Poſtremo, quia ſane efficacius eſt, ipſis verbis legis munitum eſſe, qua hæc poſſeſſio nominatim defertur. Nam ſi iuſte poſſidere quis dicitur, qui auctore prætore poſſidet. l. iuſte. ff. de acquir. poſſeſſ. quanto magis qui poſſidet auctore lege? Neceſſaria autem hæc mihi bonorũ poſſeſſio videtur, cum lex ita eam ſpecialiter defert, vt deferat ſolam: tum enim (vt opinor) nõ poteſt quis neq; iure ciuili hæreditatẽ adire, neq; legitimus hęres dici. Ergo nec bonorũ poſſeſſio, vnde legitimi, vel alia ordinaria ei dari poteſt. Sed in primis hæc bonorũ poſſeſſio neceſſaria eſt, cum ex teſtamento datur, ſiue detur contra voluntatem, ſiue ſecundũ voluntatem, vt mox adparebit. Nunc videamus, ſi qua exẽpla ex iure noſtro adferri huius bonorũ poſſeſſionis queant? Vllum repertum adhuc eſſe negat Cuia. ad l. 6. ff. de pact. In libris obſeruationum autem vnicum tãtum adfert, ſed neque primus, neque ſolus. Accurſ. plura adfert. Sed de iis mira eſt inter Dd. altercatio Nic. Bellon. in lib. ſupput. fingit aliquid potius, quã adfert ex iure ciuili ſecutus Iaſonem in l. certum. nu. 7. h. t. n. vt & alii ad dict. §. ſeptima. Inſtitut. Mihi exempla non omnia inepta videntur, ſed de his ordine videamus. Et primum ex legibus duo proferri poſſunt. Vnum ex lege Papia, alterum ex lege Cornelia teſtamentaria. Lege Papia patrono in bonis liberti defuncti dimidia vel tertia pars datur, vt explicatur in §. poſtea. Inſtitution. de ſuc-

ceſ.libert.In eam partem bonorum poſſeſſio ei delata eſt à l.Papia,quod ſatis mihi videtur probari ex connexione l. is veluti. 4. quæ eſt ex lib. Caii ad l. Papiam cum l.5.& l.6.ff.de bon.poſ.& d.§.poſtea, cum §.præced. Neque obſtat, quod Iaſon ſcribit eam poſſeſſionem à prætore deferri, & non à lege, quia ſcilicet dicatur in d. l. 6. eam prætorem polliceri patrono. Nam pollicetur quidem, ſed ex l.Papia, ſicut Iuſtinianus in dict.§. ſeptima, agens de hac bonorum poſſeſſione, vt ex legibus, ſcribit, eam prætores polliceri, & introduxiſſe, quia ſcilicet non defertur ſine opera & interuentu prætoris, vt ſupra dictum. Alterum exemplum eſt ex lege Cornelia,quæ lex teſtamenta eorum,qui ab hoſtibus capti, apud eos etiam mortui ſunt, ante captiuitatem facta cõfirmat. Nam in l,4. C.de poſtl. reuerſ. diſerte ſcriptum eſt bonorum poſſeſſionem captiui adgnoſci poſſe. Nec refert, quod ibi non dicatur, ex lege Cornelia:quia ſatis id intelligitur, cum ſola ſit lex Cornelia, quæ talia teſtata confirmat. Neque etiam obſtat, quod Cuiacius ait libro 11.obſeruat. cap.14.in dict.l.4. intelligendam eſſe bonorum poſſeſſionem vnde cognati, quia ſcilicet in ea lege agatur de ſucceſſione cognatæ, id eſt, materteræ. Nam, vt hoc ita ſit,nihil impedit,quin ea poſſeſſio deſ' à prętore ad bonorũ poſſeſſionem,vnde cognati. Hæc enim bonorum poſſeſſio varie nunc huic, nunc illi ex teſtamento, vel ab inteſtato bonorum poſſeſſioni adcommodatur à prætore.quod ſignificat Iuſtin.in d.§.ſeptima, cum ait, *Adcommodat*, item paulo antea: *Non ſtabili iure connumerauit.* Item, *prout res exigit.* Idem probatur ex l. 3. §. ſed & eius. ff. de bonor. poſſeſſ.

præſertim

præſertim cum ibi dicatur: *Nulla dubitatio eſt*, nimirum propter L. Corneliam, quæ ſpecialiter cauit, vt bonorũ poſſeſſio daretur l. L. Cornelia ff. de vulg. & pup. Deinde ordinaria bonorum poſſeſſio nunquam impedit hanc extraordinariam, vt ſupra monui d. l. 1. §. 1. Vt ex legi. Sicut neque Carboniana bonorum poſſeſſio impediri dicitur ab ordinaria, vt idem Vlpianus ait in l. 1. ff. ſi teſt. tabb. null. extab. Hæc de legibus. Exemplum autem SC. quo defertur hæc bonorum poſſeſſio, non puto facile reperiri poſſe: Nam quæ de SCto Tertulliano & Orphitiano adferuntur, ea ſunt falſa. Conſtat enim non bonorum poſſeſſionem ex iis SCtis, ſed hæreditatem tantum deferri: quare etiam ſola bonorum poſſeſſio Vnde legitimi, ex iis dari à prætore dicitur l. 2. in fin. ff. Vnde legitimi. Ego puto rectum exemplum adferri poſſe Senatuſconſulti Aproniani, cuius fit mentio in l. omnib. ff. ad SC. Trebell. Nam & bonorum poſſeſſionem quoque ſpecialiter datam eſſe municipibus, colligitur ex l. vn. ff. de libert. vniuerſit. & l. 3. §. municipibus. ff. de bon. poſſeſſ. Neque obſtat, quod Vlpianus in d. l. vnic. ſcribit dubitationem moueri, an municipes petere poſſint bonorum poſſeſſionem: Non enim hoc ideo dicit, quod bonorum poſſeſſio eis Senatusconſulto ſit delata: ſed ideo quia ad bonorum poſſeſſionem adgnoſcendam voluntas & conſenſus requiritur: Municipes autem, vt ibi Vlpianus ait, conſentire non poſſint, id eſt, nõ facile. Eadem dubitandi ratio in municipibus fuit, an actione de dolo cõueniri poſſint: Item an poſſeſſionẽ adquirere. l. 1. in fin. ff. de adquir. poſſ. l. ſi ex dolo. §. 1. ff de dolo malo. Decidit igitur Vlpianus petere & agnoſcere eos poſſe: quid ni? *Sed qua ratione*, inquit, *Se-*

natus cenſuit, vt reſtitui eis hæreditas poſſit. qua ratione alio SC. hæredibus eis inſtitutis à liberto, adquirere eis hæreditatem permiſſum eſt: ita bonorum quoque poſſeſſionem petere dicendum eſt. non dicit permittendum eſt; quia iam erat SC. permiſſum. ſed remouet obiectionem ſuperiorem à ſimili: nam & hæreditas adquiri non poteſt ſine animo atque conſenſu. Illud præterea in verbis Vlpiani noto, quod ait *inſtitutis hæredibus à liberto*, non à quouis. Quod eo pertinet, quia municipia vel ciuitates non poſſent olim ex teſtamento capere. Plinius lib. 5. epiſt. 7. *Nec hæredem*, inquit, *inſtitui, nec præcipere poſſe Remp. conſtat.* Poſtremo de conſtitutionibus Principum videamus. Et aptiſſimum exemplũ adfertur, quod & Hottom. & Cuiac. probãt ex conſtitutione ff. Hadriani, ex qua militis ob flagitium militare capi e damnati bonorum poſſeſſio defertur cognatis vſque ad quartum gradum, quibus alias nõ deferretur propter capitis diminutionem militis l. 2. ff de veter. & militum ſucceſſ. l. ſi quis in princ. §. miles. ff. de Legat. 3. l. cum hic ſtatus. §. ſimiles ff. de donat int. vir. & vxil. 1. ff. de iniuſt. rupt. Aliud exẽplum æque idoneum adfertur ex conſtitutione D. Pii, & Hadriani in l. poſthumus 12. ff. de iniuſto rupto. vbi contempta ſubtilitate & ſcrupuloſitate iuris ciuilis datur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas hæredi ſcripto ex eo teſtamento quod rup ũ erat adgnatione poſthumi: ſed ex ęquitate tantum datur, quia poſthumus paulo poſt deceſſit, in quo hæc bon. poſſeſſio, vt ex legibus, neceſſaria eſt, cũ aliud remedium hæredi ſcripto non ſuperſit, niſi conſtitutio noua ei ſubueniſſet. Alia quoq; exẽpla adferri forte poſſent, veluti ex l. 3. ff. de inoffic. teſt.

& l.

& leg. ſi de his Cod. de legit. hæredib. Sed hæc ſufficiant.

CAPVT XXVII.

Quemadmodum ſcriptus hæres in poſſeßionem mittatur. Ad l. vlt. C. de Ed. D. Hadr. toll.

SICVT in bonorum poſſeſſionibus dandis, quod totum prætorium, vnam ſpeciem reperimus, quam non Iuriſdictio, ſed Lex inuenit, vt proximo capite expoſuimus: ita & in miſſionibus in rerum poſſeſſionem, quod etiam prætorium eſt, vna eſt obſeruata à nobis ſpecies, quam non edictum prętoris, & iuriſdictio introduxit, ſed lex atque edictum Principis. Ea eſt Miſſio in poſſeſſionem rerum hæreditariarum, quæ diui Hadriani conſtitutione propoſita eſt hæredibus ſcriptis. Conſtitutio in primis vtilis ac prope neceſſaria. Dominium & iura defuncti acquirit hæres ſola aditione hæreditatis vel bon. poſſeſſionis agnitione: at non etiam ipſam poſſeſſionem rerum hæreditariarum: niſi eam naturaliter adprehenderis l. cum hæredes. in principio, ff. de acquir. poſſeſſ. Neque vero propria authoritate adprehendere poteſt, præſertim ſi ab alio res poſſideantur. quam ad rem petitio olim hæreditatis neceſſaria hæredi fuit, vel interdictum, Quorum bonorum. Petitio hæreditatis, longa & lenta res eſt, multæ difficultates, multæ ambages. Dominium enim probandum eſt, & ius hæredis. Adde, quod non datur ea petitio niſi aduerſus iniuſtos poſſeſſores, id eſt, qui pro hæ

rede poſſident, vel pro poſſeſſore atque prædone: idemque & de interdicto, Quorum bonorum, dicendum eſt. Hęc autem miſſio in poſſeſſionem aduerſus omnes datur, etiam titulo poſſidétes: & ſufficit in ea oſtendere iudici teſtamentum ſcriptum ſine vllo vitio viſibili, quamuis alias ſit iniuſtũ, atq; inualidum. l. 2. l. vlt. C. de ed. D. Hadrian. toll. Nec ſuſtulit hoc Edictum tam ſalubre Iuſtinianus, ſed auxit potius & perpetuũ fecit, cum eſſet antea annale. de quo plura in fine. Nunc quædam de eo explicanda ſunt, de quibus non ſatis conuenit inter Doctores noſtros. Primum, miſſio ex hoc edicto, ſiue ex lege Iuſtiniani non omni iudici cóceſſa eſt, ſed magiſtratui imperium habenti, quem d. l. vlt. iudicem competentem vocat: quo nomine ſæpe magiſtratus maiores, & pop. Rom. intelliguntur. Imo interdum etiã, vbi mentio fit coniunctim magiſtratuum & iudicum competentium, illo nomine municipales magiſtratus, qui ſunt infimi; hoc magiſtratus pop. Rom. qui ſunt veri & iuſti magiſtratus, intelliguntur. vt illo loco Inſtit. quib. mod. patr. pot. ſol. §. præterea. *Recta via ad competentes iudices, vel magiſtratus intrent.* Sed magiſtratus municipales concedere hanc miſsionem nõ poſſunt, cum ſit imperii magis, quam iuriſdictionis, qualia illi facere non poſſunt; non ſunt, inquam, illi hic competentes iudices, vt nec in eo, quod teſtamentum publice oblatum & recitatum eſſe oportet, vt eſt lib. 3. ſenten. Paul. §. pen. De SC. Silanian. Nam hoc fieri ſolum poteſt apud magiſtratus legitimos, & competentes iudices, vt ait l. 1. C. quemad. teſt. aper. qualis eſt Prætor vel Rector Prouinciæ. l. 2. eod. l. 4. ff. de iuriſd. l. ea quæ. ff. ad municip. Inepta eſt

eſt illa Bartoli diſtinctio, qui ait, cum nullus contradictor ſe heredi obiicit, hanc miſſionem eſſe imperii, id eſt, magiſtratus imperium habentis. Contra eſſe, ſi aliquis cõtradictor exiſtat: tunc enim etiam à pedaneo iudice concedi poſſe, quia libellus in ea petenda requiratur. Imo vero hoc caſu magis imperii eſſe putari debet, quam priori; vt recte Iaſon exiſtimat. Denique omnis in poſſeſſionem miſſio eſt imperii d. l. 4. nec verum eſt, libellum requiri. nam ſufficit qualis qualis petitio, vtique ad ſolam miſſionem impetrandam: etiam tum (vt arbitror) cum controuerſia hæredi petenti fiat à legitimo aliquo contradictore. Sed Iuſtiniani verba conſideremus. Ait, *Mittatur quidem in poſſeſſionem earum rerum, quæ teſtatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur, & cum teſtificatione publicarum perſonarum accipiat. Sin autem aliquis contradictor extiterit: tunc in iudicio competenti cauſa in poſſeſſionem miſſionis, & ſubſecutæ cauſæ traditionis ventilentur, & ei poſſeſſio acquiratur, qui potiora ex legitimis modis iura oſtenderit: ſed ſiue tardius, ſiue præmature quis miſſus eſt, legis tantummodo arbitrium requiratur, & cauſa vnde vel miſſio, vel contradictio exoritur. Siue enim poſt annum, ſiue poſt maius æui curriculum aliquis fuerit miſſus, ſi tamen ex legitime formato teſtamento miſſio procedat, nullum ei temporis obſtaculum obiiciatur.* Hæc Imperator. Quibus in verbis duo genera mihi notaſſe contradictorum videor. Nam vel in partem ſe quis opponit hæredi, vel in totum. In partem, qui non prohibet quidem, ne hæres mittatur in poſſeſſionẽ, ſed negat eum mitti oportere in eas res, quas ipſe poſſidet. De tali contradictore illa verba Iuſtiniani ca-

pio. *Non autem legitimo modo ab alio detinentur.* In totum autem contradicere miſſioni eum intelligo, qui ipſe potius in poſſeſſionem mitti petit, quod dicat, ſe potiora iura habere altero. De quo contradictore loquitur Imperator in verſiculo, *ſin autem aliquis.* Quare etiam hic contradictor vniuerſalis, cum vniuerſum ius hæredis ſiue petitoris conuellat, ſolus in hac lege contradictor appellatur. Et prioris quidem illius contradictionis, quā licet particularē nominemus, vna eſt legitima ratio, ſi poſſeſſor oſtendat ſe eas res ante mortem teſtatoris poſſediſſe, & legitime quidem. In harum enim rerum poſſeſſionem, quas teſtator mortis tempore non poſſedit, hæres ſcriptus, priuſquam iure ordinario experiatur, improbe mitti deſiderat, inquit, Paulus lib. 3. ſentent. §. vlt. tit. de viceſima: conſentienter verbis Iuſtiniani, qui ait, mittendum eum in poſſeſſionem earum rerum, *quæ teſtatoris mortis tempore fuerunt*, quæ verba non de rebus ſolum teſtatoris intelligi debent, ſed etiam alienis, quas tamen teſtator tum poſſedit: vt in l. vlt. ff. de iur. deliber. locutus eſt. nam & eæ res, quas poſſedit tantum, vel detinuit teſtator, in deſcriptionem inuentarii referendæ ſunt: cum & in petitionem hæreditatis venire dicantur. l. & non tantum ff. de petit. hæred. Contra in eas res, quæ teſtatoris fuerunt, mitti non debet, ſi eæ tempore mortis teſtatoris ab alio legitimo modo detineantur, vt ibidem Iuſtinianus ſubiicit: quamuis teſtatoris ipſius fuerint. neque enim quis eſt poſſeſſione ſua, præſertim legitima, ſine cauſa ſpoliandus. Quod ſi per iniuriam teſtator amiſerit poſſeſſionem earum rerum, puta, deie-

ctus defuncto; tunc, quia, legitimo modo poſſeſſor non detinet, in eas mittendus hæres eſt. Nec vero ſolum hoc remedium ex edicto Hadriani ei competit, quod eſt adipiſcendæ poſſeſſionis, vt & interdictum, Quorum bonorum: ſed etiam interdicta recuperandæ, puta, vnde vi, quæ defunctus habuit, & eius ex perſona etiam hæredibus adcommodantur, l. 1. §. hoc interdictum. ff. de vi, & vi arm. Quare & cumulari in eodem libello, quamuis contraria videantur, hæc interdicta poſſunt: cum diuerſis ex cauſis & perſonis ad eandem licet poſſeſſionem competant: quemadmodum in ſenatu regio iudicatum fuiſſe Cæſ. Vrſillus ſcribit Deciſione Neapolit. 118. Amplius etiam, vtroque remedio & acquirendæ & recuperandæ ſimul vbi poteſt hæres in iis locis, vbi ſtatutum ſit, vt defuncti poſſeſſio in hæredem continuetur: de quo ſtatuto multa cum alii, tum Nic. Bellonus libr. 4. Supputationum. Nam & recuperandæ remedio recte vtitur, quia ex ſtatuto poſſeſſionem habuiſſe fingitur, & miſſio ex hoc edicto dabitur ad executionem ſcilicet eius ſtatuti, vt quam poſſeſſionem ex ſtatuto legitimam & fictam habet, eam beneficio huius miſſionis veram & naturalem nanciſcatur, vt præclare Baldus docet in Rubr. Ext. de cauſſa poſſeſſ. & propriet. probatque acutiſſimus Decius in conſ. octuageſimo quarto, & ibi Molinæus in notis. Vno caſu ex ſua perſona & ſine ope Statuti habere hæres debet remedia recuperandę poſſeſſionis, quā à morte teſtatoris non adprehenderit: Si mihi proponas, à teſtatore ei traditam puta ſi

ſui hæredi bona omnia vtenda & poſſidenda tradiderit, antequã moreretur. vt fecit ille Heraclius Syracuſanus, Ciceronis Verrina 4. Idemque è contrario dicendum puto, ſi vſumfructum tantum ſibi ipſe bonorum ſuorum teſtator retinuerit, bonis ei donatis, quẽ ſibi hæredem inſtituit. nam & tradidiſſe ei poſſeſſionem intelligitur arg. l. ſi quis 28. C. de donat. eiuſque nomine poſſidere, ſicut in Cõſtituto vulgo dicimus. l. quod meo. ff. de acquir. poſſeſſ. Quid autem ſi poſſeſſor earum rerum ſe dominum eſſe dicat? nihilominus hæres in earum poſſeſſionem mittetur: nam in remediis, iudicijſq; poſſeſſoriis, quale eſt hoc Hadrianũ ſiue Iuſtinianeum beneficium, non eſt exceptioni dominii locus. imo ſi talis exceptio à Iudice admitteretur, poſſet ex eo totus proceſſus impugnari: vt ſcribit Bartolus recte in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir poſſeſſ. & in l. ſi quis ad ſe fundum C. ad L. Iul. de vi. Hæc de particulari vel ſingulari cõtradictore. Vniuerſalis eſt, qui ſolus mitti vult, quod potiora ex legitimis modis iura oſtendat, vt ait Iuſtinian. vbi quid eſt, *ex legitimis modis*? an quod poſtea ait, *ex legitime formato teſtamento miſſio procedat*? ita ſane. Nã in hac miſſione impetranda ſolum hoc ſpectatur, vt teſtamentum iudici oſtendatur non cancellatum neque abolitum, neque ex quacunque ſuæ formæ parte vitiatum, ſed quod prima figura ſine omni interpretatione appareat, & depoſitionibus teſtium legitimi numeri vallatum; vt eſt initio d. l. vlt. tali teſtamento oſtenſo vincet cõtradictor alium, qui non tale oſtendit: vel oſtendit tale, ſed prius factum, quod poſteriori ruptum eſt l. 2. ff de iniuſt. rupt. irr. vel ſi in eo, quod contradi-

ctor

ctor oſtendit, teſtes ſint notiores, & fide digniores, quam in altero: vel ſi filius, puta, aliusue ex propinquis teſtatoris in eo ſcriptus hæres ſit, in altero extraneus, vel ignotus. Quamuis enim in hoc edicto & remedio poſſeſſorio non audiatur, qui dicat teſtamentum eſſe iniuſtum, vel inofficioſum, vel falſum, vel irritum, vel etiam nullius momenti ob prætentionem filii. l. 2. C. h. tit. & Paulus dicto loco (hæc enim ad petitorium iudicium reſeruari debent) tamen ſi duo teſtamenta oſtendantur, non puto dubitandum, quin ex eo, cui maior fides adſiſtit ex rebus etiam, ſub aſpectum non cadētibus, & ſecundum ipſum miſſio decernenda ſit. Quid etiam ſi fideicommiſſarius ſe contra hęredem mitti poſtulet? profecto repellendus eſt: neque enim fideicommiſſario hæc miſſio competit, ſed hæredi, quamuis (vt opinor) etiam hæreditatem fideicommiſſario forte reſtituerit, verbo non re. l. reſtituen. ff. ad Senatusconſultum Trebell. non me mouet, quod & verbo & vnius etiam rei reſtitutione tota hæreditas reſtituta intelligatur, omniaque exinde iura fideicommiſſarius habeat. nam hæc prætor in hac miſſione non conſiderat, ſed teſtamenti duntaxat figuram atque verba, id eſt, nomen hæredis ſcripti, vt eſt etiam in rubric. huius tit. C. Porro in teſtamento hæres ſcriptus eſt is, qui rogatus eſt reſtituere, non is, cui reſtituere debet. & capere de manu eius hæredis debet fideicommiſſarius, non de manu iudicis hæreditatem: etiam tum, cum hęres adire à prætore cogitur inuitus: nam & reſtituere cogi dicitur l. cogi. cum ſimil. ff. ad Senatusconſultum Trebellian. Videamus nunc reliqua verba huius l. vlt. Nam Iuſtinianus cum miſſioni

huic nullum obſtare temporum cumulum dixiſſet, contra quam edicto erat D. Hadriani conſtitutum, in hunc modum ſubiicit: *Niſi tantum temporis effluxerit, quod poſsit vel poſſeſſori pleniſsime ſecuritatem ſuper dominio praſtare: vel ipſi qui miſſus eſt, omnem intentionem excludere. Si enim vel ex vna parte, vel ex vtroque latere temporis prolixitas occurrerit: manifeſtiſsimum eſt, non ſolum miſsionem, ſed etiam ipſam principalem cauſſam eſſe ſopitam.* Quæ verba Doctores omnes, quos vidi, ſic interpretantur, quaſi illis verbis, *Ex vtroque latere*, vſucapio, illis, *Ex vna parte*, præſcriptio 30. vel 40. annorum ſignificetur. nam in vſucapione verſari & odium & fauorem dicunt: odium ex parte domini, cuius negligentia lege punitur per vſucapionem. l. alienationis. ff. de verb. ſign. fauorem ex parte poſſeſſoris, propter quem maxime introducta ſit vſucapio, vt eſſet aliquis finis ſollicitudinis ac litium, ne dominia diu in incerto eſſent, vt Cicero ſcribit, & Gaius noſter l. 1. ff. de vſucap. Inſtit. eod. tit. Contra in præſcriptione ſolum odium domini ponunt, nõ etiam fauorem poſſeſſoris, vtpote cui etiam ſine bona fide præſcribere res tanto tempore liceat. l. fin. C. de ann. except. l. ſi quis emptionis. C. de præſcript. 30. vel. 40. ann. De qua re & differentia vt nihil nunc dicam, quã vera ſit: nemini tamen non apparere exiſtimo, quam hæc interpretatio à verbis Iuſtiniani aliena ſit, & longe petita. quid enim minus illis verbis dicitur, ex vna parte, id eſt, ex odio poſſeſſoris, ex vtroque latere, id eſt, ex fauore poſſeſſoris, odio domini? Imo hęc verba nihil aliud ſignificãt, quam perſonas, vel alias in iure, puta cũ dicimus, contractum cum pupillo initum ex altera

ta tantum parte conſtare. Dices: quid refert, quomodo ea verba exponantur, dum de ſententia ipſa & iure conſtet? Imo vero plurimum. Nam illa vulgari explicatione res incidit in magnas difficultates, propter l. hæreditatis. 7. C. de petit. hæredit. & ius manifeſtum, quo receptum eſt, vt hæreditatis petitio non tollatur ſpatio longi temporis 10. vel 20. annorum, quod eſt legitimum vſucapionis tempus, ſed duntaxat longiſſimi, id eſt, 30. annorum præſcriptione. Qua obiectione ſeſe vt expedirent interpretes, varias & mirificas ſolutiones ac diſtinctiones commenti ſunt, quibus ne ipſi quidem authores acquieſcunt: vt ex vno Iaſone ad d. l. vlt. intelligere licet, nec noui, quod ſciã, melius. Donellus quidem ſecutus illam Accurſii & aliorum interpretationem, tamen huius obiectionis nec mentionem facit. Sed veriſſimum eſt, quod dixi, illis verbis ſignificari perſonas de hæreditate, vel miſſione in poſſeſſionem litigantes: vt ſit hic ſenſus, ſiue ex vna parte, id eſt, vel poſſeſſoris ſolius, vel hæredis ſolius, ſiue ex vtroque latere, id eſt, & poſſeſſoris ſimul & hæredis. Ex parte ſolius poſſeſſoris temporis prolixitas occurrit, ſi is rerum hæreditariarum, quas poſſidet, dominiũ longo tempore acquiſiuerit, id eſt, decem vel viginti annis, quæ eſt vſucapio. Cum enim eas res vſuceperit, non poteſt aduerſus eum vel hæreditatis petitio locum habere, vel miſſio ex hoc edicto concedi. Et hoc nimirum eſt, quod Iuſtinianus ait, *tantum tempus poſſeſſori pleniſſimam ſecuritatem ſuper dominio praſtare.* Pariter ex parte hæredis occurrit atque obſtat hæredi prolixitas temporis, non ſi res à poſſeſſore vſucaptæ præſcriptæue ſint, vt inepte

interpretes:ſed ſi ipſa petitio hæreditatis ſit ei præſcripta:quod adcidit,ſi 30. annis ea non egerit: neque enim poteſt deinceps agere: ſiue is,qui poſſidet 30.annis poſſederit, ſiue 20. ſiue multo breuiore tempore.dict. l.ſi quis emptionis. cum ſimil. Non obſtat igitur d. l. hæreditatis. quæ loquitur non de iure poſſeſſoris, id eſt, de vſucapione vel præſcriptione rerum ab eo poſſeſſarum:ſed de iure hæredis,id eſt,de petitione hæreditatis,quæ annis 30. præſcribitur ac tollitur.ideoque dicitur hic ea præſcriptio omnem intentionem petitoris ſiue hæredis excludere; & quod ad miſſionem ſcilicet in poſſeſſionem ex hoc edicto, & quod ad principale negotium, id eſt, petitionem hæreditatis, in qua agitur de iure & dominio rerum. Ex parte autẽ vtriuſque, id eſt, & poſſeſſoris & hæredis obſtat temporis prolixtas, ſi proponas & poſſeſſorem res vſucepiſſe, vel præſcripſiſſe, & hæredem 30. annis nõ egiſſe,atq; ita à petitione hæreditatis excluſum eſſe. Hæc ſi ita explicentur, certa claraque ſunt, vt eſt ipſum ius per ſeſe certum ac clarum. quod & hæc l. vlt. & dict. l. hæreditatis. ſatis demonſtrant. Nam in hac l. vlt. Iuſtinianus ait, *Manifeſtiſſimum eſt*:in d.l.hæreditatis. Diocletianus ait, *Nemini incognitum eſt*. At Doctorum interpretationes,quas dixi, totam hanc rem incertiſſimam nobis obſcuriſſimamque reddiderunt. Explicata ſit ſententia d.l.vlt.non inutile fuerit, quædam adtexere de ratione qua ſe motum ad edictum Hadriani tollendum Iuſtinianus dicit. Ea duplex eſt, & quod mire eſſet à Iuriſconſultis illud edictum implicatum, & quod viceſima hæreditarum lege Iulia introducta jam pridem de Republ.ſublata erat, cuius viceſimæ

ceſimæ cauſa quædam in illo edicto Hadrianus ſanxerat: in primis de tempore. quod annum huic miſſioni præfixit: idqud ideo, ne mora viceſimæ & fiſco fieret. Paulus lib. 5. ſentent. tit. 6. §. teſtamentum. Quare etiam eo, ne qua in apertione tabularum teſtamenti dilatio fieret, cautum fuit, & ne appellare contra hanc aperturam., & decretam miſſionem liceret l. vlt. princ. ff. de appellat. recip. in qua lege verba ſunt luxata & ſic reſtituenda: *Ne teſtamentum aperiatur, neue ſcriptus hæres in poſſeſſionem inducatur, vt D. Hadrianus conſtituit: ne frumentum*, &c. Vtrumque enim D. Hadrianus pariter cauerat. Ex eo autem quod in hac l. vlt. viceſima dicitur, è Repub. receſſiſſe notandum puto, legis tacito conſenſu (ita enim receſſiſſe intelligo, licet aliter alii interpretentur, quaſi conſtitutionibus ſubinde ſublata & reſtituta fuerit) abrogari, etiamque in iis rebus, quæ ad fiſci vtilitatem pertinent, ei præſcribi. Nec minus etiam notabile eſt, quod in veterum interpretum commentariis legi, cum Senatus Veronenſis nouum quoddam vectigal imponere hæreditatum vellet, conceſſiſſe populo, qui etiam huius l. vlt. authoritate vtebatur. In Germania vero plurimis in vrbibus, vt Noribergæ, Spiræ, Auguſtæ, ſicut & in Italiæ multis prope in vſum reducta eſt lex Iulia viceſimaria in bonis & hæreditatibus, præſertim quæ in ciuitate alicui extraneo obuenerint. non ſolum enim viceſima, ſed & decima de bonis præſertim immobilibus detrahi ſolet, adeoque hoc increbuit, vt etiam municipia id iuris ſibi vindicent: quod tamen eſt de regalibus; vt me hercle non inſulſiſſimus videri Imp. Heliogabalus debuerit, *qui ad viceſimam hæredita-*

tum, (vt ſcribit in eius vita Lamprid.) *mulionem curare & coquum & clauſtrarium artificem iuſsit*: ſi ea tum in Italia conſuetudo viguiſſet. De qua cũ Itali interpretes multa, tum Germani doctiſſime diſputant. Magnæ enim ſæpe controuerſiæ de ea exiſtunt, inprimis in perſonis priuilegiatis, vt vocant, quales ſunt Profeſſores aliique ad Academiæ iuriſdictionem pertinentes, vt Witebergæ inter Profeſſores & Senatum oppidanum eam controuerſiam exortam, tandemq; ſic translatam, adprobante Electore Auguſto, ſcribit clariſſ. vir Rauchbarus, quæſt. 15. ne Senatui oppidano ſub huius iniqui iuris prætextu poteſtas eſſet, quicquam detrahendi de hæreditatibus parentum aut liberorum (quos & Auguſtus ipſe Cæſar author viceſimæ, teſte Plinio exceperat) ad corpus Vniuerſitatis pertinentium, vel de bonis Profeſſorum eorumq; liberorum alio domicilium transferentium. Hæc ille. Quanquam fateor in eiuſmodi rebus controuerſiiſque publicis fruſtra, etiam interdum inepte, argumenta ex Republ. Romana, & iure ciuili peti. Magis conſuetudines, & priuilegia locorum, & ius imperii, & neceſſitates in his rebus dominantur. nec continuo iniquum eſt. quod nouum eſt. Faxit Deus Opt. Max. ne breui non ſolum hoc viceſimario tributo, quod pro dignitate imperii & gloria Auguſtus indixerat, ſed ſanctiori aliquo & Saturnio ærario, quale aduerſus Gallos pro ſalute veteres Romani conſtituerant, nobis opus ſit. Non eſt ad portas Annibal, ſed immanior Annibale hoſtis intra muros receptus eſt, intra viſcera noſtra graſſatur.

CA-

CAPVT XXVIII.

Ius dicere, iudicare, iudicem dare.

NIHIL tam prætorium eſt, quam ius dicere. Id autem duo complectitur, & iudicare, & iudicem aliurn dare. Hinc illa Ciceronis lex, *Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, iudicarìue iubea*, *prætor eſto.* Sed iudicare raro & non niſi certis in cauſſis, de quibus infra libro ſequenti agemus, Prætores olim conſueuerant: vel quod vacare tam multis cauſſis audiendis non poterant, vel quod inferius id maieſtate ſua iudicabant. Vnde illud eiuſdem in Epiſtola ad Q. Fratrem: *Quid? prætor ſolet iudicare deberi?* Nec refert, quod non de Prætore vrbano loquatur, ſed eo qui prouinciæ præeſſet; nam non minus huic licuit & conſuetum fuit, quam prætori vrbano, iudices dare: & ab vrbe ad prouinciam, & vice verſa, argumentum in his rebus ducere Iuriſconſulti noſtri ſolent. l. 1. ff. de ſuſpect. tut. l. cum hi. ff. de tranſact. cum ſimilib. Aliud eſt igitur non poſſe iudicare, quod de prætore nemo vnquam poſthac dixerit, cum tot eruditi viri id refutauerint, aliud non ſolere, vel non paſſim & de omnibus negotiis ſolere, aut debere. Quare iudicis nomen prætoribus, aliiſq; magiſtratibus frequentiſſime tribui videmus, cum in veterum ſcriptis, tum præcipue in iure noſtro. Imo & iudicantis & iudicare vocabula, vt in l. ſi idem. & l. pen. ff. de iuriſd. & iudex quidem dicitur, etiam cũ ipſe non iudicauit, ſed alius vt tit. de reb. auth. iud. poſſid. Iudicis, id eſt, magiſtratus etiam cum alienas, id eſt, priuati & à ſe dati iudicis ſententiam exe-

quitur. l. à diuo Pio. ff. de re iudic. Sed cum magiſtratus ipſe cognoſcit, & pronuntiat proprie iudicare dicitur: cum alium cognoſcere iubet, proprie ius dicere. Vnde iuriſdictionem Vlpian. dixit, eſſe iudicis dandi licentiam. l. 3. ff. de iuriſdict. iudicare non eſt imperii: ius dicere eſt imperii. Hinc Paulus iudicem dare ait poſſe in primis magiſtratus populi Romani, & addit propter vim imperii. l. ait Prætor. ff. de iudic. Hinc iſta paſſim in iure ciuili diſtincta, ius dicere, & iudicare: nec vocabulis ſolum, ſed vere rebus atque effectibus, multo magis. Vocatus eſt quis in ius ad prætorem, ad ius dicentem? venire cogitur; à iudice in ius vocatus non cogitur; quod ſi forte veniat, & vi ab alio eximatur, is, qui exemit, non tenetur edicto, Ne quis eum qui in ius vocatus eſt vi eximat, inquit Vlpianus, in l. quod ſi. ff. illo tit. Sic ad iudicem ſimplicem, qui non ſit magiſtratus, non pertinet edictum. ſi quis ius dic. non obtemper. At pertinet edictum, de eo per quem factum erit, quo minus quis in iudicio ſiſtat. Multa ſunt eiuſdem modi. Græci & alii populi hunc morem iudicis dandi, & priuatorum iudicum ſine vllo imperio non habuerunt: nec igitur vocabula illa diſtincta, iuris, inquam, dicundi & iudicandi. Quare non probo. ſi quis τὸ κρῖναι, vel ſimile verbum in noſtra ciuili ſcientia, vertat ius dicere, multo minus placet, quod doctiſſimi homines libro 4. Ariſtotel. politic. cap. 7. vbi magiſtratibus tamquam propria attribuit, conſultare, imperare, denique τὸ κρῖναι, id vertunt, exiſtimare, cum iudicare debuiſſent. Nam quamuis Ariſtoteles iudicem à magiſtratu diſtinguat, vt & Carthagi-

ne

ne diſtinguebantur, quod alia munera Reipublicę magiſtratus curarent, non iudicia: tamen non poteſt intelligi magiſtratus, qui omni iudicatione & imperio, vt ita loquar, iuridiciali ſpoliatꝰ ſit. Quid enim ſi lis aliqua cõtrouerſa inciderit, in ea re, vel eo munere, cui præpoſitus eſt? ad iudices illos ibit, an ipſe iudicabit? Deinde quid eſt exiſtimare? an ſententiam ſuam de Repub. dicere? atqui hoc verbo conſultandi continebatur. Nam vt qui de lite aliqua cognoſcit, de eadem etiam pronũciat. l. qua re. ff. de iudic. Sic & qui conſultat, ſtatuit etiam atque decernit, quid de eo ſentiat & fieri velit.

CAPVT XXIX.

De decretis.

DECRETVM interponere, ad mixtũ imperiũ pertinet. quod recte vulgares etiã interpretes animaduertiſſe video: illud ridicule, quod non iure magiſtratus id competere dicunt: nam mixtum imperium iure magiſtratus competit. Sed hic eorum error vnde manauerit infra libro 2. intelligetur, vbi mandari regulariter cauſſas omnes mixti imperii poſſe demonſtrabimus. Iudex datus qui iuriſdictionem nullam habet, non proprie dicitur decernere, nec ſententia quidem eius proprie decretum: eſt enim hoc prętoris, & maiorum iudicum proprium l. pen. ff. de inſtit. & in l. 1. Quod quiſque iur. l. ſi prætor. ff. de iudic. l. 3. ff. de bonor. poſſ. nõ etiam magiſtratuum municipalium: quos Dd. noſtri ſolos conſiderant, cum, quid iure magiſtratus competat, quæritur: imperitiſſime, vt ibi dicetur. Eſt autem decretum proprie (nam lata ſi-

gnificatione etiam ſenatoris ſententia decretum dicitur, vt Cato ad Cic. *ſententia & decreto meo*, inquit) omnis iuſſus & pronunciatio magiſtratus, quæ modo cauſſa cognita fiat, etiamſi ſententia definitiua non ſit, vel etiamſi nō in iudicio aliquo verſetur, ſed aliquid aliud pro Tribunali iubeat, atque conſtituat, veluti in bonorum poſſeſſione danda, in tranſactione alimentorum, in rerum minoris alienatione permittenda. Cicero ad Appium proconſ. *Qui te forum Tarſi agere, ſtatuere multa, decernere, iudicare, dicerent.* Vbi gradatio notanda eſt, ſtatuere enim maius eſt, quam decernere: Decernere maius, quam iudicare; ſtatuit, qui executioni mandat, & imperii vim adhibet. ſupra teſtimonia protuli. Decernit, qui iubet, aut permittit aliquid cognoſcendo. Iudicare eſt etiam iudicum datorum, hoc eſt, priuatorum. Itaq; ſi iudicem prætor det, non ipſe iudicat, ſed decernit potius, quod proprie eſt ius dicere. Sed hæc ſcio immutari, & varie apud authores accipi, etiam apud iuriſconſultos Inſtituta prætorum ſæpe apud Tullium in hac re leges, vt in Verrin. II. *Simul in iure dicundo contra omnium inſtituta, bonorum poſſeſſionumque addictio & condonatio.* Vbi Pædianus: *Sunt autem prætorum inſtituta in decretis interponendis, diiudicandiſque cauſſis.* Appius Decemuir apud Liuium, ſe eo die neque ius dicturum, neque decretum interpoſiturum. Hoc loco nobis explicanda eſt l. nequicquam. §. vbi decretum. ff. de off. proconſ. vnde eſt l. omnia quæcunque. ff. de R. I. deſumpta, quem §. mirifice ſuis commentariis Doctores noſtri deprauarunt. Verba eius hæc ſunt, *Vbi decretum neceſſarium eſt per libellum id expedire. Proconſul non poteſt.*

omnia

omnia enim quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum non poſſunt expediri. quo loco ridicule Interpretes antiqui libellum pro iudice capiunt, quod & Fulgoſius vidit, vt Budæum & alios recentiores taceam. Eſt enim libellus, quem Supplicationem vulgo vocant, vel ſupplicem libellum, qui principi vel magiſtratui offerri ſolet, in quo aliqd ab eo petitur. Vnde & preces dictæ. Per oblationem igitur libelli, & per ſubſcriptionem ad libellum factam non poteſt magiſtratus expedire ea, quæ requirunt decretum, & cauſæ cognitionem, & in quibus petitur mora contradictionis poteſt impediri, vt eleganter ait IC. in l. ſi. cum ipſe. ff. de excuſ.tut. Et è contrario, quæcunq; cauſa cognita conſtituta definitaq; ſunt, ea ſubſcriptionibus iſtis reuocari non poſſunt, vt ſæpe reſcriptum eſt l. 3. C. Comminat.epiſt.program. Vnde adparet, decretum & libellum inter ſe opponi, vt pro Tribunali, & de plano. Decretum & cauſæ cognitio in d. §. vbi. & in d. l. omnia promiſcue vſurpâtur, nõ quod idem ſint: ſed quia nullum decretum ſit abſq; cauſæ cognitione præcedente. Exempli gratia: Prædia minoris 25. annis alienari non poſſunt ſine decreto prætoris vel præſidis. Iam ſi prætor petente Curatore ſolemniter pro tribunali ſedẽs decerneret, vt liceret alienari, neque cauſas alienationis & rationem exquiſiuiſſet, dicendum eſt, nullum decretum, nullamque alienationem eſſe: quia cauſæ cognitio, vti oportebat, nõ fuerit adhibita l. magis puto. §. non. paſſim. ff. de rebus eorum qui. l. finali. Codic. de Curat. fur. & non interueniſſe hæc cognitio tunc etiam intelligitur, cum decretum interpoſitum eſt à magiſtratu ſtatim poſt pe-

titionem curatoris, vel adoleſcentis: quod perpetuo menti tenendum eſſe, quotidieq; ie in eo peccari, ex Ancharano notat Iaſon ad d.§.vbi. Idem dicendum eſt & de aliis, in quibus decretum & tribunal requiri dicitur: vt in decretali bonorum poſſeſſione, de qua ſupra dictũ; vt in dilationibus dandis.l. 4. C. de dilat. vt in reſtitutionibus minorum l.in cauſa.13.l.etiam.§. vlt. ff. de minor. vt in tranſactione alimentorum l. cum hi. ff. de tranſact. vt in confirmatione tutoris.l.2.ff.de confir. tut. in tutoris datione, quæ fit ex inquiſitione.l.quod dicis. C.qui da.tut. In excuſationibus tutorum, quas & decretum requirere, & per libellum non poſſe expediri diſerte Vlpianus ſcribit in l. excuſare 25. ff. de excuſ.tut. Non poteſt igitur eas magiſtratus decernere, niſi pro tribunali, nõ de plano, aut ambulans. l. 13. eod. tit. vbi Cuiac. ait, ſic conciliari duas proxime citatas leges, atq; exemplum aptiſſimum ad regulam d.§.vbi. ex hac re ſumi, quod ipſum iã antea annotatum à Fulgoſio reperi: qui ſcribit d.§. textum optime exemplificari per duas leges, nimirum per l.minorum. & l.excuſare. non vt corrupte apud Dd. legitur. l. excuſantur. nam ea eſt l.2.d.tit. in qua nihil tale eſt. Cum autẽ Decretum pro tribunali interponi debeat. l. 7. de conf. tut. l.3.§.ſi cauſæ.ff.de bon.poſſeſſ. eique libellus opponatur: hinc fit, vt hæc quoque inter ſe opponantur, per libellum expediri, & pro tribunali expediri. l. 2. Cod. quemad.teſtam.aper. Neque obſtat, quod Paulus in libris ſuis decretorum, ſiue ſententiarum in cognitionibus prolatarum ſcribit aliquando Principem libello reſcripſiſſe, vt in l. vlt. ff. de condit. & demonſtr. Id enim non eſt decernere, ſed reſcribere tan-

bere tantũ, quod facere ſolet princeps, ſi forte poſt decretum à ſe interpoſitũ aliqua dubitatio ſupereſſet, vt recte Cuic. lib. 2. obſer. cap. 26. Poſſum etiam obiicere ex M. Tullio tale aliquid. Nam lib. 16. ad Attic. Epiſt. 15. ad Plancium Prætorem de cauſſa quadam Buthrotiana agens, dicit ſe Attici nomine libellum Cæſari obtuliſſe, Cæſaremque Attico reſcripſiſſe: & mox decretum ſe ait liberaliſſimum obſignatum ab ampliſſimis viris à Cæſare abſtuliſſe. Sed ex ea epiſtola 15. & ex aliis ſeqq. liquido apparet, decretum illud non caruiſſe cauſæ cognitione, tum ab ipſo Cæſare, tum eo interfecto à cõſulibus, quibus SC. & lege, vt de omnibus actis, decretiſque Cæſaris cognoſcerent, iniunctum fuit. Deinde ea cauſa Buthrotiorum erat, quæ tota à Cæſaris liberalitate penderet, nullius priuati ius attingeret, aduerſus quẽ Atticus ſupplicaſſet libello.

CAPVT XXX.

De edictis & interdictis.

EDICERE, vel edicta proponere, nemini præter magiſtratum, qui iuriſdictionem & imperium habet, licere manifeſtum eſt. Recte autem Eguin. Baro, qui etiam in Legatum vel eum, cui mandata eſt iuriſdictio, hanc poteſtatem tranſire, ſcribit. Vtitur enim imperio & partibus eius, qui mandauit. Iudex autem datus ſine dubio edicta proponere non poteſt, ne illa quidem, quibus citatur reus. Eà enim magiſtratus interponit, vt peremptoriũ. l. ſi prætor. ff. de iudic. l. contumacia. ff. de re iudic. No. 112. l. ea quæ. & l. tres denũciationes. C. quom. & quand. iud. vbi Baldus rationem eam adfert,

quod ſimilis banno quodammodo ſit edictalis citatio. Nec obſtat, quod edicta citationis interponerentur propter eremodicium, quod lite demum conteſtata, atque ita iudicio cepto contrahitur.l. in peremptorio l.1.cum ſeqq.l.ſenatus §.Diuus. L. Anianus.ff de iu.fiſc.l.1.C. de lit.cont. Dicendũ eſt enim prætorem ſic citare, vel iudicem datum authoritate eius:ſicut iudex ſolet per præconem citare,vel per apparitores ṕtoris voce vel libello ad domum adfixo,quæ diſtingui debent ab edicto, non cũ eo confundi,vt alii faciũt d.l.& Plautus in Gurgulione.Prętor enim apparitionem iudici dato cõmodat,cum iudex propriam nullam habeat. Nou. 90.& 99.Excipiendus eſt iudex à principe delegatus.Auth.qui ſemel.C.quom.&quan.iudex.d.No. 112.Non probo exceptiones Dd. & iudici dato id cõpetere;ſi id ei ſpecialiter ſit conceſſum vel cõſuetudo dederit,neſcio vnde contendentiũ.Atq; hæc de edictis ſpecialibus. Nam edictũ generale initio Magiſtratus ꝓponi conſueuit,in quo denũciabant populo,quemadmodũ ſuo anno ius dicturi eſſent, ne tamẽ id ꝑ libidine facerẽt, mos fuit prius in cõcionẽ adſcendere,& in leges iurare.vt ex Ciceronis lib 2. de Finibus intelligi poteſt. Sed & lex Cornelia Tribunitia fuit,quæ prætorũ ambitionẽ hac in re coercuit,iuriq; certo ac ꝑpetuo alligauit. Vnde edicti ꝑpetui origo, ꝙ poſtea Salu. Iulian. cõpoſuit: atq; deinceps eo IC.& cõpilatores Pãdectarum vſi ſunt.Lex Cornelia non edictũ vnum perpetuũ ſeq. omnes prætores voluit;ſed ṕtorem vnumquẽq; ex ſuo edicto, ꝙ initio anni ꝓpoſuiſſet,ꝑpetuo ius dicere ſuo anno iuſſit.De interdictis videamus, in quibus maxime elucet imperiũ prætoris, quod ẽt verbo

bo interdicti ſignificatur: aſſentior enim doctiſſimo viro, qui interdicta certa, & velut imperioſa decreta prætoris adpellat, & interdicere non eſſe vetare & prohibere, ſed imperare ſcribit, quod ipſe probat ex illo edicto de flum. publ. in l. 1. *Vt per lacum, foſſam, ſtagnum publicum nauigare, liceat, interdicam.* Ego id authoritate Arnobii Latinæ linguæ, & antiquitatis omnis ſcientiſſimi. Sic enim lib. 11. aduerſus gẽtes, de Christo loquens: *Vna interdictione ſanare*, inquit, ꝙ antea dixerat, verbo ſolitus, imperioque ſanare. Quare vbi ſcriptũ eſt eodẽ in libro, *interceßione vna* ſanare, legẽdũ videtur *interdictione.* Similiter Cato ille priſcus: *Cũ ocioſus apud regẽ fuiſti: donicũ ille tibi interdixit rem capitalem.* intelligo enim rem illi capitalem aliquã ſiue facinus à rege imperatum fuiſſe. quod accuſatorie Cato exprobrat ei. Interdicta igitur quin ad ius & imperium maiorũ magiſtratuum olim pertinuerint, dubitari non poteſt: neque tamen (quod mirum videatur) imperatiuis verbis, in edictis etiam, quibus interdicta proponebant, vſi ſunt, vel directis, puta, reſtituito, exhibeto, vim ne facito: ſed reſtituas, exhibeas, ne vis fiat, vim fieri veto. Directa.n. verba ꝓpria ſunt legum, vnde & imperatiua, & legitima verba adpellantur. Sic vetus Horatii interpres notauit, Horatiũ in epiſtola ad Trebatiũ IC. vſum verbis eiuſmodi legitimis, atq; imperatiuis, veluti cũ ait, Tranſnãto Tiberim, ꝙ & aliis obſeruatũ. Dixi, olim, nã poſtea interdicta, ſublatis eorum formulis, & ſolemnibus, per actiones expediri atq; exerceri cœpere. Inſt. de interdict. ſed non minus interdicta ſiue imperioſa decreta dici poſſunt. Tale inprimis eſt interdicti genus, quod cũ opis noui nunciatione cõcurrit. Id n. adhuc manet, adeoq; imperioſum, ac prope vio-

lentum eſt, vt etiam iure ædificatum, ſi nunciatione contempta ædificatum ſit, reſtitui, id eſt, deſtrui iubentur. l. 1. & paſſ. ff. de op. nou. nunc. Sed & interdicta de vi, & armatis hominibus præcipuám vim habent, in quibus etiam iuris omnis exceptio detrahitur, quo minus is, qui deiectus de poſſeſſione eſt, reſtituatur. Spoliatus, & cauſſa ſpolii hodie dicuntur ex iure canonico. *P. Dolobella* (inquit Cicero in orat. pro Cæcinna) *prætor interdixit, vt conſuetudo eſt de vi, hominibusque armatis, ſine vlla exceptione: tantum vt vnde deieciſſet, reſtitueret.* Similia mihi hodie videntur mandata illa in Camera Imperii Spirenſi, quæ ſine clauſula adpellantur, quibus tamen varie fraus fit, & eſt communis illa comparata exceptio, quam ſubreptionis & obreptionis appellant.

CAPVT XXXI.

De Stipulationibus prætoriis.

IVBERE quoque prætoria ſtipulatione caueri magis imperii quam iuriſdictionis eſſe, Paulus ſcribit in l. 4. de iuriſd. Hoc loco primum nobis explicanda eſt ea pars diuiſionis à Pomponio traditæ in l. 5. de verb. obl. in qua ſic ſcribit. *Prætorias ſtipulationes ſic audiri oportet, vt in his contineantur etiam Ædilitiæ: nam & hæ à iuriſdictione veniunt.* Hæc eadem Iuſtinianus ad verbum in tit. Inſtit. de diuiſione ſtipul. retulit, ſed ibi adiectum eſt nomẽ *Prætoris*, quaſi ſtipulationes Ædilitias dicat à iuriſdictione prætoris venire, quod tanquam abſurdum videmus à doctiſſimis quoque repudiari, eamque vocem reiici, quæ etiam à manuſcriptis libris

& Iuſtiniani & Theophili abſit, non deſit. Ratio autem eſt hæc vna omnium, quod ſua iuriſdictione, ſuoque imperio non Prætoris vſi Ædiles Curules fuerint, cum in ſtipulationib. tum in aliis rebus ad officium & ius pertinentibus; quales fere erant rerum vænalium, item menſurarum, locorum, & viarum, & humiliorum perſonarum cura atque animaduerſio. Cælius Ædilis Curulis ad Cicer. lib. 8. famil. *Sed dici non poteſt, quomodo hic omnia iaceant: niſi ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, veternus ciuitatem occupaſſet:* Ego vero aliter ſentio, & vbi illa vox adeſt, retinendam, & vbi abeſt, intelligendam, & adcerſendam eſſe. Nam cum Pomponius & Iuſtinianus prætoriarum ſtipulationum nomine etiam Ædilitias contineri dixerint, eiusque rei hanc rationem diſerte adtulerint, quod & hæ à iuriſdictione veniant: inepta profecto ratio eſſet, ſi de ædilitia iuriſdictione acciperemus. quid enim ineptius, quam ſic aliquem loqui: Ædilitiæ ſtipulationes prætoriarum adpellatione vel auditione continentur, quia veniunt à iuriſdictione Ædilium: vt taceam cum abſciſe iuriſdictio dicitur de prætoria intelligi ſolere, quod ex infinitis & iuris ciuilis, & aliis locis probari poteſt. Quid igitur eſt? Et mihi non difficilis huius rei explicatio videtur, ſi quę origo Ædilium pl. ſaltem, quis ordo, quæ ratio in Rep. fuerit, intueamur. Id autem vnus optime, & ad rem noſtram accommodatiſſime explicat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 6. his verbis: Petierũt à ſenatu, permitti ſibi, vt quotannis duos è plebe crearent ſubminiſtraturos tribunis quicquid opus ſit, & lites nonnullas eorum permiſſu diiudicaturos, ædiumque ſacrarum, lo-

corum publicorum, atque annonæ curam habituros. Hoc quoque per Senatum conceſſo creauerunt, quos tum miniſtros, & ſocios tribunorum, ac iudices adpellabat, nunc vero ab officio vno Ædiles vocant, poteſtatem habentes alterius magiſtratus miniſtram, vt antea. curant autem multas magnas res, ſuntque maxima ex parte Græcorum Agaronomis ſimiles. Ex quibus Dionyſii verbis iam quiuis intelligit cum Ædiles miniſtri alterius poteſtatis & magiſtratus, cum in aliis rebus, tum in iure dicundo fuerint, rectiſſime eorum poteſtatem & iuriſdictionem ab iis vim & nomen trahere, quorum miniſtri ſunt. Hi quidem Tribunorum ſocii & miniſtri fuere, ſicut Ædiles Curules Prætorum ea de cauſſa, quod ius dicere de multis rebus cum cepiſſent iuriſque dictio propria, & magna ex parte prætorum in ciuitate eſſet, particulam haberent iuriſdictionis vere prætoriæ; idque factum ad prætores ipſos nonnihil ſubleuandos, vt non immerito iam dicatur, ſtipulationes Ædilitias ſub Prætoriis contineri, quia ab Prætoris iuriſdictione veniant, id eſt, cauſſam originemque capiant, eique iuriſdictioni velut ſubſeruiant. Nec dubito quin eadem ratione olim ædilitiæ ſtipulationes ab Ædilibus plebis (qui vt Tribuni ipſi etiam ſacroſancti fuerunt teſte apud Feſtum Catone) exactæ, dici Tribunitiæ potuerint, & conſueuerint. Nam & Tribuni plebis ius dixere & decreta interpoſuere & ſtipulationes interponi iuſſere. Sic enim Vlpianus in Fragmentis regular. ſcribit titul. 7. de don. inter virum & vxor. *ſi maritus pro muliere ſe obligauerit, vel in rem eius impenderit diuortio facto eo nomine cauere ſibi ſolet ſtipulatione*

Tribunitia

Tribunitia. Puto Tribunos plebis vt & Cenſores de cauſis matrimonii olim cognouiſſe: ſtipulationes etiam de iis compoſuiſſe, & interponi iuſſiſſe ex æquitate magis quam ſtricto iure tamen. Nam prioribus temporibus, & ante Marci Varronis ætatem Prætorium ius, vt ipſe ait de legibus, ad legem Cenſoriam, iudicium ad æquum æſtimabatur. Quare ſtipulationes in ſponſalibus factas Prætor olim ſtricte cogebatur ſequi eodem teſte. Illud etiam ad defenſionem vel mentem Pomponii & Iuſtiniani dici poſſet, vel potius veterum omnium qui ædilitias ſtipulationes prætoriarum nomine intellexerint, quod prætoris nomen generale ſit, Conſuleſque ipſos etiam, atque alios magiſtratus comprehendunt, quod notiſſimum eſt, vtpote, cum à præeundo Prætor dicatur, quod omni in magiſtratu cernere licet, & quod antea monui, quia ius dicere de cauſis omnibus ciuilibus Prætorum proprium fuerit, adeo vt iuriſdictionis etiam commune nomen ipſi proprium fecerint ac ſuum. Secundo loco illud cognoſcendum eſt, quid ſit, quod Pomponius definit, Prætorias ſtipulationes eas eſſe, quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur : iudiciales, quæ à iudicis, communes, quæ nunc à Prætoris, nunc à iudicis. Pertinet enim hæc res in primis ad hunc locum de imperio, quod iuriſdictioni cohæret, & ad dictam l. iubere. ff. de iuriſdict. Et tria ſunt quę officium prætoris continent, id eſt, quę in his ſtipulationibus Prætorem putem efficere. Dicitur enim officium ab efficiendo, vt Donatus in Terentium ſcribit. Primum quod ſolus Prætor iubet ſtipulationem talem interponi. Alterum

quod vi interponatur coercet reum remediis prætoriis. Tertium, quod harum omniũ ſtipulationũ forma atq; interpretatio ex ſolius prætoris mente arbitrioq; dependet. Prætor ſolus interponi iubet, ſiue qui prætoris adiutor eſt, Ædilis. Hoc ſignificat illud verbum, mero: id eſt, vt recte Theophilus exponit, ſolo: quod ad iudicis dati remouendum officium pertinet. Nunquam enim iudex ſtipulationẽ quæ prætoria duntaxat ſit, non communis, interponi iubere poteſt: quin id ſit ſolius prætoris & ius dicentis, & quatenus prætor eſt. Nam & iudex idem eſſe poteſt, poteſt inquam, prætor etiam iudicare, vt alibi dictum. Sed nunquam tamen, vt iudex prætoria poteſt ſtipulatione caueri iubere. Eſt enim hoc imperii & quidem magis, quam iuriſdictionis. d. l. iubere, at iudex, qui tantum iudex ſit, non ſolum imperio, ſed & iuriſdictione caret. l. vlt. C. vbi & apud quos in integrum reſtitut. Tales ſtipulationes illæ ſunt, quas Vlpianus in l. 1 ff. de ſtipulat. prætor. commemorat, & certas in ſpecies tribuit, veluti ſtipulatio, iudicatum ſolui, ex operis noui nuntiatione, legatorum cauſa, Rem pupilli ſaluam fore, Damni infecti, iudicio ſiſti, Rem ratam haberi, Duplæ. d. l. 1. §. præt. quibus recte alias ex aliis iuris locis interpretes adiiciunt, vt vſuſfructuariam. l. 1. vſufr. quem. cau. Quod legatorum nomine amplius quis, quam per L. Falcidiam licuerit reſtitutum iri l. 1. ff. ſi cui plus quam per legem Falcidiam, &c. Quæ de collatione interponitur ab emancipato l. 1. §. iubet. de collat. bon. Item quæ ab hærede ſub conditione inſtituto, qui pendente conditione bonorum poſſeſſionem agnouerit, de qua in l. Paulus, de prætor. ſtipulat. l. inter.

ter. ff. qui ſatiſdare cogantur. Hæc igitur prætor pro officio & poteſtate ſua iubet interponi, & iubet (vt hinc imperioſum quoque eius hoc officium intelligas) ſine vlla cauſæ cognitione atque iudicio. Quod ſi ſit aliqua de eo controuerſia, id eſt, talis aliqua cautio calumnioſe deſiderari dicatur, nec dum quidem cognitionem adhibet, niſi ſummariam, ex qua cautionem iubeat aut deneget. dict. l. 1. §. pen. Habent enim eæ ſtipulationes tam manifeſtam æquitatem & rationem, vt denegari aut differri non debeant, præſertim cum ob aliud interponantur, cui non ſit per eas præiudicium vllum ei, qui cauere iuſſus eſt: contra ei qui petit vtiles ſint, ac prope neceſſariæ. Quoniam autem ex his ſtipulationibus quædam ſunt, quæ propter iudicium interponuntur, vt id ratum fiat, vnde & iudiciales ſpecialiter dicuntur, iudiciales ſcilicet prætoriæ: ne in hoc erremus, quaſi à iudice interponi videantur, vt illæ quæ à mero iudicis officio proficiſcuntur, prætoriiſque vt diuerſum genus opponũtur: ſciendum eſt prætorias iudiciales omnes, & ante iudicium inſtitutum, & ſolius prætoris iuſſu interponi: contra, iudiciales ſimplices ſemper poſt inſtitutum iudicium, id eſt, poſt litem conteſtatam, & iudicis ſolius iuſſu, vel prætoris ſi ipſe iudicat, ſed & qua iudex eſt, l. 1. C. de lit. conteſtat. at communes illæ, tam ante litem conteſtatam, quam poſt litem conteſtatam, prout vel à prætore, vel à iudice interponi iubentur. Inſtit. de diuiſ. ſtipul. dict. l. 5. de verb. obligat. Hæc igitur eſt prima pars officii prætorii ſiue Ædilitii quæ verſatur in ipſa ſtipulationis interpoſitione, atque iuſſu. Altera eſt, ſi iuſſus cauere detre-

ctet, quibus remediis coerceatur ? Multa enim ſunt remedia Prætoria, atque coercitionis genera, vt ſupra expoſitum: quæ neque omnia,neque in omnibus,neque paſſim locum habeant. Et elegāter Donellus tria enumerat ad d.l.5. miſſionem in bonorum poſſeſſionem, Denegationem iuriſdictionis ſiue actionis,& contra Actionis dationem. Primo genere vtitur prætor in eum,qui cauere nō vult in cauſa damni infecti, legatorum ſeruandorum &ſimilibus,dum meminerimus,vt ab aliis interpretibus, ſic à Donello confundi videri miſſionis remediū,cum translatione poſſeſſionis,de quo ſupra expoſitum.Nam & translatione poſſeſſionis vtitur prętor in eum,qui cauere iuſſus recuſ.l.poſtquam. §.1. vt legat. nom. l. 1. ff. vti poſſid. l. 1. de vſufr. quemad.cau.l.ſi venditor.de ædil.ed. vbi aduerſus non cauentem ędilitia ſtipulatione datur actio ad redhibendum.Iudicis dati nulla tals coercitio eſt:neque vltra eius poteſtas progredi poteſt, quam vt condemnet, vel abſoluat in ea re,in qua iudex datus eſt. Tertia pars eſt offi ii prætorii in forma, atque interpretatione poſita. De forma ſic Vlp. *ſi quid addi vel detrahi, vel immutari in ſtipulatione oporteat : prætoriæ erit iuriſdictio is.* d. l. 1. §.vlt. de ſtip.præt. De interpretatione ſic Venuleius: *In prætoriis ſtipulationibus ſi ambiguus ſermo inciderit, prætoris erit interpretatio. Eius enim mens æſtimanda eſt.*l.in prætoriis q.ff.eod. Ex quibus intelligi poteſt, quidnā ſibi Vlpianus velit in l.in conuentionalibus.52. ff. de verbor. obligat. cum ait, *in conuentionalibus ſtipulationibus contractui formam contrahentes dant , enimuero ſtipulationes prætoriæ legem accipiunt de mente prætoris, qui eas propoſuit.* De-

nique

nique prætoriis ſtipulationibus nihil immutare licet, neque addere, neque detrahere. Qua in re magnis interpretibus cum veteribus, tum nouis, non conuenit. Mihi ita videtur. Omnium contractuum certa quædam forma eſt, ac veluti facies iure conſtituta: eadem incertiſſima ſi voluntatem atque vſum contrahentium reſpiciamus. Licitum enim eſt vniuſcuiuſque contractus formam pactionibus circumſcribere, detrahendo, adiiciendo, commutando, vt recte dicatur, formam per eas contractibus dari, ſiue contractus ex cõuentionibus formam legemq; accipere. l. 1. §. ſi conuenerit. ff. depoſ. cum ſimil. neq; ſemper forma eadem manet, id eſt, idem contractus, ſed ſæpe in aliud contractus genus tranſit, ac veluti transformatur: etiamſi nomẽ adhuc vſurpent prioris contractus. l. inſulam. ff. de præſcr. verb. Hoc ita in contractibus omnibus non ſolum in ſtipulationib. exceptis prætoriis atq; aliis, in quibus nulla poteſtas eſt contrahentium, quod non ita accipi velim, quaſi omnino immutabilis ſit earum forma: ſed quia non poteſt à contrahentib. immutari, ne tantillum quidem vlla in parte. Cæterum à prętore ipſo, qui eas propoſuit, & interponi iubet mutari poteſt, prout res & ratio poſtulare videbitur. Exempla in l. qui bona. §. vlt. l. ſi finita. ff. de dam. infect. l. 1. §. pen. de præt. ſtip. Hoc enim eſt, quod Vlpianus ait in d. l. 1. §. vlt. Prætoriæ iuriſdictionis eſſe, ſi quid addi vel detrahi, vel immutari oporteat, intelligendum eſt in forma earum ſtipulationum ſolemni atque vſitata & iure conſtituta. Non igitur in eo differentia ponitur in dict. l. in conuentionibus, quod conuentionalium ſit incerta forma, prætoriarum certa: eſt enim vtra-

rumque pariter & certa, & incerta, vt iam dixi. Sed in eo quod forma, atq; vt ita dicam, ſtatus conuentionalium, vel immutatio ab arbitrio contrahentium pendet: prætoriarũ à mente & poteſtate prætoris. Idemque fere dici debet, ſi quid ambigui in vtriſque inciderit, de interpretatione earum. Dixi fere: quia in conuentionalibus interpretãdis, non illam ſolum regulam ſequamur, vt id accipiatur, quod actum inter contrahentes ſit: ſed & alias plures iure conſtitutas, puta, vt interpretatio fiat contra eum, qui pactionem interpoſuit, & clarius loqui potuit, iuxta l. veteribus. ff. de pact. cum ſimil. At in ſtipulationibus prætoriis interpretandis vna eſt illa regula prodita ac tenenda nobis, vt ſolius prætoris mens æſtimetur, vt quod ille ſenſerit, ſolum ſequamur. d. l. in prætoriis. Sed de interpretatione ſtipulationum prætoriarum expedita res eſt. De forma & mutandi earum poteſtate eſt, quod in dubium voces. Nam non ſolum à prætore mutari videtur poſſe, Sed & à reis id eſt, cõtrahentibus. d. l. 5. §. 8. de ſtip. prætor. vbi ſcriptum eſt, ſtipulationem Duplæ, repromiſſionem tantum eſſe: ſed additur: *Niſi cõuenerit, vt ſatisdetur.* Idem in l. ſi dictum. ff. de euiction. Similiter in ſtipulatione damni infecti dies inſeri debet, intra quem cautum daret, & tamen ſi dies ab initio ſit omiſſus ex conuentione, ſtipulatio quandocunque committitur, id eſt, quandocunq; damnum contigerit, agi ex ea ſtipulatione poterit. dict. l. qui bona. §. vlt. l. ſi finita. ff. de damn. infect. Quid dicemus? Ego obſeruo, pretorias ſtipulationes non ex eo æſtimãdas eſſe, quod prætor eas propoſuit, ſed magis ex eo quod de iis adiri ſolet, eaſque iubet interponi. Hoc eſt enim à

mero prætoris officio eas proficiſci, quæ definitio prætoriarum ſtipulationũ eſt:& valde placet, quod Dynus ait, Prætoriam ſtipulationem omnem intelligi, quæ extorquetur ab inuito. Quod ſi extra jus, & ſine prætore contrahentes aliiue ſtipulationem talem ſecum ipſi ineant, magis eſt conuentionalis, quam prætoria ſtipulatio dicenda. Venit enim ex conuentione, idque quodammodo vidit Bartolus, miſere alioquin in hac tota re verſatus in d. l. 5. vbi ait, in ſtipulatione damni infecti, prætorem quandoque adiri principaliter, quandoq; incidenter, vt ſi aliquis vult rudera tollere. l. ſi prætor in fi. cum l. ſequenti. de damn. infect. quandoque vero interponi ex conuent. l. damni. §. cum parietem. ff. eod. Sed multo clarius & diſtinctius idem Bartolus hæc tradit in d. l. in conuentionalibus. vbi docet, quando prætoria ſtipulatio in conuentionalem tranſeat, cuius etſi dictata non plane probo: tamen hoc verum eſt, quod dixi, vbi ſine Prætore talis ſtipulatio contrahitur, conuentionalem videri, adeoque pro arbitrio ei detrahi, vel adjici à contrahentibus, vt in ſtipulatione Duplæ, & damni infecti vidimus. idemque in rem ratam haberi, quæ communis eſt, Vlpianus tradit, *Interdum*, inquit, *ex conuentione ſtipulatio Ratam rem haberi, interponi ſolet: vt puta, ſi quid procurator, aut vendat, aut locet, aut ſi ei ſoluatur* l. interdum ff. Rat. rem. hab. quæ exempla ſunt rerum extra ius iudiciumque agendarum. Quod ſi controuerſia de ſtipulatione prætoria, vel interponenda, vel interpoſita oriatur, ibi totam hanc rem prætoriæ iuriſdictionis eſſe dicemus, ſoliusq; prætoris in his ſtipulationibus mentem eſſe ſpectandam, ſequendum imperium.

d.l.1.in fin.d.l. in conuentionibus. cum ſimil.neq; enim prætor patietur aliter apud ſe caueri, aut cautum intelligi, quam ipſe præſcripſerit. Quod ſi antea aliquid ſit cautum, vtpote, interpoſita ſine prętore ſtipulatione, quod non ſit ex edicti, & iuriſdictionis forma: multum referre arbitror, vtrum contra formam illam ſolemnem aliquid ſit adiectum vel detractum; & hoc emendaturum prætorem, qui de ea re aditus eſt, exiſtimo arg. l. nec ex prætorio.ff.de R.I.neq; ius de ſtipulatione ſua tanquam conuentionali dicturum: quod videtur ſentire Bartolus: an vero non ſit contra formam edicti, ſed in cognitione iudicis, vel magiſtratus poſitum: & tum adſentior Bartolo, nō improbaturum prætorem quod actum eſt, cum remaneat ſtipulatio mere prætoria, & ex mente prętoris ſic facta videatur. Quid enim aliud agit prætor, niſi vt partes componat? l. 1.§.& poſt operis.ff.de op.nou.nunc. l.ſi finita in princ. & §.fi.ff. de damn.inf. Huc referendum eſt, quod Venuleius ſcribit ac conſulit in lege vltim. ff.eodem titul. de præt. ſtipul.de adiicienda, certa pœna, atq; ſumma in his ſtipulationibus, quæ, Quanti res eſt, promiſſionem habeat, id enim non prætori, ſed contrahentibus conſilium dat, neque eſt contra edictum vel mentem prætoris.

CAPVT XXXII.

De in integrum reſtitutionibus.

PAVLVS lib.1.ad.Edictum. Ea quæ magis imperii ſunt, quā iuriſdictionis, magiſtratus municipali:

cipalis facere non poteſt. Magiſtratibus municipalibus non permittitur in integrum reſtituere &c. l. ea quæ. ff. ad municipal. Generaliter hoc de omni cauſa in integrum reſtitutionis accipi debet, ſicut infinite etiam ſcriptum eſt, & probat l. 3. ff. de reſtitut. Omnes inquit Modeſt. in integrũ reſtitutiones cauſa cognita à prætore permittuntur, ſolam tamen reſtitutionẽ ex cauſa ætatis minoris imperio magis, quam iuriſdictioni à Paulo tributam eſſe verius eſt, cum aliæ iuriſdict. magis ſint, quam imperii: ſola enim fuit quæ maioribus magiſtratibus competeret, cuiuſque cognitionem ſibi ipſi prætori nominatim edicto ſuo reſeruarit, quare cũ in aliis reſtitutionum cauſis ita edixerit, IVDICIVM DABO, VEL RATVM NON HABEBO. ex quo intelligitur more aliarum actionum ſe iudices in iis daturum, in hac ſola ita edixit, ANIMADVERTAM id eſt, ipſe cognoſcam ac ſtatuam. Vnde hæc etiam ſola dicitur cauſa cognitionis prætoriæ l. in cauſa 13. §. interdum. ff. de minor. l. minor. 39. de euictionib. & abſciſe cognitio d. l. 39. Hinc factum eſt, vt nuſpiam quæratur, quiſnam reſtituere in integrum poſſit, ex aliis clauſulis puta, quod metus de dolo, &c. erat enim res aperta, iudicem dari poſſe: ſed duntaxat id quæratur, & diligenter quidem de hac vna Minorum d. §. interdum. & leg. in cauſæ. 16. § fin. cum duabus legibus ſequentibus. Hodie ex conſtitutione Iuſtiniani & mandari hæc cognitio poteſt, & iudex in ea dari, multo magis in cæteris l. vlt. C. vbi & apud quos in integrum reſtitut. Quæ conſtitutio relata clarius & confirmata eſt in cap. penultim. extra de reſtitut. Poſſunt ſcilicet

In integrum reſtituere, primo iudices ordinarii,
imperium habentes:deinde iudices à principe v
Pontifice dati:tum delegati à iudice ordinario,q
adminiſtrationem vel iuriſdictionem habet. A
Iudex pedaneus vel delegatus ab iudice admin
ſtrationem non habente, itemq; arbiter compro
miſſarius in integrum reſtituere non poſſunt, a
de ea cauſa cognoſcere: niſi cauſa reſtitutionis co
ram eis mota fuerit incidenter, vt adiicit Pontife
in d.c.pen.quod intelligendum eſt, vt cognoſce
tantum ſummatim tum poſſit, non etiam vt pro
nunciare,& reſtitutionem dare.quod & iuri ciui
congruens eſt d.l.vlt.in fin. Illud in d. l. vlt. dubi
quod imperator ſic extulit, vel apud eos, qui dan
tur à iudicibus, qui propriam iuriſdictionem no
habent,ſed tantummodo iudicandi facultatẽ,no
poſſe ſcilicet agi cauſam reſtitutionis: Quos eni
eſſe dicamus, eos qui dentur à Iudicibus, qui iud
candi facultatem tãtum habent?nam iudicem da
re nemo poteſt, niſi qui iuriſdictionem aliquan
habeat. Eſt enim iudicis dandi licentia tota iuriſd
ctionis l.3.ff. de iuriſdict. ſi dixiſſet, qui propriam
iuriſdictionem non habent,nec adieciſſet,ſed tan
tummodo iudicandi facultatem intelligeremu
eum loqui de iis, quibus mandata eſt iuriſdictio
quam ideo habent illi non propriam, ſed alienam
vt ſenſus eſſet, Index delegatus ab eo, qui manda
tam & alienam iuriſdictionem habet, non pote
de cauſis reſtitutionum cognoſcere. Eum enim
cui iuriſdictio mandata eſt, iudicẽ dare poſſe con
ſtat l.prætor.§.1.ff.de iudic. Sed non in omnibu
forte cauſis,non in his reſtitutionum. At magiſtra
tus & in his dare poteſt,cũ habeat iuriſdictione
propriam

propriam. Et ſane in d.c. penult. clare diſtinguuntur iudices ordinarii adminiſtrationem habentes à iudicibus ordinariis eam non habẽtibus, ſed tantummodo facultatem iudicandi à prioribus delegatos iudices poſſe de cauſa reſtitutionis cognoſcere, à poſterioribus delegatos non poſſe. An dicemus aliud eſſe iuriſdictionem habere, aliud adminiſtrationẽ? Et ſane adminiſtratio pro imperio & poteſtate magiſtratuum accipi in iure Iuſtinianeo ſolet, & adminiſtratores Reipub. vel adminiſtrationem habentes ipſi ſunt magiſtratus. Hi habent igitur propriam iuriſdictionem: & hoc eſt, quod cum Iuſtinianus dixiſſet, à Iudicibus qui propriam non habent, oppoſuit iis mox eos qui certæ adminiſtrationi, cui & iuriſdictio adhæret, præpoſiti ſunt, vt plane quod antea dixi videatur excludere eos, quibus mandata iuriſdictio eſt, nimirum vt iudices ab his dati non poſſint de cauſa reſtitutionis cognoſcere. ſed obſtant illa, vt dixi, verba: *ſed tantummodo iudicandi facultatem*: nam illi non hanc tantnm habent, ſed etiam iudices dandi. d.l. cum prætor. habent enim iuriſdictionẽ licet mandatam & alienam. Niſi dicamus de arbitro, quem iudex ſpecialiter dederit bonis æſtimandis vel fideiuſſoribus probandis, vel rationibus excutiẽdis intelligendum eſſe. vel quod verum puto, poſteriorum Impp. temporibus hanc iudicis dandi licẽtiam ei ereptam fuiſſe, cui mandada iuriſdictio eſſet, vel quia nullum in Republica munus, ſiue adminiſtrationem Reipublic. haberet. Nam & magiſtratibus fere erepta eſt. leg. 2. Codic. de ped. iudic.

CAPVT XXXIII.

De Cognitionibus.

COGNITIONEM à Iuriſdictione, vel cauſſas cognitionis, à cauſis iuriſdictionis diſtingui nemo mirabitur, qui quam ſtricte interdum iuriſdictionis nomen capiatur, animaduerterit. Nobilis eſt Suetonii locus in Claudio, vbi cum expoſuiſſet, qualis is in iuredicundo fuiſſet, ſtatim ſubiecit: *In cognoſcendo autem, ac decernendo mira varietate animi fuit.* & mox: *alium interpellatum ab aduerſariis de propria lite, negantemque cognitionis rem, ſed ordinarii iuris eſſe, agere cauſam confeſtim apud ſe coegit: proprio negocio documentum daturus, quam æquus iudex in alieno negocio futurus eſſet.* Idem clarius in Nerone: *In Iuriſdictione poſtulatoribus, niſi ſequenti die ac per libellos non temere reſpondit. In cognoſcendo morem eum tenuit, vt continuis actionibus omiſſis ſigillatim quæque per vices ageret.* Sed & apud Ciceronem atque alios hæc inter ſe diſtingui videas. Intelligit autem cognitionis nomine extraordinarias magiſtratus vel principis de aliqua re grauiori notiones & iudicationes. Iuriſdictionem autem adpellat iudicis dandi conſuetudinem, quod erat ordinarium atque ſolemne: pauciſſimis enim de rebus ipſi iudicabant, in pleriſque iudices addicebant. Vt hinc quoq; intelligas, cur Vlpianus iuriſdictionem definiuerit à iudicis dandi licentia in l. imperium. ff. de iuriſdict. Eæ cauſæ, de quibus dixi, principem vel magiſtratus cognouiſſe ipſos, in iure noſtro multa notantur adpellanturque itidem cognitio-

nis,

nis, vel cognitionis prætoriæ: item extraordinariæ cognitionis, de quibus eſt Tit. in ff. lib10 L. Talis eſt reſtitutio minorum l. in cauſſæ 13. §. fin. l. minor. de euiction. Petitio liberæ perſonæ l. 1. §. 1. De rei vind. aliæ, quas fere collegit Hottomannus libr. 7. obſeru. cap. 4. & ad l. omnia. ff. de R. I. Dixi principem, vel magiſtratus, ſed notanda differentia eſt: nam magiſtratus quidem cogebātur ex officio de his rebus cognoſcere, neque alii delegare poterant l. 2. C. de ped. iud. Princeps nunc ipſe cognoſcebat, nunc aliis delegabat. Certos etiam ad hanc rem magiſtratus fere habebat, qui propterea vice ſacra iudicare dicebantur, vt præfectus vrbi, præfectus prætorio, alii. Ipſe non cogebatur: neque enim iuriſdictionis legibus adſtrictus eſt, qui omnibus ſolutus eſt: ſicut & virgines Veſtales omnibus teſte Seruio Honorato lib. 11. Æneid. Quamuis ipſi ſibi neceſſitatem quaſi impoſuerint principes inter quaſdam perſonas cognoſcendi, vt indicat ille tit. C. lib. 3. Quando Imper. inter pupillos, vel viduas, vel miſerabiles perſonas cognoſcit. quæ illuſtrabo Hiſtoriola apud Suidam inſigni. Valentinianus Imp. præpoſitum Rhodanum, qui Berenicem viduam iniuriis adfecerat; mulieri de illo conqueſtæ iudicem dedit Saluſtium præf. Præt. à quo is condemnatus, cum iudicium nihili faceret, ab Imperatore in Hippico crematus eſt, omnibus archieunuchi bonis viduæ adſignatis. Quo exemplo territi mortales omni iniuria abſtinuerunt. Apud Zonaram nihil eſt de iudice dato, ſed ipſum Imperatorem cognouiſſe ſcribit: ἐρευνήσας οὖν ὁ αὐτοκράτωρ, καὶ γνοὺς, &c. Huc pertinent libri illi Pauli Decretorum ſiue ſententiarum in

cognitionibus prolatarum. Et quod eſt in edicto *prætoris* de poſtulando: Qui lege, plebiſcito, SCto, edicto, *Decreto Principum*, niſi pro certis perſonis poſtulare prohibentur l. 1. §. ait Prætor. de poſtulan. niſi pro quauis principis conſtitutione id accipi malis; quod verius eſt.

Capvt XXXIV.

De Legis actionibus & legitimis actibus.

Legis actiones ſunt formulæ certæ atque ſolemnes de vnaquaque re compoſitæ ex Legibus 12. tabularum. l. 2. ff. de orig. iur. Iis formulis ſi quis agere apud magiſtratum vellet, vtendum erat. Lege agere dicitur is, qui aliquid à magiſtratu vt ſibi ius de eo dicatur, petit: legis actio apud magiſtratum eſſe dicitur. l. 2. de off. procons. Cicero pro Muræna: *poſſet lege agi nec ne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim non habebant.* Vbi igitur legis actio eſt, ibi magiſtratus ſit oportet. Qua in re differunt legis actiones à legitimis actibus. Nam actus legitimi etiam extra ius & ſine prætore, vel alio magiſtratu expediuntur: legis actiones nunquam niſi apud magiſtratum. Quare nec Cuiacium probare poſſum, nec Hottomannum; quorum ille idē eſſe legitimos actus, & legitimas actiones putauit: hic legitimas actiones etiā extra ius & ſine magiſtratu peragi, & in his numerat cum alia, tum teſtamentum, & hereditatis aditionem. Denique ſic definit, legis actiones eſſe, quæ ex verbis legis conceptæ ſunt: legitimos actus etiam, qui ex legis mente & ſententia: ſine vllius certæ legis expreſſis verbis inſtituti ſunt. Ego puto ex eo legitimos dici, & actus

&

& actiones, quod legitima certaque in iis ſolemnitas adhiberetur, nec verborum ſolum, ſed & ſæpe rerum: quas res ſymbola & ritus licet adpellemus. De libra atque ære notiſſimum eſt, in omnibus ferè alienationibus, aliiſq; actibus adhibitam fuiſſe, vt non incongrue commune ſymbolum dici poſſit. fuere & propria veluti in anteſtatione auriculæ tactio, quo pertinere illud Trebatii videtur, qui auriculam tetigit totum hominem videtur tetigiſſe. In hæreditatis aditione, vel creatione, itemque in emptione, ſublatio, & crepitus digitorum: in iudiciis ſurculi defractio, item glebæ, in ius allatio, vt eſt apud Gellium & Feſtum: in manumiſſione per vindictam facta, alapę & vertigo, vt Perſius vocat herilem illam circumductionē, & virga lictoris. Nou. 81. l. pen. C. qui man. nō poſſ. In honorib. deferendis manuum protenſio ſiue porrectio χειροτονία. de qua Euſtathius in Homerum in quo Cuiacius ad l. 1. de verb. oblig. reprehendit Clemen. Alexandrini interpretem, qui perceptiones fructuum interpretetur, cum καρπὸν Clemens volam ſiue manum vocare ſoleat. Idem apud Hieronymum lego Epiſt. 126. ad Marcellinum, deceptos ſcilicet, ambigua ſignificatione eius verbi Latinos interpretes καρποὺς vertiſſe in Pſalm. 127. fructus, cum manus debuiſſent, labores manuum. Quid? quod & ſine legitimis verbis per ſymbola vt opinor, ſola, res tales expedirentur? Hermogenianus: *Manumiſſio per lictores hodie domino tacente expediri ſolet: & verba ſolemnia licet non dicantur, vt dicta accipiuntur.* l. 23. ff. de man. vind. Illud nunc videndum, quod ex Pomponio ſupra attulimus, an rectum ſit: Verba eius ſunt: *Ex his legibus actio-*

nes compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent; & adpellatur hac pars legis actiones. dict. l. 2. de orig. iur. Hottomannus reprehendit, quod in hac definitione omittantur eæ legis actiones, quæ ad voluntariam iuriſdictionem pertinent, de quibus nulla lis aut diſceptatio ſit. Cuiacius non definiri legis actiones defendit, nec has ſolas eſſe legis actiones Pomponium dicere, ſed adpellari. Mihi alia ſententia de his rebus in mentem venit, quam non pigebit exponere, cum veriſſimam eſſe, & illuſtrandæ huic quæſtioni putem. Animaduerti in iure noſtro hoc nomen, Legis actio, de nulla vnquam litis actione, id eſt, quæ ad contentioſam iuriſdictionem pertinent, ſed de voluntariæ duntaxat iuriſdictionis actionib. vſurpari. velut in l. 2. ff. de off. proconſ. *Apud legatum Proconſ. nemo manumittere poteſt, quia non habet iurisdictionem talem*, id eſt, voluntariam. Cui ſubiicitur ex Vlpiano: *Nec adoptare poteſt: omnino enim non eſt apud eum legis actio.* Item in l. 1. de offic. iuridic. *Adoptare quis apud iuridicum poteſt: quia data eſt ei legis actio.* Imp. Gordianus in l. 1. C. de adopt. *Hi qui in aliena poteſtate ſunt iuxta ius ciuile non niſi apud eum, apud quem plena legis actio, adoptari poſſunt.* Modeſtinus in l. 4. ff. de adopt. *Magiſtratum, apud quem legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare apud ſe poſſe, Neratii ſententia eſt.* Paulus lib. 2. ſentent. cap. 25. *Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.* Iuſtinianus in Nou. 71. ἐπειδὴ ἡ τῆς ἐμανκιπατζιῶνος πρᾶξις πάλαι μὲν ὑπὸ τὰς καλουμένας Legis ἀκτιόναι γινομένη. Theophilus νόμιμον πρᾶξιν vocat. Et hoc intelligit l. vlt. C. de vind libert. illo loco. *quibus*

huiuſ-

huiuſmodi ius eſt, vt in l. 1. C. de emancip. liber. *Si hanc poteſtatem Duumuiris dedit lex municipii.* Et Anaſtaſius in l.pen. C. de emancip. liber.*apud competentem iudicem*, inquit, *ad cuius iuriſdictionem actus emancipationis pertinet.* Ex quibus & ſimilibus locis, conſtare poſſe arbirror, legis actionem proprie de iuriſdictione volũtaria dici,præſertim cum nullus proferri locus poſſit, in quo id adcommodetur contentioſę,quamuis lege agi de vtraque iuriſdictione dicatur.l.vlt.C.de his qui à non domini. Cicero de orator. 1. *Cum egiſſet lege in hæreditatem paternam.* Tacitus Annal. D. *Auguſtus apud Equeſtres,qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Rom. conſtituiſſent.*& ſæpe apud alios auctores. Vnus eſt locus ille Pomponii, ex quo litium actiones, vt Cicero vocat,legis actiones olim adpellatas fuiſſe,cognoſcitur:id poſtea mutatum fuiſſe arbitror,& hoc nomen proprie tributum iuriſdictioni voluntariæ, idque propterea,quod iuriſdictionis nomine,non facile aliæ cauſæ, quam lites & diſceptationes intelligerentur.Ratio quoq; id perſuaſit.Nam,adoptio,manumiſſio,emancipatio, cæteræque ſimiles legis actiones nihil habẽt,niſi à lege:totæ enim cõſtant iuris ciuilis quadam ſolemnitate, & perficiũtur. l.4.C.de emancipat.In litium actionibus contra minimũ eſt à lege,pleraq; à iuriſdictione. Quãtula enim pars iudicii eſt in formula actionis? Ea enim data, liteq; conteſtata iudicium deinceps dicitur.l.1.C. de lit. conteſt. Sic edita actio, non litis ſimpliciter, ſed futuræ litis ſpeciem demonſtrare dicitur l.3.C.de edend.In ſumma vt ante iudicium, ſic & poſt iudicium finitum lege agi dicitur, dum

ſit ſcilicet executio ſententię imperio magiſtratus, qui iudicauit vel iudicem dedit, vel vt Manutius libello Dierum veterum tradit, cum prætor ſententiam fert, id eſt, tria verba fatur: Do, dico, addico. Suetonius lib. 7. Prætorum apud Priſcianum. *Faſti dies ſunt, in quib. ius fatur, id eſt, dicitur. Vt nefaſti, in quibus non dicitur.* At iuriſdictio voluntaria etiam diebus feſtis & feriatis exerceri poteſt. l. 2. l. actus. C. de fer. Ita intelligendus ille locus Marcellini in Iuliano lib. 22. *Mamentino* (conſ.) *ludos edente Circenſes, manumittendis ex more inductis per admiſsionem proximum ipſe lege agi dixerat, vt ſolebat: ſtatimque admonitus iuriſdictionem eo die ad alterum pertinere vt errato obnoxiam Decembris aurorarum & ipſe mutauit.*

AD ORATIONEM DIVI MARCI

CAPVT I.

De tutoribus dandis.

HÆc orat. eſt de iure dādi tutoris, vt adparet ex l. 1. §. 2. ff. de tutorib. dat. Vel quę lex eſt Vlp. ex lib. 39. ad Sabin. & connectēda eſt cum l. muto. lib. 38. ſed altera ex altera inſcriptione videtur emendanda. Certe in d. l. muto. definitionem ſiue regulam Vlpianus exponit, huius iuris, qua ſine dubio vſus eſt in oratione ſua D. Marcus, cū hoc ius dādi tutoris ad quaſdā perſonas produxit, puta ad legatum proconſulis, itē ad iuridicum Alexandrię d. l. 1. §. 2. l. fin. ff. de off. iurid. Vbi nomina-

nominatur D. Marci conſtitutio, id eſt, hęc oratio. Eadem vel alia oratio Marci fuit, quæ de excuſationibus tutorum ſanxit, cuius multis locis fit mentio vt in l. cum ex orat. 44. ff. de excuſ. l. licet orationis. 17. C. eod. l. 45. quib. SC. adpellatur eod. tit. Cuiac. putat etiam curatores minoub. 25. annis ex eiſdem D. Marci orat. dari cœpiſſe, quæ adpellatur à Iul. Capitolino in vita Marci conſtitutio, & ſignificatur ab Vlp. in l. 1. § vlt. in verbis illis: *Et ideo hodie*, id eſt, ex oratione D. Marci. ff de minor. Siue igitur vna ſiue plures orationes fuerint, nos hic exponemus de iure dandi tutoris, quod primũ & ante omnia quæri & conſiderari debere Hermogenian. ſcribit, cum quæritur an recte datus ſit tutor. l. natural. §. 1. ff. de confir. tut. De hac re igitur ita ſcribit Vlp. in d. l. muto. *Tutoris datio neq; imperii eſt, neq; iuriſdictionis: ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel SC. vel princeps.* Hæc Vlp. ſententia vt nobiliſſima eſt, ita in maximas difficultates incurrit, quod nondum conſtare ſatis videatur, quare tutoris datio neq; imperii ſit, neq; iuriſdictionis: pręſertim cum idem Vlpianus alibi aperte cõtrarium ſcripſiſſe videatur: ait enim, *ius di. entis officium latiſſimum eſt: nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt vel in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, iudices litigantibus dare.* l. 1. ff. de iuriſd. Cum enim alia omnia exempla ad iuriſdictionẽ ſine dubio pertineant, cur non & tutores dare? Equidem ſcio officium magiſtratus latiſſime patere, eaq; etiã complecti, quæ nullo modo iuriſdictionis ſunt vel imperii: ſed magiſtratus ius dicentis, vt Vlp. loquitur, id eſt, quatenus ius dicit, officium nõ poteſt vltra iuriſdictionis terminos extendi: ſunt enim hæc

coniugata ius dicens, ius dicere, iuriſdictio. Præterea idẽ Vlp. ſcribit in l. nec mandante in pr. ff. de tut. dat. nec præſidem mãdare poſſe, vt aliis tutorẽ det: ſed an mãdare aliquid poſſit nec ne, quęritur de iis, quę sũt iuriſdictionis vel imperii l. 1. & paſſim. ff. de off. eius cui mand. quomodo igitur nec iuriſdictionis nec imperii Vlp. eſſe dicit, tutorẽ dare? Hæc difficultas omnis ætatis interpretes torſit. Accurſ. ita interpretatur, vt dicat, neq; imperii tantũ, neq; iuriſdictionis tantum eſſe, tutores dare, ſed eſſe tamẽ imperii mixti, ꝙ imperiũ iuriſdictioni cohærere dicitur, & viceuerſa, cui iuriſdictio ineſſe l. 1. §. fin. ff. de off. eius. l. 3. de iuriſ. quæ interpretatio ridicula eſt, & à doctorib. paſſim exploſa; nec minus falſa eſt ratio, quam adfert, quia tutoris datio id habet ex mixto imperio, vt non poſſit alteri delegari, vel mandari, dict. l. nec mandante. Nam mixtum imperium plane delegari & mandari poteſt, vt ipſa iuriſdictio, immo mandata iuriſdictione vna tranſit & mixtum imperium l. 1. l. vlt. ff. de offic. eius. Alii commenti ſunt quartam iuriſdictionis ſpeciem nominatam, cuius ſit tutorem dare, vt Donellus, qui mixtam iuriſdictionis ſpeciem inter cõtentioſam & voluntariam eſſe dixit. Longouallius autem ſic explicat, ideo tutorem dare non eſſe imperii, vel iuriſdictionis, q̃a nõ exerceatur eo nomine, quod quis imperium vel iuriſdictionẽ habet, ſed ex cauſa tantum, quod hæc poteſtas à lege, vel SCto, vel conſtitutione concedatur. Cuiac. in Nou. quadam dicit, ius dandi tutores non eſſe iuriſdictionis, ſed eſſe legis, legem enim hoc dare etiã priuatis hominibus, puta, parentibus, vt liberis ſuis tutores teſtamento dare poſſint l. verbis legis. ff. de verb. ſig. Alii dicunt,

dicunt,eſſe cuiuſdam permiſſionis,vtNic.Bell.lib. 1.ſupput.c.2.explicat. Alii dicunt,eſſe poteſtatis,vt eruditiſſ. Gouean. qui officiũ ius dicẽtis diuidit in poteſtatẽ propriã magiſtratus,quę ad iuriſdictionẽ tota pertinet,&poteſtatem aduentitiã.Alii deniq; dicũt eſſe, ſed alio quã Goueanus ſenſu, poteſtatis vel facultatis, vt Alciat. ad tit. de iuriſd. Et Coraſ. lib.5.Miſcel.aliique,quos nuperrime ſecut⁹ eſtMenoch.in conſ.745. nu.114. Quæ omnes fere interpretationes verbis tantũ mihi differre videntur, & illud dicere,ius dãdi tutores à lege permitti vel dari,nõ iure magiſtratus competere,quod verum eſt: ſed ex illis interpretationib. non ſoluuntur omnes difficultates,quę ſe nobis in hac quęſtione obiecerunt,cum plurima ſint,quę ſpecialiter & nominatim lege vel SC. vel conſtitutione deferantur,quæ propterea non negantur eſſe iuriſdictionis.Sed dicendum eſt non negare Vlp.ſimpliciter tutoris dationem eſſe imperii vel iuriſdictionis: negat quidẽ ſi ſola verba ſpectemus, omiſſis ſequentib. Sed eſt inciuile, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare,vel reſpõdere,ait Celſ. in l.inciuile.ff.de ll.quanto inciuilius eſt,vna tantũ particula eiuſdẽ periodi atq; ſentẽtię,vt in Apolog. ſua conqueritur Apul.doctiſſima illa,& pulcherrimis iuris ciuilis interſtincta notis. Opponit.n. Vlp. hæc duo,aliquid eſſe iuriſdictionis & imperii,& aliquid dari ſpecialiter lege vel SC. quod eſt abſurdiſſimũ ſi verba per ſe ſpectemus,nec mẽtem Vlp. cõſideremus. Tantum.n.abeſt, vt hæc inter ſe opponãtur,vt contra potius, quicquid proponas dari ſpecialiter lege vel.SC.idem ſtatim oſtenſurus ſim eſſe imperii, vel iuriſdict.Merum imperiũ quod in

cauſſarum criminalium cognitione & animaduerſione conſiſtit. l. 3. ff. de iuriſd. datur ſpecialiter lege, vel SCto, vel cõſtitutione. Ita diſerte expreſſum eſt in l. 1. in pr. ff. de off. eius. At merum imperium eſt ſpecies iuriſdictionis generaliter adceptæ d. l. 1. & l. 2. §. & quia. ff. de orig. iur. Tranſactio etiam de alimentis relictis non poteſt fieri niſi ex decreto prętoris, cui ſcilicet ſpecialiter & nominatim ea cognitio tributa eſt oratione D. Hadriani l. cum hi. 8. ff. de tranſact. & tamen ea cognitio diſerte vocatur iuriſdictio in d. l. cum hi §. nec mandare. Similiter cognitio de alienandis prædiis minorũ 25. annis eſt iuriſdictionis, & tamen ſpecialiter mãdata eſt prætori oratione D. Seueri l. 1. §. 1. ff. de rebus eor. qui ſub tutel. Deniq; iudicem litigantibus dare poſſe eos Paulus dicit, quibus id lege, vel conſtitutione, vel SCto conceditur. l. cum prætor. §. 1. ff. de iud. & tamen iudices dare, eſt totum iuriſdictionis, imo iuriſdictio definitur eſſe iudicis dandi licentia l. 3. in fin. ff. de iuriſd. Adparet igitur Vlpianum non hoc voluiſſe, tutoris dationem ſpecialiter lege, vel SCto concedi, & propterea nõ eſſe iuriſdictionis; hoc enim eſt, vt iam demonſtraui, abſurdiſſimum; ſed mens Vlp. hęc fuit, tutoris dationem non competere magiſtratibus iure magiſtratus, vt aliæ pleræque cauſſę iuriſdictionis, vel imperii, quod iuriſdictioni cohæret, ſed competere ſpeciali conceſſu legis vel SCti vel Principis. Hęc enim duo recte inter ſe opponuntur, maximeque differunt: iure magiſtratus cõpetere, & conceſſu legis ſpeciali deferri, vt clariſſime ſcriptũ eſt, in illa nobili definitione Papiniani in l. 1. ff. de offic. eius. Iuriſdictio autem, id eſt, cauſſarum ciuilium cognitio competit iure

magi-

magiſtratus. Eſt enim magiſtratus, qui iuriſdictioni præeſt. l. 2. ff. de orig. iur. cum ſimilibus. Lex quidem magiſtratibus dat iuriſdictionem, ſed mediãte tamen magiſtratu. Nam ſimul ac quis magiſtratus creatus eſt, iure proprio, id eſt ratione magiſtratus ſui iuriſdictionem habet, licet ei lex iuriſdictionem nullam ſpecialiter detulerit. Denique hæc tria diſtinguenda ſunt, iuriſdictionem à lege dari, vel deferri; iuriſdictionem ſpecialiter & nominatim à lege dari; iuriſdictionem lege cõfirmari. Iuriſdictionem lex & mos maiorum dat omnibus magiſtratibus, ita vt eam ſuam & proprio iure habeant l. more. & l. ſeq. ff. de iuriſd. & propterea quiuis mandare eam alteri poteſt. Iuriſdictionem autem ſpecialiter, & nominatim certo magiſtratui defert, vt tutoris dationem, aliaſq; nonnullas ſpecies ſuperius à me allegatas: Ideo enim ſpecialiter eas defert, ne quilibet magiſtratus earũ cauſarum cognitionem ſibi vſurpet: Item, ne ab eo, cui delata eſt, mandari alteri poſſit; quod certe poſſet, ſi ratione magiſtratus ei competeret. d. l. 1. ff. de offic. eius. Denique confirmare lex iuriſdictionem dicitur, cum magiſtratus iuriſdictionẽ ſuam, exceptis iis cauſſis, de quibus ſupra dictum, alteri mandat, quod poteſt, quia eſt ipſius propria l. 5. & quia. ff. de iuriſd. Et rurſum aliud eſt, iuriſdictionem principaliter dari, aliud ſpecialiter dari. Nã lex in vniuerſum iuriſdictionẽ principaliter magiſtratibus omnibus dat, vt eam iure magiſtratus habeant. d. l. & quia. Sed ſpecialiter aliquas cauſſas dat, vt non iure magiſtratus habeat, ſed beneficio legis d. l. 1. de offic. eius. Cum igitur, vt ad quæſtionẽ noſtram redeam, Vlpianus negat, tutoris dationem eſſe iu-

cognitionibus prolatarum. Et quod eſt in edicto *prætoris* de poſtulando: Qui lege, plebiſcito, SCto, edicto, *Decreto Principum*, niſi pro certis perſonis poſtulare prohibentur l. 1. §. ait Prætor. de poſtulan. niſi pro quauis principis conſtitutione id accipi malis; quod verius eſt.

CAPVT XXXIV.

De Legis actionibus & legitimis actibus.

LEGIS actiones ſunt formulæ certæ atque ſolemnes de vnaquaque re compoſitæ ex Legibus 12. tabularum. l. 2. ff. de orig. iur. Iis formulis ſi quis agere apud magiſtratum vellet, vtendum erat. Lege agere dicitur is, qui aliquid à magiſtratu vt ſibi ius de eo dicatur, petit: legis actio apud magiſtratum eſſe dicitur. l. 2. de off. procon. Cicero pro Muræna: *poſſet lege agi nec ne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim non habebant.* Vbi igitur legis actio eſt, ibi magiſtratus ſit oportet. Qua in re differunt legis actiones à legitimis actibus. Nam actus legitimi etiam extra ius & ſine prætore, vel alio magiſtratu expediuntur: legis actiones nunquam niſi apud magiſtratum. Quare nec Cuiacium probare poſſum, nec Hottomannum; quorum ille idē eſſe legitimos actus, & legitimas actiones putauit: hic legitimas actiones etiā extra ius & ſine magiſtratu peragi, & in his numerat cum alia, tum teſtamentum, & hereditatis aditionem. Denique ſic definit, legis actiones eſſe, quæ ex verbis legis conceptæ ſunt: legitimos actus etiam, qui ex legis mente & ſententia: ſine vllius certæ legis expreſſis verbis inſtituti ſunt. Ego puto ex eo legitimos dici, & actus

& actiones, quod legitima certaque in iis ſolemnitas adhiberetur; nec verborum ſolum, ſed & ſæpe rerum: quas res ſymbola & ritus licet adpellemus. De libra atque ære notiſſimum eſt, in omnibus fere alienationibus, aliiſq; actibus adhibitam fuiſſe, vt non incongrue commune ſymbolum dici poſſit. fuere & propria veluti in anteſtatione auriculæ tactio, quo pertinere illud Trebatii videtur, qui auriculam tetigit totum hominem videtur tetigiſſe. In hæreditatis aditione, vel creatione, itemque in emptione, ſublatio, & crepitus digitorum: in iudiciis ſurculi defractio, item glebæ in ius allatio, vt eſt apud Gellium & Feſtum: in manumiſſione per vindictam facta, alapę & vertigo, vt Perſius vocat herilem illam circumductionē, & virga lictoris. Nou. 81. l. pen. C. qui man. nō poſſ. In honorib. deferendis manuum protenſio ſiue porrectio *χειροτονία*. de qua Euſtathius in Homerum in quo Cuiacius ad l. t. de verb. oblig. reprehendit Clemen. Alexandrini interpretem, qui perceptiones fructuum interpretetur, cum *καρπὸν* Clemens volam ſiue manum vocare ſoleat. Idem apud Hieronymum lego Epiſt. 126. ad Marcellinum, deceptos ſcilicet, ambigua ſignificatione eius verbi Latinos interpretes *καρποὺς* vertiſſe in Pſalm. 127. fructus, cum manus debuiſſent, labores manuum. Quid? quod & ſine legitimis verbis per ſymbola vt opinor, ſola, res tales expedirentur? Hermogenianus: *Manumiſſio per lictores hodie domino tacente expediri ſolet: & verba ſolemnia licet non dicantur, vt dicta accipiuntur.* l. 23. ff. de man. vind. Illud nunc videndum, quod ex Pomponio ſupra attulimus, an rectum ſit: Verba eius ſunt: *Ex his legibus actio-*

nes compoſitæ ſunt ; quibus inter ſe homines diſceptarent ; & adpellatur hac pars legis actiones. dict. l. 2. de orig. iur. Hottomannus reprehendit, quod in hac definitione omittantur eæ legis actiones, quæ ad voluntariam iuriſdictionem pertinent, de quibus nulla lis aut diſceptatio fit. Cuiacius non definiri legis actiones defendit, nec has ſolas eſſe legis actiones Pomponium dicere, ſed adpellari. Mihi alia ſententia de his rebus in mentem venit, quam non pigebit exponere, cum veriſſimam eſſe, & illuſtrandæ huic quæſtioni puteın. Animaduerti in iure noſtro hoc nomen, Legis actio, de nulla vnquam litis actione, id eſt, quæ ad contentioſam iuriſdictionem pertinent, ſed de voluntariæ duntaxat iuriſdictionis actionib. vſurpari. velut in l. 2. ff. de off. proconſ. *Apud legatum Proconſ. nemo manumittere poteſt, quia non habet iuriſdictionem talem*, id eſt, voluntariam. Cui ſubiicitur ex Vlpiano: *Nec adoptare poteſt: omnino enim non eſt apud eum legis actio.* Item in l. 1. de offic. iuridic. *Adoptare quis apud iuridicum poteſt: quia data eſt ei legis actio.* Imp. Gordianus in l. 1. C. de adopt. *Hi qui in aliena poteſtate ſunt iuxta ius ciuile non niſi apud eum, apud quem plena legis actio, adoptari poſſunt.* Modeſtinus in l. 4. ff. de adopt. *Magiſtratum, apud quem legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare apud ſe poſſe, Neratii ſententia eſt.* Paulus lib. 2. ſentent. cap. 25. *Apud magiſtratus municipales, ſi habeant legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.* Iuſtinianus in Nou. 71. εἰ γὰρ ἡ τῆς ἐμανκιπατζιῶνος πρᾶξις πάλαι μὲν ὑπὸ τὰς καλυμένας Legis ἀκτιόνας γινομένη. Theophilus νόμιμον πρᾶξιν vocat. Et hoc intelligit l. vlt. C. de vind libert. illo loco. *quibus huiuſ-*

Digitized by Google

huiuſmodi ius eſt, vt in l. 1. C. de emancip. liber. *Si hanc poteſtatem Duumuiris dedit lex municipii.* Et Anaſtaſius in l.pen. C. de emancip. liber. *apud competentem iudicem*, inquit, *ad cuius iuriſdictionem actus emancipationis pertinet.* Ex quibus & ſimilibus locis, conſtare poſſe arbirror, legis actionem proprie de iuriſdictione volũtaria dici, præſertim cum nullus proferri locus poſſit, in quo id adcommodetur contentioſę, quamuis lege agi de vtraque iuriſdictione dicatur. l. vlt. C. de his qui à non domin. Cicero de orator. 1. *Cum egiſſet lege in hæreditatem paternam.* Tacitus Annal. D. *Auguſtus apud Equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaque eorum perinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Rom. conſtituiſſent.* & ſæpe apud alios auctores. Vnus eſt locus ille Pomponii, ex quo litium actiones, vt Cicero vocat, legis actiones olim adpellatas fuiſſe, cognoſcitur: id poſtea mutatum fuiſſe arbitror, & hoc nomen proprie tributum iuriſdictioni voluntariæ, idque propterea, quod iuriſdictionis nomine, non facile aliæ cauſæ, quam lites & diſceptationes intelligerentur. Ratio quoq; id perſuaſit. Nam, adoptio, manumiſſio, emancipatio, cæteræque ſimiles legis actiones nihil habẽt, niſi à lege: totæ enim cõſtant iuris ciuilis quadam ſolemnitate, & perficiũtur. l. 4. C. de emancipat. In litium actionibus contra minimũ eſt à lege, pleraq; à iuriſdictione. Quãtula enim pars iudicii eſt in formula actionis? Ea enim data, liteq; conteſtata iudicium deinceps dicitur. l. 1. C. de lit. conteſt. Sic edita actio, non litis ſimpliciter, ſed futuræ litis ſpeciem demonſtrare dicitur l. 3. C. de edend. In ſumma vt ante iudicium, ſic & poſt iudicium finitum lege agi dicitur, dum

ſit ſcilicet executio ſententię imperio magiſtratus, qui iudicauit vel iudicem dedit, vel vt Manutius libello Dierum veterum tradit, cum prætor ſententiam fert, id eſt, tria verba fatur: Do, dico, addico. Suetonius lib. 7. Prætorum apud Priſcianum. *Faſti dies ſunt, in quib. ius fatur, id eſt, dicitur. Vt nefaſti, in quibus non dicitur.* At iuriſdictio voluntaria etiam diebus feſtis & feriatis exerceri poteſt. l. 2. l. actus. C. de fer. Ita intelligendus ille locus Marcellini in Iuliano lib. 22. *Mamentino* (conſ.) *ludos edente Circenſes, manumittendis ex more inductis per admiſſionem proximum ipſe lege agi dixerat, vt ſolebat: ſtatimque admonitus iuriſdictionem eo die ad alterum pertinere vt errato obnoxiam Decembris aurotam & ipſe mutauit.*

AD ORATIONEM DIVI MARCI

CAPVT I.

De tutoribus dandis.

HÆc orat. eſt de iure dādi tutoris, vt adparet ex l. 1. §. 2. ff. de tutorib. dat. Vel quę lex eſt Vlp. ex lib. 39. ad Sabin. & connectēda eſt cum l. muto. lib. 38. ſed altera ex altera inſcriptione videtur emendanda. Certe in d. l. muto. definitionem ſiue regulam Vlpianus exponit, huius iuris, qua ſine dubio vſus eſt in oratione ſua D. Marcus, cū hoc ius dādi tutoris ad quaſdā perſonas produxit, puta ad legatum proconſulis, itē ad iuridicum Alexandrię d. l. 1. §. 2. l. fin. ff. de off. iurid. Vbi nomina-

nominatur D. Marci conſtitutio, id eſt, hęc oratio. Eadem vel alia oratio Marci fuit, quæ de excuſationibus tutorum ſanxit, cuius multis locis fit mentio vt in l. cum ex orat. 44. ff. de excuſ. l. licet orationis. 17. C. eod. l. 45. quib. SC. adpellatur eod. tit. Cuiac. putat etiam curatores minorib. 25. annis ex eiſdem D. Marci orat. dari cœpiſſe, quæ adpellatur à Iul. Capitolino in vita Marci conſtitutio, & ſignificatur ab Vlp. in l. 1. § vlt. in verbis illis: *Et ideo hodie*, id eſt, ex oratione D. Marci. ff. de minor. Siue igitur vna ſiue plures orationes fuerint, nos hic exponemus de iure dandi tutoris, quod primũ & ante omnia quæri & conſiderari debere Hermogenian. ſcribit, cum quæritur an recte datus ſit tutor. l. natural. §. 1. ff. de confir. tut. De hac re igitur ita ſcribit Vlp. in d. l. muto. *Tutoris datio neq; imperii eſt, neq; iuriſdictionis: ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel SC. vel princeps.* Hæc Vlp. ſententia vt nobiliſſima eſt, ita in maximas difficultates incurrit, quod nondum conſtare ſatis videatur, quare tutoris datio neq; imperii ſit, neq; iuriſdictionis; prę ſertim cum idem Vlpianus alibi aperte cõtrarium ſcripſiſſe videatur: ait enim, *ius dicentis officium latiſſimum eſt: nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt vel in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, iudices litigantibus dare.* l. 1. ff. de iuriſd. Cum enim alia omnia exempla ad iuriſdictionẽ ſine dubio pertineant, cur non & tutores dare? Equidem ſcio officium magiſtratus latiſſime patere, eaq; etiã complecti, quæ nullo modo iuriſdictionis ſunt vel imperii: ſed magiſtratus ius dicentis, vt Vlp. loquitur, id eſt, quatenus ius dicit, officium nõ poteſt vltra iuriſdictionis terminos extendi: ſunt enim hæc

coniugata ius dicens, ius dicere, iuriſdictio. Præterea idẽ Vlp. ſcribit in l. nec mandante in pr. ff. de tut. dat. nec præſidem mãdare poſſe, vt aliis tutorẽ det: ſed an mãdare aliquid poſſit nec ne, quęritur de iis, quę sũt iuriſdictionis vel imperii l. 1. & paſſim. ff. de off. eius cui mand. quomodo igitur nec iuriſdictionis nec imperii Vlp. eſſe dicit, tutorẽ dare? Hæc difficultas omnis ætatis interpretes torſit. Accurſ. ita interpretatur, vt dicat, neq; imperii tantũ, neq; iuriſdictionis tantum eſſe, tutores dare, ſed eſſe tamẽ imperii mixti, ꝙ imperiũ iuriſdictioni cohærere dicitur, & viceuerſa, cui iuriſdictio ineſſe l. 1. §. fin. ff. de off. eius. l. 3. de iuriſ. quæ interpretatio ridicula eſt, & à doctorib. paſſim exploſa; nec minus falſa eſt ratio, quam adfert, quia tutoris datio id habet ex mixto imperio, vt non poſſit alteri delegari, vel mandari, dict. l. nec mandante. Nam mixtum imperium plane delegari & mandari poteſt, vt ipſa iuriſdictio, immo mandata iuriſdictione vna tranſit & mixtum imperium l. 1. l. vlt. ff. de offic. eius. Alii commenti ſunt quartam iuriſdictionis ſpeciem nominatam, cuius ſit tutorem dare, vt Donellus, qui mixtam iuriſdictionis ſpeciem inter cõtentioſam & voluntariam eſſe dixit. Longouallius autem ſic explicat, ideo tutorem dare non eſſe imperii, vel iuriſdictionis, ꝗa nõ exerceatur eo nomine, quod quis imperium vel iuriſdictionẽ habet, ſed ex cauſa tantum, quod hæc poteſtas à lege, vel SCto, vel conſtitutione concedatur. Cuiac. in Nou. quadam dicit, ius dandi tutores non eſſe iuriſdictionis, ſed eſſe legis, legem enim hoc dare etiã priuatis hominibus, puta, parentibus, vt liberis ſuis tutores teſtamento dare poſſint l. verbis legis. ff. de verb. ſig. Alii dicunt,

dicunt,eſſe cuiuſdam permiſſionis,vt Nic.Bell.lib. 1.ſupput.c.2.explicat. Alii dicunt,eſſe poteſtatis,vt eruditiſſ. Gouean. qui officiũ ius dicētis diuidit in poteſtatẽ propriã magiſtratus,quę ad iuriſdictionẽ tota pertinet,&poteſtatem aduentitiã.Alii deniq; dicũt eſſe, ſed alio quã Goueanus ſenſu, poteſtatis vel facultatis, vt Alciat. ad tit. de iuriſd. Et Coraſ. lib.5.Miſcel.aliique,quos nuperrime ſecut⁹ eſt Menoch.in conſ.745. nu.114. Quæ omnes fere interpretationes verbis tantũ mihi differre videntur, & illud dicere,ius dãdi tutores à lege permitti vel dari,nõ iure magiſtratus competere,quod verum eſt: ſed ex illis interpretationib. non ſoluuntur omnes difficultates,quę ſe nobis in hac quęſtione obiecerunt,cum plurima ſint,quę ſpecialiter & nominatim lege vel SC. vel conſtitutione deferantur,quæ propterea non negantur eſſe iuriſdictionis.Sed dicendum eſt non negare Vlp.ſimpliciter tutoris dationem eſſe imperii vel iuriſdictionis: negat quidẽ ſi ſola verba ſpectemus, omiſſis ſequentib. Sed eſt inciuile, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua particula eius propoſita iudicare,vel reſpõdere,ait Celſ. in l.inciuile.ff.de ll.quanto inciuilius eſt,vnã tantũ particula eiuſdẽ periodi atq; ſentẽtię,vt in Apolog. ſua conqueritur Apul.doctiſſima illa,& pulcherrimis iuris ciuilis interſtincta notis. Opponit.n. Vlp. hæc duo,aliquid eſſe iuriſdictionis & imperii,& aliquid dari ſpecialiter lege vel SC. quod eſt abſurdiſſimũ ſi verba per ſe ſpectemus,nec mẽtem Vlp. cõſideremus. Tantum.n.abeſt, vt hæc inter ſe opponantur,vt contra potius, quicquid proponas dari ſpecialiter lege vel.SC.idem ſtatim oſtenſurus ſim eſſe imperii, vel iuriſdict.Merum imperiũ quod in

cauſſarum criminalium cognitione & animaduerſione conſiſtit. l. 3. ff. de iuriſd. datur ſpecialiter lege, vel SCto, vel cõſtitutione. Ita diſerte expreſſum eſt in l. 1. in pr. ff. de off. eius. At merum imperium eſt ſpecies iuriſdictionis generaliter adceptæ d. l. 1. & l. 2. §. & quia. ff. de orig. iur. Tranſactio etiam de alimentis relictis non poteſt fieri niſi ex decreto prætoris, cui ſcilicet ſpecialiter & nominatim ea cognitio tributa eſt oratione D. Hadriani l. cum hi. 8. ff. de tranſact. & tamen ea cognitio diſerte vocatur iuriſdictio in d. l. cum hi §. nec mandare. Similiter cognitio de alienandis prædiis minorũ 25. annis eſt iuriſdictionis, & tamen ſpecialiter mãdata eſt prætori oratione D. Seueri l. 1. §. 1. ff. de rebus eor. qui ſub tutel. Deniq; iudicem litigantibus dare poſſe eos Paulus dicit, quibus id lege, vel conſtitutione, vel SCto conceditur. l. cum prætor. §. 1. ff. de iud, & tamen iudices dare, eſt totum iuriſdictionis, imo iuriſdictio definitur eſſe iudicis dandi licentia l. 3. in fin. ff. de iuriſd. Adparet igitur Vlpianum non hoc voluiſſe, tutoris dationem ſpecialiter lege, vel SCto concedi, & propterea nõ eſſe iuriſdictionis; hoc enim eſt, vt iam demonſtraui, abſurdiſſimum: ſed mens Vlp. hęc fuit, tutoris dationem non competere magiſtratibus iure magiſtratus, vt aliæ pleręque cauſſę iuriſdictionis, vel imperii, quod iuriſdictioni cohæret, ſed competere ſpeciali conceſſu legis vel SCti vel Principis. Hęc enim duo recte inter ſe opponuntur, maximeque differunt: iure magiſtratus cõpetere, & conceſſu legis ſpeciali deferri, vt clariſſime ſcriptũ eſt, in illa nobili definitione Papiniani in l. 1. ff. de offic. eius. Iuriſdictio autem, id eſt, cauſſarum ciuilium cognitio competit iure magi-

magiſtratus. Eſt enim magiſtratus, qui iuriſdictioni præeſt. l. 2. ff. de orig. iur. cum ſimilibus. Lex quidem magiſtratibus dat iuriſdictionem, ſed mediante tamen magiſtratu. Nam ſimul ac quis magiſtratus creatus eſt, iure proprio, id eſt ratione magiſtratus ſui iuriſdictionem habet, licet ei lex iuriſdictionem nullam ſpecialiter detulerit. Denique hæc tria diſtinguenda ſunt, iuriſdictionem à lege dari, vel deferri; iuriſdictionem ſpecialiter & nominatim à lege dari; iuriſdictionem lege cõfirmari. Iuriſdictionem lex & mos maiorum dat omnibus magiſtratibus, ita vt eam ſuam & proprio iure habeant l. more. & l. ſeq. ff. de iuriſd. & propterea quiuis mandare eam alteri poteſt. Iuriſdictionem autem ſpecialiter, & nominatim certo magiſtratui defert, vt tutoris dationem, aliaſq; nonnullas ſpecies ſuperius à me allegatas: Ideo enim ſpecialiter eas defert, ne quilibet magiſtratus earũ cauſarum cognitionem ſibi vſurpet: Item, ne ab eo, cui delata eſt, mandari alteri poſſit; quod certe poſſet, ſi ratione magiſtratus ei competeret. d. l. 1. ff. de offic. eius. Denique confirmare lex iuriſdictionem dicitur, cum magiſtratus iuriſdictionẽ ſuam, exceptis iis cauſſis, de quibus ſupra dictum, alteri mandat, quod poteſt, quia eſt ipſius propria l. 5. & quia. ff. de iuriſd. Et rurſum aliud eſt, iuriſdictionem principaliter dari, aliud ſpecialiter dari. Nã lex in vniuerſum iuriſdictionẽ principaliter magiſtratibus omnibus dat, vt eam iure magiſtratus habeant. d. l. & quia. Sed ſpecialiter aliquas cauſſas dat, vt non iure magiſtratus habeat, ſed beneficio legis d. l. 1. de offic. eius. Cum igitur, vt ad quæſtionẽ noſtram redeam, Vlpianus negat, tutoris dationem eſſe in-

riſdictionis vel Imperii, intelligit iuriſdictionem ordinariam illam, & vniuerſe ſumptam, quæ ſcilicet magiſtratui iure magiſtratus cõpetit: cum addit: tutoris dationem competere ei, cui ſpecialiter lex id dederit, intelligit ex eo numero cauſſarũ iuriſdictionis eſſe, quas noluit lex cuiuis magiſtratui competere, ſed certis vt valde mirer, acutiſſimum interpretem Fulgoſium auſum eſſe affirmare, tutoris dationem cuiuis magiſtratui ratione magiſtratus ſui cõpetere adlegata l. ius dandi. ff. de tut. vel cur. dat. Neque enim illic dicitur, ius dandi tutoris omnibus magiſtratibus cõpetere, ſed omnibus magiſtratibus municipalibus. Non igitur omnibus. Nec recte colligitur, competit hoc infimis magiſtratibus. id eſt municipalibus. Ergo & maioribus omnibus competit. Nam hæc argumẽtatio non valet in iuriſdictionis cauſſis, vel imperii meri, quæ ſpecialiter à lege deferuntur, vt lib. 3. dicam.

CAPVT II.

Quibusnam competat ius dandi tutoris, & quibus conditionibus.

QVi magiſtratus olim ius dãdi tutoris habuerint lege, vel SCto vel conſtitutione principis conceſſum, & quę in ea re variatio fuerit docet tit. Inſt. de Attil. tut. & l. 1. l. 3. l. vbi l. pupillo. ff. de tut. & cur. dat. Fuit & Romæ prætor tutelaris à M. Anton. cõſtitutus ad hanc vnã iuriſdictionis partem, teſte Iul. Capitolino, vt hodie quoq; in multis ciuitatibus certi magiſtratus, vel Senatores ei p̃ſunt, velut Norimbergæ. quid? quod & cõſuetudine hoc ius tribui etiã priuato poſſe, Doctores noſtri

ſtri dicunt,authore Accurſio in l.1.C.de tut.& cur. dat. allegantq; ad hanc ſententiam c. cum contingat.de for. comp. quo tamen loco vt neque aliis id probari recte Andr.Siculus adnotauit:quãuis communem illam concluſionẽ adfirmet. Sed de magiſtratibus municipalibus paulo obſcurior res eſt: in quo primum illud offendit,quod Iuſtin.&Paul.& Vlpia.ſcribunt magiſtratibus quidem iis ius dandi tutores datum eſſe, ſed adiiciunt, *Eo iure nos vti* d. tit.Inſt.§.2.l.3.l. diei. ff. de tut. & cur. dat. quaſi vſu & conſuetudine tantum id receptum ſit, non autem ſpecialiter vlla lege, vel SC. vel conſtitutione tributum: quod ſane repugnat ſupra expoſitæ Vlpiani definitioni in l. muto. §. tutoris. ff. de tutel. Sed dicendum eſt,ẽt magiſtratib.municipalib.ſpecialiter id conceſſum eſſe,licet qua lege,vel conſtitutione conceſſum ſit,ignoretur:nam in d.l.3.dicit̃ *datũ ius eſſe.* Ergo datũ aliqua lege,olim quidẽ hoc ius eis non cõpetebat: poſtea datum eſt, & in vſu perpetuo manſit, & adhuc manet, Iuſtinianus aũt conſtitutione ſua noue introduxit, vt poſſent municipales magiſtratus tutores pupillis dare, nulla præſidis iuſſione pcedente, quæ iuſſio olim requirebatur l. 30. C.de ſacroſ. eccleſ. §.pen. Inſt.eo.tit. Sed duas cõditiones adiecit. Vna eſt,vt adhibeant antiſtitẽ,vel epiſcopum loci: altera eſt,ſi pupilli facultates nõ excedant ſummã quingentorũ ſolidorũ,ſiue aureorũ,i.e.vt quidã cõputant,quingentorũ ducatorũ Vngaricorum Rurſum obiicitur,ſi lege datũ eſt,hoc ius magiſtratibus municipalib',cur ergo præſidis iuſſus requirebatur? §.2.d.tit. Inſt.Immo contrariũ aliquis dicet, nimirũ necante Iuſtiniani tẽpora deſideratũ fuiſſe prẹſidis iuſſũ arg.d.l.

3. ff.de tut.dat. An dicemus, non quidem neceſſarium fuiſſe iuſſum præſidis, ſed plerumque tamen Duumuiros (id eſt, magiſtratus municipales) ſolitos eſſe iuſſu & præcepto præſidis id facere, ſicut & aliam legis actionem exercere, quamuis eam ſuo iure habere dicantur, vtpote à lege datam? quemadmodum Cuiacius ſcribit lib. 15. obſeru. cap. 19. in fin. ex l. 5. ff. de confir. tut. l. Lucius. §. in teſtamēto. ff. de adminiſt. tut. l. 1. §. magiſtratibus. ff. de magiſtratib. conuen. l. 2. ff. de curat. furioſ. §. ſed hoc. Inſtitut. de Attil. tut. Neque vero hoc ius, id eſt, vt magiſtratus municipalis præcedente iuſſu præſidis prouinciæ tutorem det, à Iuſtino ſublatum eſt, vt perperam vulgo exiſtimant. Nam Iuſtin. quidem inuenit faciliorem tutoris dandi rationē d. §. pen. & d. l. 30. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſed nō tamen ſuſtulit veterem, ſi quis ea vti malit, ſicut & adeūdæ hæreditatis rationem commodiſſimam, & ſine periculo hæredis idem inuenit, qua hodieq; vtimur, per inuentarii ſcilicet confectionem: Sed nō propterea prohibuit, quin, ſi quis velit, veteri ratione vtatur, ſine inuentario. Vnde illud periculum ipſi imminet, ne in ſolidum exigatur l. vlt. C. de iur. delib. Sed quod de neceſſitate iuſſus præſidialis dixi, exiſtimo aliter rem ſeſe habere, id eſt, neceſſarium eſſe, ſiquidē magiſtratus municipalis veteri iure vti in dando tutore velit, idque communiter cum Accurſio Dd. ſentire teſtis eſt Iaſon in l. 1. n. 54. ff. de offic. eius. Simpliciter enim & abſolute loquuntur de iuſſu præſidis ſupra adlegatæ leges. Nec refert quod lege datum magiſtratibus municipalibus ſit hoc ius dandi tutoris. Nam fatemur datum ita eſſe, ſed tamen cum hac cōditione, vt præcedat præ-

ſidis

ſidis iuſſus. Illud prętermittendum non eſt, ſic magiſtratibus municipalibus id competere, vt etiam neceſſario illis hoc onus incumbat, vt in l. 2. §. ſi mater. in fi. ff. ad SC. Tertull quod ſi ipſi ex municipio abfuerint, tunc Decurionibus idem ius datum eſt, eademque neceſſitas iniuncta. l. vbi ff de tut. & cur. dat. quamuis Decuriones proprie non ſunt magiſtratus. At defenſores ciuitatis, quos hodie vulgo Conſeruatores adpellant, vel vt alii Syndicos, ſunt magiſtratus municipales, & præſidum vice in ciuitatibus funguntur. Nou. 15. quare & eos dare tutorẽ in municipio poſſe, ſicut Duumuiros ſcriptum eſt in d. §. vlt. Inſt. de Attil. tut. & hoc eſſe arbitror, quod in d. l. 3. ff. de tut. dat. ſcriptum eſt, omnibus magiſtratibus municipalibus ius dandi tutoris eſſe datum: id eſt nõ ſolum duumuiris, ſed etiam defenſoribus & Decurionibus. Ex eo autem, quod in d. §. pen. ſcriptum eſt, Defenſores cum epiſcopo dare tutores poſſe, ſi pupilli facultates non excedant ſummam quingẽtorum aureorum, exiſtimari poſſet, eos etiam de cauſis ciuilibus vſque ad eam ſummam cognoſcere poſſe, atque ideo in l. 1. C. de defenſ. ciuit. pro quinquaginta ſolidorum legendum eſſe, quingẽtorum, quod Cuiac. in No. 15. refellit, dicens aliam eſſe rationem eorum quæ ſunt legis, & eorum, quę ſunt iuriſdictionis: Tutoris dationem legis eſſe, ſed cauſſarum cognitionem iuriſdictionis, quæ ratio ſupra à me refutata eſt. Nec alia eiuſdem Cuiacii ratio valet: quia, inquit, in d l. ſcriptum ſit, defenſores iudicare de minoribus, cauſſis: non eſſe autem minores, quæ ſunt vſq; ad quingentos aureos, ſed vſque ad quinquaginta, cum etiam hæc paupertatis ſit definitio, vt in l. 4.

nonnulli ff.de adcuſat. Reſpondeo:primum varie in iure noſtro adcipi minores cauſas, ſiue ſummas: interdum enim adcipitur minor ſumma etiã pro duobus aureis. l. ſi quis adfirmauerit. §. fin .& leg. ſeq.ff.de dol.mal. Interdum etiam aliter, vt pulchre explicat Accurſ.in l.1.C. de defenſor. Et videtur ipſe Iuſtin. hoc idem ſignificare in dict.leg. Inſtit. de Attil. tutor. ſcribit enim tutores poſſe à municipali magiſtratu dari præcedente iuſſu præſidis, ſi modicæ ſint pupilli facultates: Mox illud duntaxat, quod de iuſſu præſidis dixerat, temperat, nec vult eum eſſe neceſſarium : modicas autem facultates interpretatur, eſſe quingentorum aureorum: ſic enim verba eius adcipienda ſunt, quia in ratione facultatum pupilli, nihil ei propoſitum fuit innouare: quare argumentum optimum eſſe arbitror à tutoris datione ductum ad reliquas iuriſdictionis cauſas. Quid autem dicendum eſt, ſi plane pauperes pupilli, & multo minus hac ſumma habeant? Non puto iis recte tutorem dari: quamuis enim tutor principaliter & proprie detur perſonæ,non rebus, vt curator datur rebus, non perſonæ, l. quia perſonæ. ff. de teſtamen. tut. tamen receptum eſt vt potius Orphanotrophi, quam tutores dicantur, qui tales alendos & tuendos ſuſcipiunt, & quaſi tutores, quaſique Curatores ſunt; qua de cauſa, neque tutelæ, vel curationis rationibus reddendis tenentur l. Orphanotrophos. Codic. de epiſcop. & cleric. Et laudatiſſimus olim Acacius Patriarcha Conſtant. vt eſt apud Suidam, fuit, quod Orphanotrophus creatus optime res eorum adminiſtraſſet. Si quas enim res illi habent,

bent, eæ tradi Orphanotrophis debent coram magiſtratu, puta, præfecto vrbis, vel defenſoribus cuiuſque ciuitatis dict. leg. & Nou. 131. & ibi Cuiac. in fin. qui & illud recte ad Nouell. 80. annotauit, imbecillis huiuſmodi perſonis tutores dandi ius à Iuſtiniano tributum videri. Quæſtori ſpecialiter, quod conuenit definitioni leg. muto §. tutoris. ff. de tutel. De Imperatore nulla dubitatio eſt, quin poſſit, interdum etiam ſoleat tutores dare. Adrianum ſæpiſſime dediſſe, Spartianus ſcribit.

CAPVT III.

Quis à quo tutor dari poſſit, & cui.

NVNC illa nobilis quæſtio explicanda eſt, an magiſtratus collegam ſuum dare tutorem poſſit, quæ vt recte intelligatur, ſciendum eſt quicunque ius tutoris dandi habet, eum id facere poſſe ſecundum iuriſdictionem ſuam, vt ſcriptum eſt in §. ſed hoc iure. Inſtit. de Atril. tut. l. 1. in fin. & l. 3. ff. de tut. & cur. dat. His verbis duo continentur, quorum vnum pertinet ad locum ſiue ad perſonas, alterum vero ad facultates pupillorum. Primum igitur nemo tutorem dare poteſt, niſi in eo loco, in quo ipſe iuriſdictionem habet, non extra eum, non inquam, extra territorium ſuum: quare præſes prouinciæ non poteſt tutorem dare, niſi iis, qui ſunt eiuſdem prouinciæ, vel ibidem domicilium habent, leg. 1. §. vltim. de tut. dat. Prætor non niſi intra vrbem, præfectus etiam extra vrbem vſque ad centeſimum

lapidem. nam eo vſque imperium eius extenditur l. 1. §. 4. ff. de offic. Præfect. vrb Sic magiſtratus municipalis non dat tutorem, niſi iis qui ex eodem municipio, vel ex eius municipii agro ſunt. d. l. 3. Cæterum pupillis ex alia ciuitate, vel loco ortis tutorem dare poteſt quiuis magiſtratus, ſi pupilli in eo loco domicilium habeant, vbi magiſtratus iuriſdictionem habet: ſicut & de perſona tutoris cõſtitutũ eſt, vt is dari tutor poſſit, qui ſaltem domicilium in eo loco habet. l. neque à præſide. C. qui dare tut. Nam hæc res pendet tota à iuriſdictione, quam nemo habet extra territorium ſuum: ideoq; ei extra territorium impune non paretur l. vlt. ff. de iuriſd. His opponitur: Iuriſdictio volũtaria poteſt exerceri à magiſtratu etiam extra territorium ſuum, veluti poteſt quis manumittere ſeruos ſuos, vel emancipare filios apud Proconſulem quouis in loco, & dum in itinere eſt, priuſquam in prouinciam ſibi deſtinatam veniat l. 2. ff. de off. Proconſ. & Plinius Cæcilius lib. 7. epiſt. *hic proconſul inquit, prouinciam Bæticam eſt petiturus: ſpero, vt ex itinere deflectat ad te. ſi voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos dimiſiſti.* ex quo loco obiter notandum eſt, manumiſſionem iterari poſſe, vt quæ iuſta & perfecta non erat, qualis eſt, quæ fiebat inter amicos, ſiue per orbem in menſa poſitum, vt eſt in Caii Inſt. Idque ſignificat Tacitus libro 13. Annalium vbi ait, Manumittendi duas ſpecies inſtitutas, vt relinqueretur pœnitẽtiæ, aut nouo beneficio locus. Quos vindicta patronus nõ liberauerit, velut vinculo ſeruitutis attineri. Cur ergo vt manumiſſio, ſic & tutoris datio non poſſit fieri extra territoriũ? Ratio illa eſt, quia tutoris datio non eſt iuriſdictio-

nis

nis tantum voluntariæ, id eſt, quæ inter volentes exerceatur, cum etiam inuitis pupillis, & inuiti ſæpe tutores dentur, & obligatio inter eos mutua conſtituatur. Quorum neutrum in voluntariæ iuriſdictionis cauſſis adcidit. Diximus, tutorẽ neminem à magiſtratu dari poſſe, niſi ei qui dantis iuriſdictioni ſubiectus ſit. d. l. neque à præſide. 5. C. qui tutor. dare. Sed duo hic occurrunt explicatu digna. Primum eſt, quod pugnare hac in re videntur, cum aliæ leges ſupra à nobis allegatæ, tum etiam l. 1. §. 4. ff. de excuſat. tutor. cum l. etiam. ff. de tutel. Nam in dict. l. 1. Modeſtinus ſcribit, ex oratione Diui Marci, ſicut & in aliis legibus ſcriptum eſt, non poſſe dari tutores, niſi qui ex eodem loco ſint. At l. etiam. contra ait: *Etiam non municeps tutor dari poteſt, dummodo municipi detur.* Perperam illi, qui propterea negationem delebant, vt eſſet, *etiam municeps.* Alii dicunt dict. l. etiam. de teſtamentaria tutela adcipiendum eſſe. Nam teſtamento quiuis recte tutor datur, etiamſi non ſit eiuſdẽ ciuitatis. l. quære. ff. de teſt. tut. Teſtator enim nõ iuriſdictionis alicuius ratione, quam nullam habet, tutorem dat, vt recte Dynus ſcribit. Sed quia id ei lege 12. tabul. permiſſum ſit; ſed tamen datus ab eo tutor non ciuis, facile ſe à tutela excuſare poterit. l. teſtamento. C. de excuſat. tut. l. fin. ff. eod. tit. Alii de præſide prouinciæ dict. l. *etiam*, accipiunt. Poteſt enim is tutorem municipi dare non municipem, ſed eiuſdem tamen prouinciæ, in qua ipſe imperium habet. d. l. Diuus. ff. de tut. dat. Sed neutra interpretatio verbis d. l. etiam. conuenit, illis ſcilicet: *Dummodo municipi detur.* quæ verba oſtendunt eam legem loqui de magiſtratu

municipali. Eſt igitur meo iudicio eius legis hic ſẽſus: magiſtratum municipalem dare tutorem poſſe, etiam eum, qui municeps nõ ſit, ſed incola forte vel aduena, vel qui tantũ ex municipio natus ſit, non tamẽ muneris publici particeps ſit, id eſt, non vere municeps l. pupill. ff. de ver. ſig. vt ciuis Ariſtoteli definitur, qui honorũ in ciuitate particeps eſt, quæ eſt optimi ciuis, id eſt, optimæ notæ & conditionis definitio. Nec mirum, incolã dari tutorem poſſe: quia incola municipali iuriſdictioni ſubiectus eſt, & parere magiſtratibus debet, & his, apud quos incola eſt, & illis apud quos ciuis eſt. l. incola. ff. ad munic. Alterum eſt, quod ſeipſum nemo magiſtratus tutorẽ dare poſſit, vti nec iudicem. l. 4. ff. de tutor. dat. l. præſes. 5. ff de off. proconſ. l. vlt. ff. de off. præt. Sed differentia illa eſt, quod hæc, nimirũ manumiſſio, adoptio, emãcipatio ſunt iuriſdictionis volũtariæ l. 2. ff. de off procõſ. in qua nulla verſatur coactio, nulla lis. nec illud obſtat, ꝙ ea ratione fiat, vt magiſtratus duarũ perſonarum vicẽ ſuſtineat: Quod alibi pro abſurdo habetꝰ vt l. ſi plures. ff. de pact. Nã id ſpeciale ius eſt, in iuriſdictione volũtaria, vt bene adnotat gl. ad d. l. p̃ſes. 2. & ratio eſt, quia, vt dixi, nulla hic coactio verſetur, vt poſſit dici, aliquẽ ſibi ipſi imperare, quod nõ magis fieri poteſt, q̃ vel pari, vel ſuperiori imperare. l. ille à quo. §. vlt. ff. ad SC. Treb. At tutoris datio eſt iuriſdictionis quodammodo contentioſę, vt ſupra dictũ. Deinde ſuſpicionis pleniſſimũ hoc eſſet, ſi quis magiſtratus ſeipſum tutorẽ alicui daret. Fraus. n. magna aliqua ſubeſſe putaretur, in ea re vltro adpetenda, quã alii, vt plenã moleſtiæ & periculi refugere ſolẽt. §. vlt. Inſt. de excuſ. tut. Huc pertinet nobilis illa

quæſtio

quæſtio, de qua ſupra propoſui, an videlicet magiſtratus tutorē dare collegam ſuū poſſit? Et videtur omnino poſſe, vt eruditiſſimo Cuiac. placet lib.7. obſ.c.17. his rationibus. I. Quia Duumuir, vel ordo decurionum, vnum ex ſuo corpore, vel Duumuirum alium tutorem dare poteſt l. vbi.ff. de tut.& cur. dat.l.pen.ff.qui pet.tut.II. Quia p̄tor ſiue alius magiſtratus ſeipſum dūtaxat prohibetur tutorem dare l.4.d.tit. At non itidem prohibetur vſpiam dare collegam ſuum. Poſtremo quia tutoris datio nō ſit iuriſdictionis, & per conſequens non ſit hæc res exigenda ad regulas iuriſdictionis, vel eorum quæ ſunt iuriſdictionis l.muto. §.tutoris ff.de tutel. Sed contraria ſententia mihi verior videtur, non poſſe magiſtratum vllum tutorem dare collegam ſuum. Ratio eſt, quia nemo eum tutorē dare poteſt, qui ei parere non cogitur. Fruſtra enim datur qui cogi non poteſt vt tutelam ſuſcipiat. l. vlt.ff.de iuriſdict. Talis eſt aūt collega ſiue par imperio d.l.ille à quo. §.vlt.ad SC. Treb. Intercedere prætor prætori poteſt, non imperare, vt notat Aſconius in 3. Verrin. illo loco, *In quibus ita interceſſit*. At tutores inuiti etiam coguntur eſſe tutores, niſi legitimis de cauſis excuſentur. Inſt. in pr.de excuſ.& ad id cōpelli poſſunt remediis omnibus prætoriis, id eſt, pignoribus, mulcta, prehenſione l. 1. §. quid ergo. ff. de ventr.inſpic. quæ remedia ſunt imperii mixti, ꝙ nemo habet in parē vel in collegā. Pręterea magiſtratus nō pōt apud collegā ſuū manumittere. d. l. apud eū. ff.de manumiſ. in quo idē Cuia. rationē differētiæ reddere conatur d.c. 17. ſed non recte, quia negat tutoris dationem ad iuriſdictionem pertinere, quod ſupra refutatū. Non obſtant illa quæ in con-

trarium obiiciuntur: Nam Duumuir, id eſt, magiſtratus municipalis ideo collegam ſuum dare tutorem poteſt, quia non tam ipſe, quam pręſcs prouinciæ eum dare videtur, vtpote cum magiſtratus municipalis iuſſu præſidis id facere deberet, vt ſupra explicatum. De Magiſtratu municipali d.l.vbi.diſerte loquitur: neque debuit ad omnem magiſtratum trahi, vt factum d. lib. 7. obſ. vel generaliter, quaſi de omni magiſtratu loqueretur, allegari, vt factum ad Nou. 13. Deniq; in Decurionibus multo magis locum habet: cum ſi ex ordine decurionum aliquis detur, non tam vt Decurio à Collegis dari videatur, ſed potius vt ciuis. Non obſtat etiam argumētum ductum ex d.l. 4. non enim recta collectio eſt: magiſtratus prohibetur ſe ipſum dare tutorem. Ergo nō prohibetur dare collegam ſuū. ſicut non ſequitur: Poteſt apud ſeipſum manumittere d.l.2.ff. de offic.præſ.& d. l. apud. de manum. vind. Ergo etiam apud collegam ſuum manumittere poteſt: id enim non poteſt.l. apud eum.ff.de manumiſſ.l.apud filiumf. §.1.ff. de manum. vind. illud idem rectius tract.3. ad Afric. ad l.in priuatis. ff.de iudic. eandem rationem viſam eſſe in iuriſdictione contentioſa & voluntaria Paulo ICto, qui in d. l. apud filiumf. ſcribit filium patri iudicē eſſe, eadem ſcilicet ratione, quia iudicium ſit munus publicum l.in priuatis.& l.quia.ff.de iudic.cui conueniens eſt, quod ſcriptum eſt in d. l.ille à quo. §. vlt.quod filiusf. qui magiſtratum gerit, poteſt patrem cogere & reſtituere hæreditatem, quia ſcilicet in iis rebus, quæ pertinent ad ius publicum, filius non ſequatur ius patriæ poteſtatis.

CAPVT IV.

An tutoris datio mandari poßit.

FACILIS videtur huius rei definitio; eſt enim illa regula Papin. Notiſſima: quæcunq; ſpecialiter lege vel SCto vel conſtitutione principis deferuntur, ea mandari alteri nõ poſſe; l. 1. ff. de off. eius cui, &c. Talis eſt autem ſine dubio tutoris datio l. mutó. §. tutoris. ff. de tutel. Atque ita etiam diſerte adfirmatur in l. nec mandante. ff. de tut. & cur. dat. *Nec mandante præſide tutorẽ alius dare poterit*: quæ verba valde miror, cur Iaſon dicat eſſe ambigua in l. 1. ff. de offic. eius: ait enim poſſe ſic intelligi, etiam ſine mandato præſidis poteſt alius tutorem dare; quæ ſententia licet vera ſit: cum non omnes quibus hæc poteſtas data eſt mãdato præſidis egeant: tamen expoſitio eſt ſuperflua, & non conuenit verbis dict. l. Sed hoc Vlpianus clare vult. Etiamſi præſes mandaret alteri tutoris dationem: non tamen alius tutorem dare poteſt, quam is cui id ſpecialiter & nominatim lege conceſſum eſt, vt idẽ ſcribit in dict. l. muto. §. tutoris. ff. de tutel. Mandare igitur, idem eſt, quod pluribus verbis dicitur, iuriſdictionem ex hac cauſa alteri mandare, vt idem Vlpianus loquitur in l. cum hi. §. 19. ff. de tranſact. Male Hotomannus lib. 2. reſponſ. amic. cap. 1. in fin. dicta verba Vlpiani in l. nec mandante. non de mandata iuriſdictione, ſed mandato aliquo ſpeciali extra iuriſdictionem adcipienda eſſe ſcribit, idque ideo quia alioquin, inquit, dict. l. pugnaret apertiſſime cum illa Diui Marci oratione, qua dandi tutoris, aut ſuſpecti remouendi poteſtas legato data eſt. l. 1. ff. de tut. dat. l. 1. ff. de ſuſpect. tut. quæ ratio quo pertineat non intelligo. Neque enim Vlpianus in d. l. nec mandante. de legato vllo loquitur, immo nec loqui potuit, cũ præ-

ſides non ſoleant habere legatos:ſed proconſules. Dicta autẽ l. diſerte de præſide loquitur. Ante orationem igitur D. Marci non habuit hanc poteſtatẽ legatus, non ſolum iure legationis, vt Hott. contẽdit, ſed nec ex mandata quidem ſibi iuriſdictione. Neq; enim tutoris datio vel iuriſdictio ex hac cauſa mandari poteſt iuxta definitionem l. 1. de offic. eius. Et Vlpiani ſententiam in d. l. muto, §. tutoris. Nunc quædam difficultates amoliendæ ſunt. Prima eſt, quod ſcriptum eſt in l. legati. ff. de offic. pro conſ. Legatos nullam omnino iuriſdictionem habere, priuſquam proconſul eis iuriſdictionẽ mandauerit. Ergo ſi legatus habet ius dandi tutoris, vt omnino habet, id ex eo eſt, quia mandata ſit ei iuriſdictio. Facilis reſponſio eſt. Legatus non poteſt hoc ius dandi tutoris exercere, priuſquam ei à proconſule generalis mandata ſit iuriſdictio; vt nec aliud ius; ſed non propterea tutorem dare poteſt, quod ei mandata ſit iuriſdictio, ſed quia hoc ei ſpecialiter oratio D. Marci conceſſit. Secundo obiici poteſt, quod magiſtratus municipalis ex mandato prætoris vel præſidis habet ius mittẽdi in poſſeſſionẽ ex cauſa damni infecti l. 1. l. 4. §. duas. ff. de dam. infect. cum id tamen ſit proprium imperii magis, quam iuriſdictionis, qualia non competunt magiſtratui municipali. l. 4. ff de iuriſdict. l. ea quæ. D. ad municip. Reſpondeo tutoris datio lege conceſſa eſt magiſtratibus municipalibus, ſed cum iuſſu præſidis, vt ſupra dictum, qui tamen iuſſus non facit, vt mandatam iuriſdictionem & alienam illi habeant. Habent enim ſuã, & à lege conceſſam. Magiſtratus etiam municipalis in cauſa damni infecti illud ius habet ſpeciali ratione relata in d. l. 1. &

magis

magis ex edicto prætoris, quam ex mãdato, vt lib. 2. oſtendam. Inter quæ multum intereſt, vtrum quis ſcilicet exerceat aliqua in re iuriſdictionem propriam & ordinariam, an vero mandatam. Immo huius rei error vitiare totũ proceſſum ſolet, vt pulchre explicat doctiſſ. Zaſius ad l. ſi per errorem. in fin. ff. de iuriſd. vbi hoc addit. Hac in re ſe primo anno ſui Doctoratus errauiſſe: generoſa cõfeſſione, vt ſolẽt ſummi viri, velut Hippocrates, & alii teſte Corn. Celſo Medico. Ex hoc facile iam reſponderi poteſt etiam ad Alexandri Immol. ſententiam q in l. 1. ff. de off. eius. & l. 2. ff. de iuriſd. ſcribit delegatum inferioris magiſtratus poſſe tutorẽ dare cum authoritate Antiſtitis (id eſt Epiſcopi) §. pen. inſt. de Attil. tut. id enim falſiſſimũ eſt, nec d. §. loquitur de vllo delegato iudice, cui ſcilicet delegata vel mãdata ſit iuriſdictio, ſed de magiſtratu municipali, cui id ſpecialiter & nominatim cõceſſum eſt, vt tutorẽ dare poſſit. Nõ etiam obſtat, quod iuſſus præſidis requiritur. Nam aliud eſt iuſſus præſidis, aliud lõge mandatũ præſidis: Nã mandatũ, id eſt, vt Dd. vocant, delegatio ſignificat eum, cui quid mandatur, id antea nõ habuiſſe. At iuſſus in eam rẽ interponitur, vt is qui alias ſuo iure habet iuriſdictionẽ, vt magiſtratus ius dandi tutoris à lege conceſſum habet, eã iuriſdictionẽ exerceat, vt ex Accurſio & Bartolo rectiſſime docet Iaſ. ad d. l. 1. ff. de off. eius. Atq; ita etiam Cuia. lib. 15. obſ. c. 19. in hac eadẽ quæſtione iuſſum ſeparat à mãndata rectiſſime: quãuis Accurſium vel alium neminem nominet. Scribit autem aduerſus Robert. Aurelian. qui certe quædã de hac re ſcripſit perabſurde, veluti illud, legatum ius dandi tutoris habere ex vi man-

datæ ſibi à proconſule iuriſdictionis. Habet enim vtique ex oratione ſiue conſtitutione D. Marci d. l. 1. §. 1. ff. de tut. dat.

CAPVT V.

De ſuſpecto tutore remouendo.

VT de tutore dando, ſic & de ſuſpecto remouendo duplex eſt quæſtio. Vna cui hæc poteſtas data ſit. Altera, an mandari alteri poſſit. Igitur ius remouendi ſuſpectos tutores olim Romæ prætoribus, in prouinciis præſidibus earum datum eſſe, Vlp. ſcribit l. 1. §. 2. ff. de ſuſpect. tut. & Iuſtin. Inſtit. eod. tit. Ex quo adparet, certis & maioribus magiſtratibus huius rei cognitionẽ eſſe tributam, nec tamẽ propterea exiſtimari debet, ſpecialiter & nominatim iis lege vel SCto vel conſtitutione principis delatam eſſe, vt Goueanus putat. Id enim nunquam relatũ eſt, & refellitur ſatis ex eo, quod mandari hæc cognitio poteſt, vt infra docebo. Sed moribus id receptum fuit, vt prætores ſoli cognoſcerent, vel præſides, quod ſignificare Vlp. videtur in d. §. 2. cũ ait: *Damus autẽ ius remouendi tutores* & merito maioribus magiſtratibus id tributũ eſt, propter vtilitatem ſcilicet & fauorem publicũ pupillorum, & huius iudicii grauitatem. Eſt enim famoſum. l. 3. in fin. ff. eod. tit. Cuiuſmodi iudicia adpellantur, quaſi capitis iudicia à Cic. in orat. pro P. Quintio. Illud quæri video, an ſit etiam publicum iudicium. Eſt quidẽ de re priuata & familiari, pupillorũ, qualia eſſe publica iudicia non ſolent, in quibus agitur ad vindictam & vtilitatẽ Reip. l. locatio. §. illicitæ. ff. de publ. & vect. Sed & circumſcriptio adoleſcẽtium

tium, id eſt minorum 25.annis eſt de re priuata, & tamen eius rei publicum iudicium eſt lege Lætoria conſtitutum,cui legi comparat Cicero lib.3. de off. hanc Legem 12. tabul. qua hæc actio ſuſpecti tutoris introducta eſt; & prætori ſpecialiter eam cognitionem lex Lætoria mandauit, quod coniicere licet etiam ex eo, quod Suetonius Trãquillus in libro quarto prætorum de ea tractauerit: hoc enim ex eo fragmentum adfert Priſcianus lib. 8. *Lætoria, quæ vetat minorem 25.annis ſtipulari*, ἐπερωτᾶσθαι. Et hoc igitur prætor ex ea lege in ſuũ edictũ, de Minor.(in quo eſt Animaduertam)tranſtuliſſe videtur.Bartolus in l.1.§.ſuſpecti,ff.ad SC. Turpil. negat eſſe publicum iudicium, vt in l. 1. ff. de pub. iud.idque duplici argumento:&quod deſiſtens ab accuſatione ſuſpecti, dicitur non incidere in SC. Turpill.d.§.ſuſpecti.& quod in hac ſuſpecti accuſatione poteſt interuenire procurator l. nõ ſolum in fi.ff.de procurat. quorum vtrumque abhorret à natura iudicii publici d. l. 1. & paſſim ad SC. Turpil.l.pen.§.ad crimen.ff.de publ.iud.Addit &illam rationem, quod nulla in l. reperiatur, eſſe publicũ iudicium, item quod nõ enumeretur inter publica iudicia à ICto in l.1.ff.de publ.iud. Ergo non eſt publicũ, ſicut in actionibus ciuilibus ſolemus argumentari: Hæc vel illa nõ eſt enumerata à Iuſtin. in §.actionum.Inſtit. de action. Ergo non eſt actio bonæ fidei. Neq; obſtat,quod in Inſtit.de ſuſpect. tut.& in l.1.§.conſequens.ff.eo. dicitur, eſſe quaſi publicam hanc adcuſationem; Eſt enim non vere ſed quaſi publica,nimirum ob id tãtum,quod cuiuis de populo pateat. At publicũ proprie dicitur, quod principaliter ad vindictam publicã pertinet:

quale non eſt de quo loquimur, ſuſpecti: imo nec adcuſatio iſta criminalis proprie dici poteſt, licet de crimine ſit; quare nec ſubſcriptio adcuſatoris in libello requiritur, ſed eſt quædam actio, quaſi mixta inter ciuilem & criminalem, vt loquitur Alexander Pontifex in c. tuæ. in fin. ext. de procur. Quod Vlpian. & Iuſtin. dictis locis appellant, quaſi publicam. Interdum autem hæc de ſuſpectis cognitio non ad prætorem, id eſt, ad iudicem ciuilium, ſed ad præfectum vrbi, id eſt, ad criminalium cauſſarum pertinet, ſiue remittitur. *Solent*, inquit Vlpian. *ad præfectum vrbi remitti etiam tutores vel curatores, qui male in tutela ſiue cura verſati grauiori animaduerſione indigent, quam vt ſufficiat eis ſuſpectorum infamia.* l. 1. §. ſolent. ff. de præf. vrb. l. in eos 9. ff. de tutel. l. 1. in fin. cum l. ſeq. ff. de ſuſp. tut. Id igitur cum accidit, non male dicitur iudicium hoc eſſe proprie criminale & per conſequens pertinere ad merum imperium, quod eſt penes ſolum præfectum vrbi dict. leg. 1. ff. de off. præf. vrbi. Nam prætores quidem non modo capitalem pœnam in edictis ſuis nunquam ſanxerunt (quod etiam Baldus in l. programmata. C. comminatio. vel epiſt. &c. obſeruauit) ſed neque vllam aliam, præter pecuniariam, quamuis de crimine vel maleficio aliquo edicant, puta, furti, vel iniuriarum §. pœnæ autem. Inſtit. de iniur. & pulchre Theophil. in tit. Inſtit. de publ. iudic. exponit. Ex quo adparet, pœnam eſſe corporalem, vel aliam ſimilem, quæ infligi à præfecto vrbi tutori ſuſpecto debeat, extra ordinem, puta vinculorum. l. tutor 3. §. qui pecuniam. ff. de ſuſpect. tut. vbi ex illis verbis iubentur publicis vinculis contineri:

neri: nimis frigide quidam pro certo colligunt id lege 12. cautum fuiſſe: quam noluit Vlpianus ad honeſtioris loci tutores porrigere. Certius id probari dixiſſent ex l. vlt. C. arb. tut. illis verbis: *Quod ſi inuentarium facere neglexerint, & quaſi ſuſpecti ab officio remouebuntur, & pœnis legitimis, quæ contra eos interminata ſunt, ſubiacebunt, & poſtea perpetua macula infamia notabuntur.* Sed legitimas pœnas malim hic intelligere actionem l. 12. tabul. de ration. diſtrah. Item furti, quæ ſunt pecuniariæ pœnæ, & à prætore infligi poſſunt. Illud nouum eſt, quod Iuſtinianus ſubiungit; *Vt neque ab imperiali beneficio abſolutione huius notæ frui poſſint.* Neque enim ſolent Impp. ita ſibi, & indulgentiæ ſuæ præſcribere. forte nec poſſunt, ſucceſſoribus præſertim. Sed enixe tamen voluntatis iudicium inde capitur, qua ratione Imper. Tiberius, vt eſt in epiſt. Xiphilini, cum edicto vetuiſſet ſibi ſtatuas poni: addidit præſcriptionem illis verbis: *Niſi ego permittam. atqui non permittam.* ſed ſuſpecti crimini propoſitam nullam alliam eſſe arbitror, quam remotionem ſiue interdictionem adminiſtrationis cum infamia coniunctam. Quare non ſemper verum eſt, quod Bartolus alicubi adfirmat, remotionem ab officio non eſſe pœnã; eſt enim certe pœna, & cũ pœna coniungitur in l. teſtamento centurio. §. 1. ff. de manu. teſta. in illis verbis: *Quos pœna coercuit vel ab honore adminiſtrandi, vel à rei adminiſtrandæ negocio remouit*; Ait, ab honore adminiſtrandi, ex quo intelligimus omnem fere remotionem adferre aliquam ignominiam, vel ruborem remoto, quamuis honeſta ſpecie vel honeſto vocabulo fiat; vt illa fuit Au-

guſti & Claudii ratio, qua ſenatores de ſe iudicium facere coegit. de qua Dio, Tacitus, Suetonius, alii: cui ſimilis illa in Repub. olim. Florentina, vbi qui in Senatu eſſe, quiue magiſtratum & honores petere prohibebantur, *Admoniti* adpellabãtur, quod prius admonerentur, vt ſe ab vtroque abſtinerent, teſte Marchiau. lib. 3. Hiſtor. Flor. ſicut olim Romæ Senatores *Præteriti*, id eſt, neglecti à Cenſoribus (teſte Feſto) quod etiam ignominioſum erat. Sic in militia dimiſſio nõ omnis fuit ignominioſa, ſed cui addebatur in formula, *Ignominia cauſa*, vel aliis verbis ignominia notabatur: quale eſt verbũ, *remouendi*, item ſi cauſa delicti exprimebatur, vt apud Hircium de bello Africano, vel vt in hiſtoriis Saluſtii, *Cotta concione cogit Appium ab Exercitu diſcedere, dicens, ſe eius opera non vſurum*, vt refert Seruius in lib. 12. Æneid. Similiter Cæſarianis illis formulis. Quod & in propoſito noſtro locum habet, cum enim remoueri ſuſpectus tutor poſſit ob varias cauſas extra dolum, puta ignauiam, negligentiam & ſimiles l. 3. §. fi. de ſuſpect. tut. quæ cauſæ famoſum non faciunt; ideo in decreto remotionis exprimi cauſa debet? nulla expreſſa integræ famæ erit l. 4. eod. Altera quæſtio erat, an cognitio de ſuſpectis tutoribus mandari poſſit, vel an mandata generali iuriſdictione, puta, Legato à Proconſule ſuo, tranſeat. Proconſulem hodie Rectorem prouinciæ vel præſidem vſurpamus, inquit, Zaſius ad l. more. ff. de iuriſd. Et videtur inter ſe diſſidere ICti & ab his rurſum Imp. Iuſtin. in d. t. Inſt. de ſuſpect. tut. vbi ſcribit ius remouendi tutores datam eſſe Romæ prætori, in prouincia præſidi: & legato Proconſulis: quibus verbis ſignificare videtur, eodem

dem modo id legato proconſulis competere, quo competit prætori vel præſidi. His autem hæc iuriſdictio competit, vt ſua & propria. Ergo & legato proconſulis, vt ſua. Incõgruens enim videtur, vt in ſimili loquitur. Modeſtinus, vt commune verbũ, competit, aliter in legato, aliter in aliis intelligantur. l. iam hoc §. 2. ff. de vulg. & pup. ſubſt. Sed contra. Vlp. & Macer. diſerte ſcribunt, hanc poteſtatẽ de ſuſpectis cognoſcendi legatos habere ex mandata ſibi iuriſdictione, non à lege, vel iure proprio l. 1. §. damus. ff. de ſuſpect. l. cognitio pen. ff. de offi. eius. Sed ab his omnibus rurſum diſſentit Martianus l. 1. §. ſuſpecti. ff. ad SCtum Turpil. ait enim, *ſuſpecti tutoris adcuſatio pro tribunali tantum examinari poteſt, & nullus alius de huiuſmodi quæſtione, quam præſes pronunciare poteſt.* Sed quod ad Iuſtin. attinet, cum recitet ipſiſſima Vlpiani verba, nõ eſt verſimile ab eo diſſenſiſſe. Sed quod prolixius Vlpianus de legato ſcripſerat, Iuſtinianus vno verbo in Inſtit. attigit. Quod autem ad ICtos attinet, quomodo concilianda ſit d. l. 1. §. ſuſpecti, cùm aliis duabus ſupra adlegatis legibus, ſcio varias ſolutiones adferri, ſed duæ inprimis mihi placent, vna eſt Antonii Goueani, qui ſcribit, ſiquidem in d. §. ſuſpecti nomen præſidis preprie & ſtricte, id eſt, pro eo, qui proconſul non eſt, accipiamus, recte dici ſolum eum in prouincia ſua id facere poſſe. quia præſides prouincię non habẽt legatos, ſed ipſimet ſunt & adpellantur Legati Cæſaris, de quo tamen in fi. lib. 11. Quod ſi præſidis nomine, vt eſt generale l. 1. ff. de off. præſid. accipimus etiam proconſulem, & hoc modo recte dicitur, ſolum proconſulem de ſuſpecto tutore pronunciare poſſe; quamuis etiam

legatus eius idem poſſit, quia legatus vice & partibus proconſulis fungitur. Neque obſtat quod & Hottom. & Pet. Faber ſcripſerunt, hoc ius legato datum eſſe lege, id eſt, conſtitutione D. Seueri & Antonini, quæ refertur in d. l. cognitio, & in d. l. 1. §. damus. Id enim verũ non eſt: ſed cum dubitaretur (vt expreſſe in d. §. damus, ſcriptum eſt) an mandari ea cognitio poſſit, vel potius an mandata generali iuriſdictione tranſeat, hæc dubitatio illa conſtitutione ſiue reſcripto ſublata eſt. Dubitandi autem ratio fuit, quod maiores iudices, & eos ipſos, quib. id datũ erat, duntaxat admittere tãti momẽti cauſa videretur, ſicut de popularib. iudiciis ſcriptũ in l. non diſtinguemus. §. Iul. ff. de recep. q arb. recep. Nõ autem illa quam Hott. in Inſt. ex perſona legati comminiſcitur. Nam quod de legato procõſulis dictum eſt, idem & ad alios omnes pertinet, quib. maior alius magiſtratus, puta, prætor iuriſdictionẽ ſuam mandauit. *Ergo*, inquit Vlpianus, *& ſi prætor mandet iuriſdictionem, ſimili modo dicendum eſt, ſuſpectum poſſe apud eum poſtulari, cui mandata eſt: Cum enim ſit in prouincia hoc reſcriptum, conſequens erit dicere & eum, cui à prætore mandata eſt iuriſdictio, poſſe de ſuſpecto cognoſcere* d. §. damus. Quod notãdum eſt, ius prouinciæ etiã ad vrbẽ porrigi, quod & Cuiacium memini ex hoc loco annotaſſe in l. cũ hi. §. tranſactiones. ff. de tranſact. Altera eſt ſolutio veterum quorũdam, quos & Hottomannus tacite in d. t. Inſt. ſequitur, vt nimirũ ſolus præſes ꝓnunciare, id eſt, ſententiam diffinitiuam proferre poſſit de ſuſpecto tutore: Legatus autẽ vel alius, cui mandata eſt iuriſdictio, nõ poſſit de eo pronũciare, ſed duntaxat cognoſcere. Ita accipiendã eſſe d. l. cognitio.

tio. Quo etiã pertinet nobilis Bartoli diſtinctio in d. l. 1. §. ſuſpectum. ad Turpil. duplicem ad finem fieri poſſe ſuſpecti adcuſationem: vel ad remouẽdum, vel ad puniendũ. Si ad puniendũ grauius, nõ poſſe ait de eo alium cognoſcere, quã præſidem vel præfectum vrbi. Male addit, prætorem, vt ſupra demonſtraui l. 1. §. interdum. ff. de off. præf. vrb. l. 1. in fi. & l. ſeq. ff de ſuſp. tut. Legatum autem ꝓconſulis, vel alium cui mãdata ſit iuriſdictio cognoſcere hic non poſſe, nedum pronunciare; quia ſcilicet, in ciuilibus tantum cauſis iuriſdictio mandetur. Sin aũt ad remouendũ dũtaxat accuſatio fiat, poſſe delegari eam cauſſam, dũtaxat, quoad cognitionem. Cæterũ remotionem duplicẽ hic eſſe: aliam, q̃ à lege, & ipſo iure fiat. l. quod ſi forte. §. 1. ff. de ſolutionib. Et hãc remotionẽ poſſe à iudice etiã delegato declarari, quia ipſa lex remouet eũ, non iudex. Aliã vero fieri p ſententiã, & hanc fieri à delegato iudice non poſſe, niſi ſit delegatus ꝓconſulis vel prætoris, vt d. l. 1. §. damus. Ex qua Bartoli diſtinctione illud conſequitur, excepto legato, nõ poſſe alii cauſſam ſuſpecti tutoris mandari, niſi ꝙ ad ſolã & nudã cognitionẽ, ita vt ſententia & ꝓnunciatio, qua tutor remouetur vel abſoluitur, ipſi magiſtratui, q eã cognitionem mandauit, reſeruetur. Sicut dicimus de cauſſis omnibus meri imperii l. ſolent. ff. de off. ꝓconſ. Quod mihi ꝑfecto veriſimile nõ ſit, quia generaliter ſcriptũ eſt, mandata iuriſdictione & hanc cognitionẽ ſuſpecti trãſire, ſicut totũ officiũ iuriſdicũdi trãſit d. l. cognitio & d. l. 1. §. damus. At in iuriſdict. nõ ſola & nuda cognitio ſed & poteſtas ſententiæ ferẽdæ, immo & exequẽdæ continetũ. l. vlt. C. vbi & ap. quẽ in int. poſt. Itẽ, q a nõ ad ſolos legatos

vt ille exiſtimat, hoc pertinet, ſed generaliter ad omnes, quibus à magiſtratu iuriſdictio mandata ſit, vt nominatim in fin. d. §. damus. ſcriptum eſt; nec moueri debemus, quod vtroque in loco cognitionis, & cognoſcendi vocabula vſurpētur. Nam hoc vocabulo etiam poteſtas pronunciandi continetur, præſertim in eo, cui mandata eſt iuriſdictio, vt ſequenti libro dicam. Et alioqui, ſi hoc argumentū valeret, dicere debemus, nec ipſam quidem cognitionem, legato competere, quia quæritur de eo, an poſtulari, id eſt adcuſari apud eū, tutores ſuſpecti poſſint? Et ſcriptum eſt poſſe d. §. damus. Non propterea tamen colligere debemus, non poſſe eundem cognoſcere, & examinare cauſſam ſuſpecti, vt imperite ad l. nemo 70. P. Faber ſcribit, & l. 53. ff. de R. I. male adcepta l. 1. §. ſuſpecti. ff. ad SC. Turpil. vt expoſui. & d. l. cognitio & d. §. damus. Nam vbi cognitio nominatur; niſi aliud adiiciatur, ſemper intelligitur perfecta, plena & iuſta cognitio, qualis plena inquiſitio in l. iudices. C. de iudiciis. ab Imp. dicitur, & plena iuſtitia à Pontifice in c. generaliter. extra eod. tit. Sed Iuſtin. Imp. omnem hanc litem dirimit in §. 1. Inſt. de ſuſpect. tut. vbi clare dicit, ius remouendi tutoris competere legato. Ergo eſt plena cognitio. Nec obſtat, quod Theophilus Paraphraſtes eo loco vertit Gręce κατηγορȣ̃νται, id eſt, poſtulantur, ſiue adcuſantur. Nam vel ex hoc ipſo ſatis liquido oſtenditur, apud quem quis adcuſari poteſt, ab eodem poſſe dāmnari vel liberari. Quare Vlpian. in l. ſolent. de off. proconſ. negat, liberandi reos rerū capitalium ius ad legatum transferri poſſe, ea addita ratione: quia, inquit, adcuſari apud eum non poſſunt. Concludendum eſt igitur

ſuſpecti

ſuſpecti tutoris cauſſam mandari poſſe, & mandata generali iuriſdictione tranſire, neque id vel ad legatum reſtringendum eſt, cùm ad omnes pertineat, quibus eſt à magiſtratu mandata iuriſdictio: neque ad ſolam adcuſationem vel cognitionem cum & pronunciare is poſſit; imo quod plus eſt, exequi, quod pronunciauit. Id enim Iuſtinianus ſcribit in d.§.1.Inſt.de ſuſpecto tutore. Atque hæc mens eſt, non ſolum Iuſtiniani, quod ſatis nobis eſſe debet: Sed etiam Vlpiani & aliorum Iuriſconſultorum, idque etiam ſuadet illa ratio, quam huius rei adferunt, nimirùm pupillorum vtilitas d.l. cognitio, quæ vtilitas in eo verſatur, vt celerius tutoris ſuſpecti cognitio expediatur, ne vel in bona pupilli ſi verè ſuſpect⁹ eſt, diutius graſſetur, vel adminiſtratio pupillarium bonorum diu iaceat, etiãſi innocẽs ſit l.quòd ſi fort e.ff.de ſolutionib. Quæ celeritas vel vtilitas impediretur, ſi apud legatũ vel eum, cui mandata iuriſdictio eſt, duntaxat poſtulare tutor poſſet, deinde ad proconſulem vel prætorem eundum eſſet, qui plenius cognoſceret, & pronunciaret. Ita igitur intelligẽda ſunt illa verba Macri in d.l.cognitio. *Immo*, inquit, *ex mandata generali iuriſdictione, quod & verbis ipſius reſcripti innuitur*, illis ſcilicet, *cùm propriam iuriſdictionem tuis legatis dederis*; quaſi dicat, eum, cui mandata eſt iuriſdictio, illum ipſum videri eſſe, qui eam mandauit, vt in ſimili loquitur Iuſtin.in d.l.vlt.C.vbi & apud quem.

CAPVT VI.

De ſuſpecto hærede.

HÆc de ſuſpecto tutore, cui ſimilimus eſt ſuſpectus hæres: nam & poſtulari poſſe dicitur,

& crimen ei obiici,& remoueri, & vetari minuere res hæreditarias l.ſi creditores. ff.de reb.autor.iud. poſſid. Nec ratio remouendi ſemper diſſimilis. Dicitur quidē ab Vlp.lib.11. de omnib.tribunalib.(in quo de iuriſd. & off.magiſtr.egit) *ſuſpectus hæres non iiſdem modis, quibus tutor æſtimari;ſiquidem tutorem nō facultates, ſed fraudulente in reb. pupillaribus, ſed callida conuerſatio ſuſpectum commendet: hæredem vero ſolæ facultates.* d. l.ſi creditores. idem tamen Vlp. hoc deinde temperat in §.plane.4. ſi nihil ei, id eſt, hæredi præter paupertatē obiiciatur contentum eſſe prætorem debere, vt iubeat eum nihil minuere. Non igitur hoc caſu remouebit, vel ſatiſdare iubebit creditorib.pro ſuo debito reddēdo, vt loquitur in pr.d l. Alter caſus eſt, quo ſatiſdatio remittitur, & fruſtra ſuſpectus hæres poſtulatur, nimirum ſi creditores nō in recenti aditæ hæreditatis eum poſtulauerint, ſed paſſi ſint, cū in hæreditate morari, nec quicquā obiicere ei criminis admiſſi vel doli poſſit. d.l.5. §.recenti. Quæ aūt ſit ratio differentiæ, ꝙ regulariter ſola inopia ſuſpectū hæredē faciat, tutorem ſoli mores, nō facultates: non eſt illa, quam Theodor. Gręcus interpres attulit,& quę tātopere viro doctiſſ.placuit lib.18. obſ.c.39. ꝙ ſcilicet tutor ſuſpectus factus & remouetur à tutela, & infamia adficitur, ꝙ vtrumq; ei adcidere propter malā fortunā, qua ad inopiā decidit, ſine vllo eius peccato, iniuſtū ſit. Hæres autem, quia neq; à hæreditate remoueatur, neque infamia notetur, veriſimiliter ac merito iudicatur ſuſpectus ex egeſtate, ab eoq; ſatis petitur, ne aliena bona diminuat. Inepta omnino ratio. Nā vt tutor ſuſpectus remouetur à tutela, ſic hæres ſuſpectus ab hæreditate. Quid eſt enim aliud

aliud, quod Vlp. ait in §. quod ſi d.l. ſi creditores. ſi quaſi ſuſpectus ſatiſdare iuſſus decreto prætoris, non obtēperauerit tunc bona hæreditatis poſſideri, venumq; dari ex edicto ſuo iubebit? quam eum ἀποκινεῖσθαι ἀπὸ τῆς κληρονομίας, vel vt Cuiac. loquitur, hæreditatē ei auferri? De infamia vero falſum eſt, quod idem Theodorus ait in tutore: ὁ καὶ τοῦτο ἄλλως συγκρίνεται ὕποπτος, εἰ μὴ ἐστὶ δωλερώς: Et paulo antea ſimpliciter, & generaliter remoueri tutorē cū infamia, non.n. ſemper infamia notatus, ſed ita demum, ſi ob dolum remotus ſit. Inſtit. de ſuſp. tut. Neque igitur verum eſt, iudicari eum ſuſpectum non aliter, quam ob dolum, id eſt, ſi fraudulenta & callida eum in rebus pupillaribus conuerſatio commendet, vt loquitur Vlp. id eſt, turpem, ſuſpectum, & quaſi mendoſum arguat. Videtur enim Vlp. à mendo deducere, & id putare in ipſo verbo, commendare, ineſſe, (vel vt eius ſolemnis mos loquēdi fuit) iacere, κεῖσθαι, & ſane cōmendare τῶν μέσων ἐστὶ, & tam in malam, quam in bonam partē accipitur, vt & ipſa laus, ipſe honor, quod A. Gell. docet lib. 11. c. 9. Imo & propter ignauiā, ſegnitiē, ruſticitatem, inertiam, ſimplicitatē, inopiā (his.n. vocabulis ll. vtuntur) quis remouetur à tutela. l. 3 §. fi. l. 4 §. fi. ff. de ſuſp. tut. Quare Cuiac. quaſi emendās dictū Theodori ait, ꝙ ſuſpectus tutor plerunq; remoueatur notata fide & exiſtimatione. arg. l. ſi. tut. ff. de ſuſp. tut. vt dem, plerūque: non ſemper igitur, nec paſſim; & cū nō ob dolū & fraudē remouetur, nō erit famoſus d. ll. & l. 7. §. 2. eo. Ergo rationē illā veriſſimā puto, ꝙ tutor loco parētis pupilio detur, & optime de eius fide ac charitate iudicetur ſiue à patre, ſiue à lege, ſiue à prætore datus ſit. Nō mirū igitur,

ſi ſola honeſtas morum ſpectetur. Tale quid de hę redibus & creditoribus hæreditariis dici non poteſt. Sola inter eos pecuniæ obligatio eſt, & ea quidem non iudicio & ſponte contracta, vt inter ſocios (quod iudicium etiam famoſum eſt, vt tutelę) ſed fortuita ex eo tantum nata, quod hæres hæreditatem adiuit l. more. ff. de adquir. hæred. Merito igitur ſolæ facultates hic ſpectantur, neq; vltra hæres oneratur, quam vt ſatiſdet. Quod onus præciſe alias etiam ob cauſas iniungi ſolet, puta, fideicommiſſi ſeruandi cauſa & ſimil. vt dixi ſupra hoc libro, & ſatiſdationis recuſatæ, vel non pręſtitæ vnus effectus, vt trāsferatur à recuſante poſſeſſio, vel in bonorum poſſeſſionem aduerſarius mittatur: in hoc caſu quidem noſtro non bonorum hæredis, ſed hæreditatis d. l. creditoris. §. 2. ſed his omiſſis videamus, an, vt tutoris ſuſpecti cognitio mandari poteſt: ſic etiam poſſit hæredis ſuſpecti? Quod licet idem vir doctiſſimus adfirmet, tamen negandum eſt. Primo, quia Vlpianus ait in dict. l. ſi creditores. in princip. ipſum prætorem cognoſcere oportere, an ſatiſdare debeat, qui ſuſpectus poſtulatus eſt. Deinde, quia ratio, qua id in cognitione ſuſpecti tutoris receptum eſt, vtilitas pupillorum fuit, vt diſerte in reſcripto Impp. expreſſum eſt, d. l. cognitio. de offic. eius. Quæ ratio quomodo habere locum in ſuſpecto hærede poſſit, non video. Moueor propterea, quod d. l. ſi creditores. vbi Vlpian. hoc tradit, prætorem ſcilicet cognoſcere oportere, ſumpta ſit ex libro Vlpiani de omnibus tribunalibus, vt ex eo quoq; verſimile ſit ſpecialiter & nominatim hanc cognitionem prætori aliqua lege vel conſtitutione datam eſſe, quod de ſuſpe-

ſuſpecto tutore negauimus. Nec reperitur vllo in loco, poſſe hanc cognitionem mandari ſpecialiter vel generaliter, quorum vtrumq; in d. l. cognitio, reſcriptum eſt in cognitione ſuſpecti tutoris. Poſtremo nemo negabit maius & imperioſius quiddam eſſe hæreditatem auferre, quam tutori tutelam. Nam tutela eſt res aliena, ſunt res & patrimonium pupilli. Hæreditas adita eſt patrimonium hæredis l. ſed etſi plures. §. filio. ff. de vulg. & pup. ſubſt. Quare hæres ſuſpectus poſtulatus liberat ſe, ſi ſatiſdet. Tutor ſatiſdatione non liberatur. d. l. ſi creditores. l. ſuſpectus. 5. & l. ſeq. ff. de ſuſp. tut. Et quod de infamia adferebatur heredem ſuſpectum ſalua exiſtimatione fieri, & hæreditate depelli non video quî poſſit procedere: cum ex edicto bona iubeantur poſſideri ac vendi. d. l. ſi creditores. Quod notam inurere manifeſtum eſt ex orat. pro Quintio & ex l. primo gradu. *ibi: fama defuncti conſeruandæ gratia*. ff. quæ in fraud. credit. & tit. Inſt. cui lib. cau. bona addic. quæ eſt Oratio D. Marci l. vlt. §. 2. C. de teſtam. manumiſſ. ad quam pluribus de hac re diximus.

SCIP. GENTILIS IVRISCONSVLTI

DE IVRISDICTIONE LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Iuriſdictionem iure magiſtratus competere.

Magistratvs iuridicundo, diſceptandiſq; ciuiũ litibus creatos eſſe, nemo eſt, qui non intelligat. Propriane ſit iuriſdictio magiſtrat⁹ ita, vt neque magiſtratus vllus ſine iuriſdictione, neque iuriſdictio ſine magiſtratu ſit, dubitari poteſt. In vtroque enim nobis & rationes, & exempla occurrunt, quibus non eſſe ita propriam iuriſdictionem magiſtratus, vt alterũ ab altero auelli non poſſit, exiſtimemus. Nobis illud primo conſtitutum ſit, magiſtratum carere iuriſdictione non poſſe. Cum ratio id efficit, & cauſa atque origo magiſtratum creandorum, tum aperta Papiniani ratio vincit. Sic enim in l. 1. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd. definit, iuriſdictionem, quam in ciuilibus cauſis, priuatiſq; ponimus, ideo mandari alteri poſſe, quod iure magiſtratus competat; merum imperium, & exercitium publicorum iudiciorum ideo mandari non poſſe, quod non iure magiſtratus competat, ſed ſpecialiter lege vel SC. vel cõſtitutio-

ſtitutione principum tribuatur. eademque ratione vſus eſt Vlp. vbi negat tutoris dationem eſſe iuriſdictionis, quia ſcilicet ſpecialiter ea tribui ſoleat, neque iure magiſtratus habeatur l. muto. §. tutoris. de tutel. Idem clariſſime alibi: *More maiorum*, inquit, *ita comparatum eſt, vt is demum iuriſdictionē mandare poßit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio habet.* l. more. de iuriſd. Iidem autem ſunt ſine dubio magiſtratus, quod de iuriſdictione diximus, idem & de imperio, quod ei cohæret, id eſt, mixto dicendum eſt. Nullus eſt.n. magiſtratus, qui omni prorſus imperio careat, quo iuſſa ſua exequēdo rata efficiat, vt loquitur Salluſt. & ſimiliter Pomp. noſter, *per eos qui iuridicundo præſunt* (magiſtratus ante dixerat) *effectus rei accipitur*, id eſt, iuris executio, quod & ratio ſtatim ſubiecta oſtendit: *Quantum eſt .n. ius in ciuitate eſſe, niſi ſint, qui iura regere poßint.* l. 2. ff. de orig. iur. Iura regere proprie & eleganter de magiſtratibus vſurpat, nec adſentior viro docto reddere rectius exiſtimanti. Guntherus lib. 8. *quib. Eccleſiaſticus ordo imperii leges & publ. iura reguntur.* Et iudicare *κρίνειν*, pro imperare olim veteres Græci dicebant, vt notat. Artemidorus lib. 2. ὀνειροκρ. c. 12. & Hebræi; vnde ita in ſcriptura ſacra à Latinis vertitū Lactant. lib. 4. c. 10. de Iudæis: *Et primo quidem non dominio regum ſubiecti fuerūt: Sed populo & legi ciuiles iudices præſidebant, non tamen in annum conſtituti, ſicut Rom. Conſules, ſed perpetua iuriſdictione ſubnixi. Tū ſublato iudicū nomine, poteſtas regalis inducta eſt.* Nūc quæ cōtra diſputari poſſint videamus. Primū igitur illud occurrit, quod iuriſdictio omnis lege dari, vel deferri magiſtratibus dicatur, vt l. & quia. de iuriſd. Nō igitur ſuo iure & propriam iuriſdictionem magiſtra-

tus habent,ſed à lege. Facilis reſponſio eſt: quod à lege nobis datur,id noſtrum eſt:neque tam iuriſdictionem lex defert, quam magiſtratum, & adminiſtrationem,cui iuriſdictio cohæret, vt eleganter Iuſtin. loquitur in l.vlt.C.vbi & ap.quem in integ. reſt.Nam adminiſtratio & curatio Reip.genus eſt, & omnib. competit, qui munus aliquod in Rep. gerunt,etiamſi nō ſint magiſtratus.Quare M.Tullius in Agrar.& alibi magiſtratus diſtinguit à ſacerdotiis,imperiis,curationibus. Stulte illi interpretes,qui verba Iuſtin.de territorio intelligunt,quaſi dixerit,qui certo territorio,cui adhæret iuriſdictio præpoſiti ſunt, cum aperte adminiſtrationē Reip. ſignificet, quæ cum iuriſdictione coniuncta eſt,licet & alia quædam extra iuriſdictionem magiſtratus iniungantur,vt ſarcta tecta exigere prætori,cuius maxime propria iuriſdictio fuit:adeo vt præturam & iuriſdictionem pro eodē interdum ſumant. Iulius Capitolinus in Gordiano: *Præturam nobilem geſſit : poſt iuriſdictionem conſulatum primum iniit cum Ant. Camillo.* & iuriſdictio ſignate pro prætoris vrbani,vel peregrini magiſtratu,vt Tacitus de Agricola prætore *iuriſdictionem ei non obueniſſe.* Reliquæ obiectiones infra & exponentur & diluentur.

CAPVT II.

Quid ſit magiſtratus.

Magistratvm inter ICtos,imo&inter Philoſophos qui recte definiuerit, neminem eſſe Bodin.adfirmat lib.3.de Rep.c.2.vbi Goueani & Cuiacii nominatim definitiones reprehendit. Neque ego poſt tanta ingenia mihi ſumam, de eo ſtatuere,

ſtatuere, nec operæ precium ſit. Illud ſatis eſt, iuris interpretem docere, ſtudioſum intelligere; in hac noſtra diſciplina Magiſtratum non aliter conſiderari, quam pro eo qui iuridicundo præeſt, ſiue iudicium publicum habet. Et prudentiſſime Ariſtoteles lib. 2. Metaphyſ. non ſolum oportere ſcientiam quærere, ſed & modum ſcientiæ. Aliter enim eadem res in alia atq; alia ſcientia, imo & in eiuſdem ſcientiæ diuerſis partibus cõſiderari ac definiri ſolet. Ariſtoteles in libris de cœlo aliter definiuit elementa, leuitate nimirũ & grauitate, quibus & ſuas ſedes in mũdo occupant, & à ſe mutuo diſtinguuntur: aliter in libris περὶ φυσ. humore ſcilicet, calore, tum ſicco, & frigido, quatenus ad mixtionem pertinent ac coeunt. Sic igitur magiſtratum aliter definiet IC. aliter Politicus. Politices pars eſt iuriſprudentia. Quare magiſtratum definiet Politicus ſcilicet accuratius, & pro amplitudine ſcientiæ ſuæ, Iuriſconſultus itidẽ pro modo diſciplinæ ſuæ. Tria ſunt, quæ idem Ariſtoteles lib. 4. Politicorum magiſtratui, tanquam propria attribuit, imperare, cõſulere, iudicare. Ex his velut partibus Iuriſcõſultus in definiendo magiſtratu, deliget illam vnam, quę ad iudicia pertinet. Sed quia iuriſdictio ſine imperio ridicula & nullius momenti eſt. l. vlt. ff. de offic. eius. c. paſtoralis. ext. de offi. deleg. addet etiam imperium, quod ad iuriſdictionem exequendam ac tuendam neceſſarium eſt. Hinc factum eſt, vt ICti veteris magiſtratus poteſtatem nunc iuriſdictionem, nunc imperium vocent, & pro eodem ſæpe vſurpent. ſicut in l. cum prætor. §. 1. ff. de iudic. Paulus ait, *magiſtratus populi Rom. propter vim imperii iudicem dare poſſe*, quod eſt proprium iuriſdictio-

nis.l.1.l.3.de iuriſd. Quare vt nullus magiſtrat⁹ eſt, qui iuriſdictione omni careat, ſic etiam nullus qui omni imperio, vt bene ſcriptum eſt à doctiſſimo Sigonio lib. 3. de iur. prouinc. quamuis non bene confirmatum. Ioannes vero Bodinus libr.3.de Repub. id reprehendit, & magiſtratus quoſdam ſine iuriſdictione, pleroſque ſine imperio eſſe, probare conatus eſt: item iuriſdictionẽ eſſe ſine magiſtratu poſſe. Tribunos plebis, & cenſores imperium habuiſſe ſine iuriſdictione: contra iuriſdictionem ſine imperio cum alios, tum pontifices. Sed de Tribunis plebis quod ius dixerint decretumq; interpoſuerint, credo Pomp.in l.2.de Orig.iur. Iuſtin.in tit.de Attilia.tut. Ciceroni in Quintiana, Pediano, Dionyſio, aliis. quãuis nec lictores habuerint, nec pro tribunali ſedentes reſponſa dederint, nec prætextam purpura veſtẽ, cæterorum more magiſtratuũ geſtauerint. vt Plutarchus in Romaicis ſcribit. De Cenſoribus idẽ affirmandum, iuriſdictionẽ & cognitionẽ eos habuiſſe in iis rebus, qbus præerat, puta, in locationibus vectigaliũ, locorumq; publicorũ, de quo pleni ſunt veterum libri, itẽ in mores iuriſdictionẽ exercuerũt, & vocationẽ vt maiores magiſtratus habuerũt, Velleius Paterculus, de Cẽſoribus Caſſio & Cæpione lib.1. Lepidũ, Attilium augurẽ, ꝙ ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. Ita enim eſt: Magiſtratus variis & diſtinctis in Repub. muneribus præponũtur: ſed nemo non iuriſdictionẽ aliquam, vel imperiũ aliquod habet, ſaltem quod neceſſariũ eſt ad ea munera tuẽda. In veteri epitome iuris ciuilis: *Erat domus quædam lapidea in publico conſtituta, in qua cum ignis inſurgebat, plebs res ſuas reponebat, quibus repoſitis ſi aliqua contro-*

uerſia

uerſia oriebatur ab Ædilib. iudicabatur. Vnde factum eſt,vt cum ab eodem Pomponio ſinguli magiſtratus ſpecialiter dicantur,alii quidem præeſſe ædib⁹, alio ærario,alii haſtæ,alii frumento: omnes tamen dicantur generaliter præfuiſſe iuriſdictioni. d.l.2. ff.de orig.iur.Sed alii tamen magis,alii minus, oẽs tamen aliquã ex parte. In eaq; parte,quæ aliorum magiſtratuum eſſet, ne prætor quidem cuius ampliſſima fuit iuriſdictio,ſe ſe immiſcebat. Hinc illa præſcriptio in l.2.ff.ſi quis in ius voc. non ier. *Mulcta pro iuriſdictione iudicis damnabitur.* quod in l. vn. ſi quis ius dic. non obtemp. *Secundum ius poteſtatis ſua omnibus magiſtratibus conceſſum eſſe, &c.* id eſt, prætori,vel aliis,qui iuriſdictioni præſunt,vt ait d. l.2.in pr.ſi quis in ius voc. Ceterum de imperio vehementer nobis obſtat,quod Vlpianus ſcribit in l. nec magiſtratibus. ff. de iniur. aduerſus minores magiſtratus iniuriarũ, vel alia actione poſſe agi ẽt magiſtratu durante,eoſq; ſic definit; *Qui ſine imperio aut poteſtate ſunt magiſtratus*,quæ cõtraria videtur eſſe in adiecto,vt Dialectici aiũt: Magiſtratus ſine imperio.nam cum magiſtratus propria ea eſſe Ariſtoteles dicat conſulere de Republ. Iudicare, imperare: hoc poſtremum maxime magiſtratui conuenire ſcribit lib.2.Politic. Nec aliter noſtri, qui poteſtatẽ in magiſtratu nihil aliud ſignificare, quã imperium ſcribunt.l.poteſtatis. ff de cur.bon.dan. Si Vlp.loqui de magiſtratibus municipalib.intelligamus,res eſt expedita: conſtat eos non modo imperio,ſed &iuriſdictione ꝓpemodum carere l.ea q̃ ff.ad municipal.l.vn.ff.ſi quis ius dic.nõ obtẽp.Sed verũ eſt Vlp. de veris & iuſtis magiſtratib⁹, & pop. Romani loqui,quorum alios maiores,alios mino-

res dictos fuiſſe Valer. Meſſala ſcribit apud Gellium lib.13. ſed alia longe ratione ille hoc explicat, quam Vlpianus:qui eos minores vocat, qui imperio carent,maiores qui imperium habent. d.l. nec magiſtratibus,iuncta l.2. ff. de in ius voc. mihi videtur reſpexiſſe Vlpianus ad veterem, &ſui quoq; ſeculi morem, cum magiſtratus ita diſtinguerentur,vt alii vocationem,alii præhenſionem,alii neutrum haberent, cuius rei explicationem ex Varronis malo apud eundem Gellium lib.13.cap.12.verbis, cognoſci, quam à me odioſe hic repeti. Igitur qui vocationem habebāt, vel ſolam prehenſionē, vt tribuni pl. hi ſunt, quos vt maiores magiſtratus imperium habere Vlpian.ſcribit in d.l.2. Ait enim, *qui imperium habent, qui & coercere aliquem poſſunt, & iubere in carcerem duci*, quam ad rem lictores & viatores iis attributi fuerunt. Qui hāc poteſtatem non haberent, eos minores magiſtratus dicit eſſe, quales fuere quæſtores. Ædiles etiam, quos propterea etiam à priuatis in ius vocari potuiſſe durante magiſtratu conſtat ex dicto Gellii libro, & ex l. cumque.13.ff.de peric.& com.re.vend. Dixi etiam à priuatis. Nam de magiſtratibus certa res eſt,minorem à maiori coerceri poſſe, etiamque in carcerem coniici:à Tribuno pl.omnes,etiam Conſules, nec Romæ ſolum,ſed etiam extra, &in prouinciis, vt de P.Scipione legimus,fuiſſe ad eum in Siciliam miſſum Tribunum pl.cum legatis aliis,Ædilemq; pl.ei adiunctum,vt ſi reſtitaret,nec redire Romam manifeſtus criminum obiectorū vellet,iure ſacroſanctæ poteſtatis per Ædilem à Tribuno prehenderetur,& adtraheretur. Nec tamē minores hoſce magiſtratus veriſimile eſt, omni imperio ſpoliatos fuiſ-

fuiſſe:ſed carebant illo præcipuo & proprio magiſtratuũ, quod in vocatione, præhenſione, coercitione carceris & verberũ maxime elucet; alioquin à priuatis nihil omnino deſtitiſſent; quamuis comparati maioribus bene priuati videri & dici poſſint. Ita intelligendum eſt, quod Cicero in Orat. 2. Verrinarum ait. *Erit tum Conſul Hortenſius, cum ſummo imperio & poteſtate: ego autem Aedilis, hoc eſt, paulo amplius quam priuatus.* Dixi verberum: Sic enim interpretari debemus coercitionem in d. l. 2. de in ius voc. & in d. l. 2. §. exactis regibus. ff. de orig iur. Nam de carcere ſeorſim exprimitur. Sed verberationem tamen non atrocem, quæ eſt merum imperium habentis, nec vlli iuri magiſtratus competit, ſed leniorem. l. ſi quid. ff. de off. procõſ. Vnus caſus repetendarum eſt in l. iubemus. C. ad L. Iuliam repetund. Nou. 8. & Nou. 86. §. ſi tamen, quo præſes ꝓuinciæ, durante adminiſtratione accuſari à quocunque poteſt. alius eſt in l. hos accuſare in fin. pr. ff. de accuſat. ſunt & alii forte, de qua re interpretes ad leg. ſenatuſconſultum. ff. de offic. præſid. & in c. eligebatur. ext. de mai. & obed. videndi ſunt.

CAPVT III.

An iuriſdictio extra magiſtratum eſſe poſſit.

LOQVOR nunc de propria, & quam quis iure ſuo habeat, non de aliena & mandata iuriſdictione. Et primum occurrit nobis legatus proconſulis, quem conſtat magiſtratum non eſſe: is tamen habere iuriſdictionem videtur ſuam ac propriam, non ex mandato. Dicitur enim à Papiniano nihil

proprium habere, niſi à proconſule ei mãdata fuerit iuriſdictio.l.Legati.ff.de off.proconſ. Sed propriam habere etiam is dicitur, qui propriam alius habet, ab eo ſibi datam, quod adparet ex l.cognitio.§.1.de offic.eius.vbi in reſcripto Impp. Seueri & Antonini dicitur, *cum propri m iuriſdictionem legatis tuis dederis*.ſed de legato infra pluribus. Dein de obiicitur Procurator Cæſaris, qui cum iuriſdictionem habeat inter fiſcum & priuatos.l.1.C. de iuriſd.cum iud.is tamen non eſt magiſtratus l.non licet.ff.de contrah.empt. eodem modo præfectus vigilum, & præfectus annonæ non ſunt magiſtratus l.2.ff.de orig.iur.habent tamẽ iuriſdictionẽ, & imperium aliquod d.l.2.& tit.de off.præf.vig.l.vlt. §.vlt.ff.ad L.Iul.de anno.ſed quod hos poſteriores attineat, facilis reſponſio eſt, non fuere ſolemnes, stati & legitimi magiſtratus, vt ipſe Cuiacius ad d. l.2.exponit:ſed extraordinarii: & tamen magiſtratus, quamuis à magiſtratibus diſtinguantur, vt in l. obſeruare §.fin.ff.de off.eius.qui Romæ, vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicunt. Eſt autem obſeruãdum in libris iuris ciuilis, magiſtratus ſæpe dici κατ' ἐξοχὴν magiſtratus populi Romani, &eos quidẽ non omnes, ſed vrbanos tantum, neq; hos item omnes, ſed ordinarios & legitimos tantum. De procuratore Cæſaris nihil tale, quale allatum eſt, probat, d.l.licet. & fuiſſe magiſtratus omnino videtur, cum & publicam rerum fiſcalium adminiſtrationem, & in ea iuriſdictionem à Principe habeat interdum etiam præſidis prouincię vice fungatur, vti Pilatus qui & de capitalibus cauſis cognoſcere potuit, qua de re Cuiac.lib.19.obſ.c.13. Poſtremo Iudex à principe ad aliquam cauſam datus

tus obiicitur, qui habet iuriſdictioné, necpropterea magiſtratus eſt, ſed plerumq; priuatus. l.à iudice. C.de pedan.iud.l.vn. C.qui pro ſu. Sed prætorquam hoc ſingulare eſt in eo, cum iudices ab aliis dati, nec iuriſdictionem habeant, ſed notionem tantum l.5.l.à Diuo.ff.de re iudic.perſona hic principis ſpectanda eſt, qui vt ſupra iuriſdictionem, & magiſtratus omnes eſt, ſic & datus à Principe maior eſt in ea cauſſa iudex, quam quiuis magiſtratus leg. minor autem §. penul. ff.de minor. Tribunos quoque plebis, quos iuridicundo præfuiſſe, licet non ſtatim ab initio, cum creati ſunt, manifeſtum eſt, eos tamen magiſtratus fuiſſe. Apud Liuium negati legas, ſed nimirum ab Appio, & inuidioſe, & falſo. vt iam cócludere poſſimus, ex his quæ hoc & ſuperiori capite diſputauimus, eſſe iuriſdictionem maxime propriam magiſtratus, ſic, vt eſſe ſine magiſtratu non poſſe videatur, quæ quidem proprio & ſuo iure habetur. Quo perſpecto definitio eius detur. Magiſtratus eſt, pfectus publice iuriſdicundi muneri. Dixi, præfectum imitatus Ariſtotelem lib.4.Politicor.qui ideo ſibi magiſtratus definitionem difficilem videri ait, quod τῶν ἐπιστατῶν, quibus ciuilis ſocietas eget, magna varietas ſit, vt non obſcure hos publicæ ſocietatis præfectos, tãquam genus conſtituat, cum aliorum, tum magiſtratuũ. Quare cum paulo poſt, ait, *Magiſtratus itaque dicendi ſunt, quibus poteſtas tributa eſt conſultandi, iudicandi, & imperandi*: perfectam tradidit Magiſtratus definitionem, ſi priora verba illa, vti oportet, adſumãtur, vt ſit, Magiſtratus ſunt præfecti publicæ ſocietatis. Quod ſi perpendiſſet vir doctus, non tam calide in illam Ariſtotelis definitioné incurſaſſet, vi-

ri cum omnis doctrina, tum in primis definiendi artis peritiſſimi, omniumque principis.

Caput IV.

Officium Magiſtratus, ius dicentis, iuriſdicundi, iudicis.

Extant tituli in Digeſtis, & in Codice plurimi de officiis variorum magiſtratuum, atq; iudicum. Sed officia magiſtratuum quæ ſint in toga & pace, explicant: neque ea omnia, ſed fere quæ iuriſdictionem attingunt, etiamſi de officio magiſtratus militum, & ſimiles alii in Codice multi leguntur. Res militaris non pertinet ad magiſtratum, quatenus magiſtratus eſt, ſed qua dux vel Imperator. Nec quiſquam ob rei militaris adminiſtrationem eſt vnquam magiſtratus adpellatus, puta Dictator, Conſul, Prætor. Quare Liuius libro 38. vbi de Scipione loquitur, cui bellum in Hiſpania cum Proconſulis imperio mandatum erat, ſic ait: *Tentatam ab eo magis triumphi ſpem, quam pertinaciter petitam: quia neminem ad eum diem, qui ſine magiſtratu rem geſſiſſet, triumphaſſe conſtabat.* Quod clarius lib. 41. de Lentulo extulit, non aliam ob cauſſam à ſenatu denegatum ei triumphum, quam quia exempla à maioribus non accepiſſent, *vt, qui, neque Dictator, neque Conſul, neque Prætor res geſſiſſet, triumpharet: Proconſulem illum Hiſpaniam prouinciam, non Conſulem aut Prætorem obtinuiſſe.* Duces igitur belli ipſi per ſe non ſunt magiſtratus, quamuis ſic forte interdum adpellentur. Itemque Iudices poſteriori æuo. Marcellinus lib. 16. inter ordinarios, inquit, iudices Rufinus primus præfectus prætorio: inter milita-

militares, Equitum magiſter Arbetio, præpoſituſque cubiculi. Sed hoc, vt dixi, poſteriori æuo, cum militum & militiæ nomina etiam aulicis officiis concederentur, iique iudices militares dicerentur qui ius in milites haberent, vel ius in eos, quamuis extra caſtra, & de rebus ciuilibus dicerent. In Caſtris autem, vnde Caſtrenſis iuriſdictio apud Tacitum, vere & proprie iudices militum dicuntur, cum imperator ipſe, tum alii, in primis autem Tribuni, vt ex libro ſexto Polybii cognoſcitur. Sed ea cognitio in maleficiis potius, quam in cauſſis ciuilibus conſumitur: neque difficilis aut varia eſt, ſed ſimplex & obtuſior, vt idem Tacitus loquitur. Quare quod C. Cæſar Ciceroni gratias agens, quod Trebatium IC. admiſiſſet, ait, *in tanta ſuorum militum multitudine neminem antea fuiſſe, qui vadimonium concipere poſſet*, iocus eſt hominis vrbani: neq; enim in caſtris Trebatii operam deſideratam vllam puto, ſed in conuentibus Galliæ, quos hyberno fere tempore Cæſar agebat, omniſque generis cauſſas diſceptabat, & iudicabat: in caſtris raro. quo pertinet narratio illa Gellii lib. 7. cap. 1. de P. Scipione Africano: *Quodam die*, inquit, *ius in caſtris ſedens dicebat, atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. Tum è militibus, qui in iure apud eum ſtabant, interrogauit quiſpiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti iuberet. Et Scipio manum ad ipſam oppidi, quod obſidebatur, arcem protendens, perendine, inquit, ſe ſiſtant in illo loco.* Hinc factum eſt, vt Cornelius Tacitus exercitus & iuriſdictiones opponat lib. 1. Annal. Id quoque morum Tiberii fuit continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus, aut iuriſdictionib. habere.

Nõ igitur vt quis magiſtratus aliquid pro iure ſuo agit, vel conſultat, vel imperat, in eo continuo ius dicit: cùm ſint innumerabilia in Republica, quæ abſq; vlla iuriſdictione officio magiſtratuum conſtituuntur. Etiam ſarcta tecta exigere, quæ cura olim prætorum, poſtea conſulum fuit, à iuriſdictione ſeparat Cicero; non ab officio. Denique officium in magiſtratibus imperium omne ſignificat, etiam extra iuriſdictionem, vt adparet ex dd. tit. ff. & C. Quo facit, quod Donatus in Terentium ſcribit de prouinciis: *ad quas*, inquit, *quia prætores cum officio mittebantur, officia quoque prouinciæ nominantur, cum officio veteres, cum imperio dicere ſolent.* Sic Vlpianus leg. 1. de officio Proconſul. *ad officia proficiſci.* At officium ius dicentis, quamuis latiſſimum ab Vlpiano dicatur l. 1. ff. de iuriſdict. tamen eſt multo, quam magiſtratus officium, anguſtius: cum ad iuriſdictionis cauſſas vel contentioſæ vel voluntariæ omne arctetur. Latiſſimum tamen, & quod ad ea etiam pertineat, quæ iuriſdicundi officio non continentur. non dico, vt Goueanus, quæ ſupra iuriſdictionem ſunt, aut quæ priuatorum hominum, non magiſtratuum officium reſpiciunt. Ea enim omnia, quæ illic enumerat, maniſeſtiſſime iuriſdictionis ſunt, vt infra ſuis locis oſtendetur. Sed officium iuriſdicundi video proprie & reſtricte ab Vlpiano poni, in iis rebus, quæ licet iuriſdictionis ſint, tamen ex iuriſdictionis communibus velut regulis eximuntur, vt nimirum neque iure magiſtratus competant, neque mãdari ab eo, cui eæ ſpecialiter tributæ ſunt, alteri poſſint: multo minus mandata iuriſdictione tranſeant, veluti, tutorẽ dare. Quare tutorem dare cum

pertineat ad officium ius dicentis(ius enim in ea re dicitur) d. l. 1. ff. tamen iuriſdictionis eſſe negatur l.muto. §. tutoris. ff. de tutel. neque igitur iuriſdicundi officio continetur,alioquin neque mandari poteſt,nec mandata iuriſdictione tranſit, cum tamen mandata iuriſdictione dicatur omne officium iuriſdicundi tranſire l.1.§.3.ff. de ſuſpect. tut. De huiuſmodi cauſis intelligendum eſt, cum magiſtratus aliquis dicitur ex officio cognoſcere, vt in l. 2. C. de ped. iudic. non quod & in aliis, quæ iure magiſtratus competunt, mandarique poſſunt, non etiam ex officio ſuo cognoſcant: ſed quia illæ ſic ad officium eius pertineant, vt de iis cogantur ipſi cognoſcere, vel ius dicere. Iam vero iudicis officium(iudicem hic intelligo proprie,id eſt,datum & ſpecialem) longiſſime ab amplitudine illa ſuperiorum abeſt. Denique duobus modis accipi ſolet. Primo,pro munere ipſo cognoſcendi ac iudicandi illi iniuncto,ſine executione,ſine imperio, de quo iudicis officio ſcripſit olim Tubero libros, teſte A. Gellio,eoq; pertinet & titulus in Inſt. ſimiliter inſcriptus:Item cum ſtipulationes iudiciales dicuntur eſſe, quæ ex mero iudicis officio proficiſcũtur. Altero,qui tamẽ in priori continetur, certe ex illo manat,ſed ſępe ab eo diſtinguitur,ꝓ poteſtate quadam,qua in certis rebus vel actionibus vtitur,vt actionibus bonæ fidei videre eſt, in primiſq; in vſuris,quæ in illis bonę fidei iudiciis,non tam ex obligatione proficiſci, quã ex officio iudicis adplicari dicũtur l.quæro.in pr.ff.loc.Dd.vero noſtri,cũ alia in hac iuris parte, tũ hęc cõfuderũt,iudicis,inquã, officium, cum officio ius dicentis & magiſtratus: cũ tamen nullus in iure ciuili reperiatur locus, vbi

ſic iudicis officium accipiatur, quamuis nomen iudicis ſæpiſſimæ pro magiſtratu ponatur, quod permagni intereſt ſcire. Exempli gratia, In illa nobili quæſtione an iudex poſſit de incidenti cauſa cognoſcere, vel potius pronunciare, perperam allegari ſolet l.1.C.de ord.iud. quaſi ex ea probetur poſſe eũ pronunciare, licet incidens cauſa maior eius notione ſit. Neq; enim recte id colligũt ex ea lege, cuius prima pars de præſide loquitur: altera, vbi officium iudicis nominatur, de iudice ſpeciali intelligenda eſt. Poſtremo, magiſtratus iuriſdictioni, vel iuridicundo, vel tribunali præeſſe, aut præſidere dicitur nunquam iudex delegatus, imo nec legatus, vel alius cui mandata iuriſdictio eſt. Iudicio præſidere recte etiam iudex pedaneus, vt opinor, dici poteſt: ad eum enim omnia iudicii pertinent, quod incipit poſt litis conteſtat. l. Ædiles. §. ſciendum. ff. de Ædilit. edict. Et ita L. Apuleius libro de mundo, vbi de præſtantia legis: *Scitis eius, inquit, Magiſtratus tribunalia, milites principia frequentabunt, recup. ratores iudiciis præſidebunt*: quo loco inſignis macula eluenda eſt, vel potius ſic locus eſt ipſe reſtituendus: *Magiſtratus tribunalia, Tribuni militum principia frequentabunt*, & cætera. Error ex ignoratione antiquitatis natus, & ſimilitudine ac cohærentia vocum Tribunalia, Tribuni.

CAPVT V.

De magiſtratibus municipalibus.

DVPLEX inſpectio eſt, & qui ſint magiſtratus municipales, & quæ eorum poteſtas vel iuriſdictio

dictio ſit. Ego magiſtratuum municipalium duo præcipue genera reperio in libris noſtris, Duumuiros & Defenſores, de quibus etiam tituli ſeparati in lib. 1. Cod. Et ſane hi fere iuriſdictionem aliquam habuere in ciuitatibus & municipiis. Syndici Agaronomi, & ſimiles alii plurimi quamuis Reipub. adminiſtratio eis attributa eſſet: non tamen vel iuriſdictionem habent vel magiſtratus municipales appellantur. Curatorem vero Reipub. magiſtratum fuiſſe oſtendit l. vlt ff. de offic. adſeſſ. vbi adſeſſores habere poſſe dicitur, ad iuriſdictionem ſcilicet, quam inter ciuitatem & priuatum habent, ſicut procurator fiſci inter fiſcum & priuatum. Sed plerunque hæc adpellatio proprie ad Duumuiros pertinet in iure quidem noſtro: vt Duumuiriliтas, id eſt, magiſtratus municipalis l. 1. in pr. C. de natur. lib. & apud Auguſtinum libro de cura pro mort. Duumuiralitius, qui Duumuir antea fuit: quomodo Ædilitius, Prætorius, Cenſorius. Sed & Defenſores nihilominus magiſtrat⁹ municipales ſunt, & dicuntur, de quibus poſtea. In pleriſque ciuitatib. vterq; magiſtratus erat, in quibuſdam præſertim tenuioribus alter tantum l. in hac ſacratiſſima. 30. C. de donat. Duumuiri autem dicti, quod duo eſſent, quamuis interdum plures fuerint, vnde Quatuoruiri, Quinqueuiri, Septemuiri in veteribus ſcriptionibus & aliis monumentis: nec tamen male Duumuiri dicuntur, ſicut olim Romæ Quindecimuiri ſacrorum, licet poſtea numerus ad ſexaginta perueniſſet, perpetuo dicti fuerũt. Nec idem ſemper nomen in omnibus locis fuit, id eſt, Duumuirum: ſed alibi Ædiles, vt Arpini, quem vnicum magiſtratum ibi fuiſſe Cicero ad Atticum ſcri-

bit,alibi Dictator:vt Lanuuii,alibi Prętores,vt Capuæ,alibi Præfecti (Roma miſſi) vt in iis omnibus municipiis ac ciuitatibus, quæ iure Curiæ priuatæ erant, quales enumerat multas bello Annibalico Feſtus. Nam Duumuiros ex corpore Decurionum, qui veluti Senatores quidã municipales ſunt, creari oportuit l. 1. C. de mag. munic. l. reſcripto. ff. de mun. & honor. A Curia autem Decuriones dicti. Contra autem Defenſores ex plebe eligebantur, nec poterant ex numero Decurionum, vel cohortalium eligi. l. 2. C. de defenſ. vti Romæ Tribuni pl. tantum ex plebe, quibus hi Defenſores ſimiles ſunt, vnde & Defenſores pl. adpellantur Nou. 15. Sicut Duumuiri Conſulibus. Cur autem Theophilus in Inſtit. de Attilian. tut. §. nos. Duumuiros ſiue Magiſtrat⁹ municipales στρατηγοὺς adpellet, ea forte cauſa eſt, quod tanquam Conſules, vel Prætores Romæ, qui στρατηγοὶ proprie Gręcis dicũtur, ius in ciuitatibus dicerent, & generaliter quiuis præfectus hoc nomine adpellatur, vt præfectus vigilum νυκτοστρατηγὸς l. vlt. §. legati. ff. de muner. & honor. Vbi recte Budæus & Turnebus reprehenſi. Iidem ἄρχοντες dicuntur, quod eſt generale magiſtratuum omnium nomen: apud Athenienſes, ſummi poſt regem. Quare Cicero etiam Latine vſurpat de Athenienſibus loquens, Archonte illo; alias prætore dicit: vt & Com. Nepos. In noſtris libris ſimpliciter poſitum nomen Ἀρχόντων, nunquam, quod ſciam, magiſtratus municipales vel ciuitatum ſignificat: ſed Romanos ſiue in vrbe, ſiue in prouinciis ſint. Errant enim qui in reſcripto Græco Diui Hadriani, quod extat in l. pars literarum, ff. de iudic. eo nomine magiſtratus municipa-

les

les intelligunt, præſertim ſi illa verba ἐν ᾧ ἄρχουσιν ἐν αὐτῷ, ita vertas, vt vetus interpres. Quo anno cũ imperio ſunt. nomen enim imperii ſolet à magiſtratibus municipalibus remoueri. l. ea quæ. ff. ad munic. Quare maiores magiſtratus & fere populi Romani intelligere debemus, id eſt, Romanos in prouinciis magiſtratus, de quibus ibi D. Hadrian⁹ reſcripſit, non quos ſibi prouinciales, vel ciuitates eligunt, quantũuis maximæ, vt Athenæ, ad quas illud reſcriptum Alciatus pertinere putat leuiſſimo argumento ductus; & valde notãdum, quod apud Tacitum lib. 2. Annal. legitur, Germanicum Cęſarem ſummi honoris loco, fœderi ſociæ, & vetuſtæ vrbis (Athenarũ) dediſſe, vt vno lictore vterentur. Vnde adparet, quam ſubditæ vrbes, quantumuis maxime omniũ imperio caruerint. Imo & popul. Roman. magiſtratus minores conueniri iudicio poſſunt. l. 2. de in ius voc. l. nec magiſtratibus. ff. de iniur. quia ſcilicet ſine imperio ſunt, aut poteſtate, vt illic ſcriptũ eſt. Multo magis igitur magiſtratus municipales, quos & L. Aquila, ſi damnum iniuria dederint, cõueniri poſſe Vlpianus ſcribit l. quemadmodum §. magiſtratus. ff. ad L. Aq. Hæc de Duumuiris, qui primi magiſtratus municipiis & ciuitatibus ſunt, vnde magiſtratus municipalis l. 1. l. 4. §. duas. & §. ſeq. ff. de dam. infect. l. in honorariis. §. fi. ff. de oblig. & act. l. magiſtratus. ff. ad l. municipal. l. ſi quis tutor. in princ. ff. de rit. nupt. §. vlt. Inſtit. de ſatiſd. tut. & tit. de magiſtratu conu. peric. eorum qui pro magiſtr. in tormen. & ſimiliter ϛρατηγοὶ illo loco Theophili, & lib. 5. Harmenop. tit. 2. §. 19. & Nouel. 81. §. fin. iuncta l. princ. C. de nat. lib. Nam quos Conſtantinus in d. l. 1. Duumuiros,

Iuſtin. ϛρατηγοὺς adpellat. Interdum dubitationis tollendæ cauſſa dicũtur ἄρχοντες ϛρατηγοὶ, vel τῶν πόλεων, vt in l. ſi duas. al. L. Athletas. & in l. ſpadonem 9. ff. de excuſat. tut. vbi eſt ὁ τῆς πόλεως ἄρχων, τοῦτ' ἔϛιν ὁ ϛρατηγός. At præſides prouinciarum, quod in vrbibus primariis habitarent l. abeſſe. ff. ex quib. cauſ. maior. dicuntur τῶν μητροπόλεων ἄρχοντες à Iuſtiniano in No. 1. in fine. De Defenſoribus, quinam illi fuerint, optime ex Nou. 15. & ex tit. de Defenſor. Cod. lib. 1. diſcitur. à Duumuiris ſeparari animaduerti ſolo etiam nomine magiſtratus, quo Duumuiri adpellantur, vt in d. §. Nos. de Attil. tut. apud Theophil. & alibi. Nam per Excellentiã hoc nomine Duumuiri adpellantur: quin imo & conſules, & notat eruditiſſim⁹ Caſaubonus in Apuleii Apolog. quamuis de loco Auſonii nõ ei adſentiar: ſed N. potius Velſero eximia doctrina, & dignitate viro, qui illum ſic legendum docet.

Diligo Burdigalam, Romam colo: Conſul in hac ſum
Ciuis in ambabus.

vt paulo poſt:

Cuna hic, ibi ſella Curulis.

Exiſtimo autem ambitione municipalium factũ, vt hoc ſibi nomen conſulum adſciſcerent. Sic enim Cicero in Agraria 2. *Cum cæteris in coloniis Duumuiri adpellentur, hi ſe prætores adpellare volebant; quibus primus annus hanc cupiditatem adtuliſſet, nonne arbitramini paucis annis fuiſſe conſulum nomen appetituros.* Quare in l. cum quidam ff. de adquir. hæred. vbi ſcriptum eſt, DiuumPium reſcripſiſſe conſulibus: nihil muto, licet Hott. conſulentibus contendat ſcribendum eſſe lib. 7. obſeru. c. vlt. Non enim priuati homines, ſed magiſtratus, Principem

de

de incerto iure conſulere ſolebant, vt ipſe etiã obſeruat ex l.debitorib.31. ff. de re iud. l.3. ff. de teſt. l. D.7. ff. de in integ. reſt. Poſſunt autem vel magiſtratus municipales eo nomine intelligi, vel certe cõſules veri, id eſt, in vrbe, vbi legationis cauſſã aberat is, de quo illic D. Pius reſcripſit. Sic alibi legitur *Diui Fratres Proculo, & Munatio reſcripſerunt*: intelligendum eſt, cõſulibus: vt indicat inſcriptio ex lib. 1. Vlpiani de officio conſulis, & verba illa reſcripti, *veſtræ grauitatis eſt.* Nec nouum videri debet, conſules de hæreditate in prouincia homini prouinciali delata cognoſcere; nam imperium habuiſſe illos in omnes prouincias certum eſt: itemque literis conſulum ad cauſſam dicẽdam euocatos ex prouincia homines ex Verrinis Ciceronis cognoſcimus, imo & in cauſſis ciuilibus, quod declarat ille locus Cor. Taciti lib.13. Annal. Simul prohibiti Tribuni ius prætorum & conſulum præripere aut vocare ex Italia, cum quibus lege agi poſſet. Et in epiſtolis ad Attic. Cõſules more maiorum potuiſſe omnes prouincias obire.

CAPVT VI.

De iuriſdictione magiſtratuum municipalium.

MVNICIPALIS iuriſdictio adpellatur in l. Incola. ff. ad municipal. Et in veter. epigrammatis 11. vir. vel 7. vir. I.D. id eſt, iuridicundo ſæpe legitur. Tribunal tamen non habuerunt, nec vnquam dicuntur Tribunali præeſſe, nec iuridicundo, quod eſt maiorum & legitimorum & populi Romani magiſtratuum proprium, niſi quod in L.

Manilia ſcriptum eſt apud authores de Limitibus: Idqve magistratvs. qvi. in ea. colonia. mvnicipio. præfectvra. foro conciliabvlo. ivredicvndo præerit. facito. vt. fiat. Idemq; totidem fere verbis mox repetitur: niſi id, inquã, ad magiſtratus municipales referendũ putet. Sed verius eſt Romanos magiſtratus, & præfectos intelligi, qui Roma in ea loca mittebantur. Olim curatores viarũ, limitum & ſimiliũ ex lege conſtituebantur, vt ex d.l. Manilia adparet, ſpecialiter, & prout vſus exigebat, quibus iuriſdictio in eas res eſſet. Poſtea & Imperatorũ maxime temporibus ordinarius velut magiſtratus fuit cũ iuriſdictione atq; imperio creatus. Qua de re memini me legere apud eruditiſſimum Taciti interpretem. Nũc quod inſtitui, exequar, de municipali iuriſdictione. Ea quænam ſit ciuilibus in cauſſis cognoſcendũ eſt. Et Duumuiros non habere ius mulctæ dicendæ, quod habent tamẽ Defenſores ſupra lib. 1. aduerſus diſputationem doctiſſimi viri demonſtrauimus. Similiter nihil habent eorũ, quæ magis imperii ſunt, quam iuriſdictionis, nõ poſſunt enim in integrum reſtituere, aut bona rei ſeruandę cauſſæ iuberę poſſideri, aut dotis ſeruandæ cauſſa, aut legatorum l. ea quę. §. 1. ff. ad municip. Ergo nec ſtipulatione prætoria caueri iubere. l. 4. ff. de iuriſd. Iudicem dare l. ait prętor. §. 1. de iudic. Ex mandato tamen magiſtratus, hæc quæ imperii mixti ſunt facere poteſt, vt & quiuis poteſt, cui mãdata iuriſdictio eſt. l. cognitio. §. 1. ff. de offic. eius. Vna eſt cauſſa damni infecti, in qua non expectat mandatum magiſtratus, aut iuſſum l. 4. §. duas. ff. de damn. infect. ſed habet id ex edicto & iure perpetuo, vt ca-

cauere iubeat & poſſidere, non ex delegatione vel mandato tantum prætoris vinci: quod Cuiacius exiſtimauit motus verbis d.l. cuius legis hic eſt ſenſus, cum res damni infecti celeritatem deſiderat, & periculoſa prætori dilatio videtur, ſi ex hac cauſa ſibi iuriſdictionem reſeruaret, magiſtratibus municipalibus delegandum hoc recte putauit. Sic enim legendum, non putabit: vel putabit more Florent. librarii, litera B. pro V. Putauit igitur ad edictum prætoris, & ius ordinarium ac perpetuū, non ad ſpecialem aliquem permiſſum prætoris viui referendum eſt: quod etiam manifeſte docet idem Vlpianus, qui eodem libro & loco ait, *Duas ergo res magiſtratibus municipalibus prætor vel præſes iniunxit, cautionem & poſſeſſionem: cætera ſuæ iuriſdictioni* RESERVAVIT. Edicto igitur Vrbano & prouinciali ſemel cautum eſt, vt peculiari cōceſſu ad eam rem municipales magiſtratus non egeant, quod & ratio eius iuris introducendi nos fateri cogit, quia ſcilicet res ea celeritatem deſiderat, quæ ratio tota ſubuertitur, ſi ad prætorem vel præſidem eundum ſit, quoties in municipio damni infecti caueri petitur. Nec ad hanc rem l. penult. ff. de offic. eius. & l. ea quæ. ad municipal. ad rem faciunt. nam d. l. 1. de damn. infect. quomodo explicanda ſit, oſtendi: niſi forte & verbo, *Delegandi*, in ea leg. poſito, motus Cuiacius eſt, quo vtimur pro facto magiſtratus, cum delegat alicui cauſam, vel cum iudicem dat, vnde iudices delegati. Nihil tamen video, cur delegare non poſſit, etiam intelligi de lege vel Edicto: pro committere, vel tranſferre, vt id vocabuli vſurpatur in l. non diſtingu. §. quæſitum. ff. de recept. qui arb. Exequi

etiam ſententias ſuas ipſi poſſunt pignorib. captis, & rei iudicatæ tuendæ cauſa diſtractis l. quemadmodum.§.4.ff.ad leg. Aquil.l.4.§.1.ff. de damno infect. quod ſane eſt imperii, ſiue iuriſdictionis. l. à Diuo.de re iudic. vnde factum arbitror, vt executio pro iuriſdictione ponatur illo loco Taciti lib.3. Annal. *Executionem eius negocii libens ſuſcepit*; ſequitur enim, *damnat onib. & haſta ſæuiebat.* Omnis, inquam executio eſt imperii. ſed iuriſdictio eorum incluſa anguſtis terminis, neq; enim vltra ſummã (vtputant argumento defenſorum) 300. aureorũ iudicare poſſunt, niſi in eos de maiori conſenſum fuerit. Auth. de defenſoribus. l. inter. ff. ad municipal item niſi ruſticus litiget, quaſi id priuilegio ruſticis datum ſit, arg. l.3. C. de defenſor. vt tradit eruditiſſimus Menochius cent.2. de arb. iud. quæſt. c.194. Senatum municipalem, id eſt, Decuriones etiam de grauiorib. cauſis nec ciuilibus, ſed & criminalibus interdum iudicaſſe, ex Apul. lib.10. notant, ſed imperite, vt alibi dicam. Ius etiam tutoris dandi habere libro 1. expoſitum. An vero legis actio apud municipales magiſtratus omnes ſit, & quo iure habeatur, video inter Gallos Interpretes diſceptari. Legis actionem intelligimus de voluntariæ iuriſdictionis actionibus, vt ſolere hoc verbũ de iis ſolis in iure ciuili vſurpari, antea docuimus. Nam de contentioſis & iudicialibus actionib. nulla dubitatio eſt, quin eæ exerceri apud magiſtratus municipales poſſint, vſque ad certam, vt dixi, ſummam. Vnde & actorum iudicialium conficiendorum iis poteſtas conceſſa eſt, cum in litibus, tum in aliis rebus, puta, teſtamentis, donationibus inſinuandis l. curent. ff. de teſtibus. l.2. C. de mag munic.

l. 1. C. de off. iur. Alex. l. iubemus C. de defenſorib. Nouel. 15. c. 3. Nec obſtat, quod in d. c. in fin. ſcriptum eſt, non prohiberi, eos monumenta ſiue acta in quibuſcunq; rebus voluerint conficere, præter illa ſola, quæ iuriſdictione egent, & ex ipſa iudicũ authoritate pendent, merito enim & recte excipit Iuſtinianus cauſſas, quæ ſupra cognitionem eorum ſunt, &, vt ipſe ait, pendẽt ab authoritate iudicum, id eſt, maiorum & ordinariorum magiſtratuũ, puta, præſidum poteſtate, atque imperio. Quibus in rebus videntur, & legis actiones, quas proprie ſic adpello, numerandæ. Et in defenſoribus quidem certa res videtur, non eſſe apud eos legis actionem: quoniam id nuſpiam ſcriptum ſit. Apud Duumuiros eſſe conſtat, hos enim nomine magiſtratuum municipalium leges intelligunt. Loci quib. id probatur illi ſunt. l. vlt. C. de vind. libert. &c. Paulus lib. 2. ſent. tit. 25. l. 1. C. de emancipat. liber. Illud quæritur habeant ne id Duumuiri ſuo iure & à lege delatum, an mandato magiſtratus, an conſuetudine. Mihi facillima huius rei deciſio videtur nimirum eos ſolos magiſtratus municipales legis actionem habere, quibus hoc non dico præſes, ſed lex municipii vel alia dedit, vel quib. in municipiis hoc ius ſpãliter lege aliqua cõceſſum eorũ magiſtratib. eſt, legẽ aũt municipii vel aliã nõ intelligo, quã ciuitas quæq; ſibi conſtituerit, i. Decuriones ſcripſerint, niſi permiſſu Principis: non etiã conſuetudinẽ cuiuſq; loci, ſed legẽ quæ eis data eſt à Principe vel populo, vel ſenatu Rom. Non omnibus autem iiſdem legib. eadem iura pariter tributa ſunt. Recte igitur & generaliter illud præceptum Siculi Flacci ſequemur, qui ſcribit, leges datas coloniis munici-

piiſque intuendas,&Hygini,omnium coloniarum municipiorumq; leges ſemper reſpiciendas.l.ſimile.ff.ad municip.& tot.tit.de colon. Sed & ciuitates,quæ in ditionem populi Romani veniunt,non ſolum iure Romano,ſed &legibus antiquis ac propriis vtuntur, veluti, ciuitates & municipia Siciliæ teſte Pędiano in 4.Verr.ibi,*ſuis legibus*.Illud notandũ eſt,quod ſi quis apud magiſtratũ aliquẽ municipalẽ manumiſſus ſit,quia ordinario iure non cõpetit municipiis legis actio, videtur mihi in manumiſſionis inſtrumẽto expreſſe facienda mẽtio eius legis,qua id municipio conceſſum ſit, quemadmodũ in iis,qui in eccleſiis apud ſacerdotes manumiſſi ſunt,q̃ iuſta manumiſſio eſt, ex conſtitutionibus Imp.Conſtantini: de quibus Sozomenus lib.1.eccleſ.Hiſt.ſic ſcribit,*pia huius ordinationis argumentum præſens adbuc tempus retinet, quod cõſuetudo obtinuerit, vt leges hac de re poſitæ in literis manumiſſionis præmittantur*.hæc ille.Sane hodie id requirimus in legitimationibus perComitem Palatinũ, vel aliũ cui id ius ſit,factis.Cur aũt Duumuiris ſuo iure nõ competat legis actio, cũ iuriſdictio contentioſa cõpetat,eam cauſam eſſe puto, quod in illis legis actionibus,puta,emãcipatione,manumiſſione,adoptione, magna res verſetur, nimirũ ſtatus & libertatis. Cuiuſmodi cauſæ maiores iudices habere debẽt l. nõ diſtinguemus. §.de liberali.ff.de recept. Magiſtratus autem municipales minimi & infimi generis ſunt,& Romanis cõparati vix magiſtratibus. Vt quod Tertull.ſcribit lib. Apologet.aduerſus gẽtes cap.4.Deos municipiorum Italię non fuiſſe cultos à Romanis,tanquã min⁹ legitimos:idẽ de magiſtratib.eorundẽ dici poſſit, pro magiſtratibus non haberi

beri à Romanis principibus, vel præſidibus. Quare nec imperium fere vllum habent l. ea quæ. ad municip. quod tamen magiſtratuum pręcęteris rebus maxime propriũ Ariſtoteles dicit. Et pro maximo putãdũ eſt ſi cui ciuitati hoc ius datũ fuerit, vt apud eius magiſtratus manumitti ſeruus vindicta poſſet, quo modo ciuis Rō fiebat d. l. vlt. C. de vin. &c.

CAPVT VII.

De Defenſorum poteſtate.

NVNC de Defenſoribus videamus. Eorum cognitio, quæ intra C. aureos erat l. 1. C. de defenſor. vſque ad 300. prolata eſt à Iuſtin. Nouell. eod. tit. Quod ſi quis plus ea dolo malo petierit, quo cauſſa ab iis ad præſidem transferatur, veterẽ in eos plus petentium pœnam conſtituit, vt cauſſã cadant. Quod Cuiacius etiam ad Duumuiros trahi poſſe dicit: cum & Duumuiri vſq; ad certã ſummam iudicare potuerint. Quod non puto: cum ea pœna conſtitutionibus ſublata fuerit generaliter, neq; iis poſtea derogatum ſit, niſi in Defenſoribus. l. præcipimus. C. de adpellat. Et pœnæ ẽt quæ vigẽt in Republica reſtringendæ ac molliendę interpretatione ſunt, nec in conſequentiã ex ſimilitudine rationis trahendæ. quanto magis id nobis in abrogatis ſeruandum eſt, & tam duris atq; aſperis, qualis illa plus petẽtiũ fuit? Dubito ẽt an recte illa verba Iuſtin. τῇ πάσῃ τ̃ δίκης ὑποβάλλεσθαι ζημίᾳ, de ipſius cauſſę amiſſione interpretari debeamus: propius videt̃, vt litis sũptus ſiue expẽſas intelligam⁹, q̃ vet⁹ interpres diſpẽdia litis vocat: vt Ambroſius epiſt. 24. *vetuſti iurgii diſpẽdia*, & mox, *iurgii expenſas, & sũptus annoſa litis*. Et Innocent. 4. in concil. Lugd.

Diſpendia litium coarctare c. diſpendia, ext. de reſcript. lib. 6. idq; conueniens eſt Zenonis & ipſius Iuſtiniani conſtitutionibus §. tripli. & §. ſed hoc quidem. Inſt. de action. Vnus igitur caſus tantum relictus eſt, quo veteri pœnæ locus ſit, nimirum ſi creditor dolo malo extorſerit à debitore cautionẽ maioris ſummæ, & ex ea debitorem in iûs vocarit: toto enim eum debito fraudari Iuſtinianus vult l. vlt. C. de plus petit. Aliud eſt ζημία τῆς δίκης, damnũ litis, vt in d. Nou. 15. aliud damnum debiti, vt in d. l. vlt. Vt autẽ Tribuni pl. maxime pauperibus ac tenuibus ciuibus Romæ auxilium ferebant, qua etiam de cauſſa eorum ædes etiam noctu patebant; ſic & defenſores pl. in prouinciis tenuiorum & ruſticorum potiſſimum patrocinium ſuſcipiunt, eorumque cauſſas diiudicant. l. 3. C. de Defenſ. pl. Leuiora quoque crimina cognoſcunt, & puniunt, tum ipſi, tum Duumuiri: grauiorum reos ad præſides remittunt d. Nou. 15. l. magiſtratibus. de iuriſdict. Denique ad hæc quæ ſupra diximus, exequẽda adparitores duos habent: & in carcerem duci iubent. Sed de his plura infra lib. ſeq. vbi de mero imperio agemus. neq; ad cognitionem ſolum ea, ſed & ad vſum noſtrorum etiam temporum proderunt: cum ſimilia magiſtratuum, & nomina & genera hodie frequententur, ad quos ex iure Iuſtinianeo argumẽtum duci cõmodiſſime poteſt, ac ſolet. Neque enim vlla prouincia eſt, in qua ſibi ciuitates ſubditæ non aliquos magiſtratus eligant, puta Syndicos, Adminiſtratores, ſimiles, de quibus Bartol. & Dd. ad d. tit. Ad L. Municipal. & erudite Henningius in quinque illis conſiliis, quæ de iure ciuitatis ſcripſit. Perperam autem videtur

Accur-

Accurſius in Rubr.C. de magiſtr. municip. præfe-ctos caſtrorum,& villarum interpretari,nam villæ non habent forum,non magiſtratus,non leges vllas municipales.Sed habent tamẽ paganas & proprias ſibi quaſdam.Plinius lib.28.natur.hiſt.cap. 2. *Pagana lege in pleriſq; Italiæ prædiis cauetur,ne mulieres per itinera ambulantes torqueant fuſos, aut omnino detectos ferant: quoniam aduerſetur id omnium ſpei,præcipueq; frugum.* Atque hæc; de Defenſoribus ciuitatum,ſiue municipiorum propriis. Alii ſunt Defenſores vniuerſarum prouinciarum in iure ciuili: itẽ τοποτηρηταὶ & vicarii Præſidum:quales ciuitatibus conſtituere Præſides prohibentur plurimis Iuſtiniani cõſtitutionib.Nouell.8.17.128.120.14.alii etiam Defenſores Collegiorum,de quibus ſic Lampridius in Alexandro: *Corpora omnium conſtituit,Vinariorum,Lupanariorum, Caligariorum, & omnino omnium artium,hiſq; ex ſeſe Defenſores dedit.* Recte etiam Cuiac. lib.3.obſer. cap. 4. à Topoteretis illis, vt Defenſoribus,quos iuriſdicundi cauſſa à Præfectis prætorio, vel Præſidibus mitti ſolitos ſcribit, ſeparat Vindices,eoſque à Iuſtiniano adpellari ait in Nouellis,qui exequendis tributis in ſingulis ciuitatibus ab Anaſtaſio conſtituti fuerunt. Malim ego eos credere, qui publica ciuitatum à priuatis poſſeſſoribus vindicabant, eaque re magnas ſæpe turbas & ſeditiones excitabant, quod & Romæ contigit. Accuſat enim eo nomine ipſos Iuſtinianus grauiter ὀλεθρίους, inquit, μισθωτὰς οὓς βίνδικας καλοῦσι. Vetus hæc adpellatio,vetus inſtitutum fuit. Sic enim Ouidius 5.Faſtor.

Vindice ſeruabat nullo ſua publica vulgus.
Iamq; in priuato paſcere,inertis erat.

Plebis ad ædiles perducta licentia talis
Publicios:animus defuit ante viris.
Rem populus recipit,multam ſubiere nocentes:
Vindicibus laudi publica cura fuit.

In primo verſu non *publica*, ſed *paſcua* legendum exiſtimo.idque Plinii maxime authoritate,qui lib. 18.cap.3. & tota nauationis ſerie cum Ouidio conſentit,& de hac re ita ſcribit: *Etiam nunc in tabulis Cenſoriis paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet:quia diu hoc ſolum vectigal fuerat.* In veterib. gloſſis ἐκδίκησις,Defenſio,vindicium,Vltio,vindicia,vindicatio.ἔκδικος ἐλευθερίας, Adſertor. In iiſdem Ecdici abſolute dicuntur Defenſores,vt & apud Iuſtinianum Nouell.περὶ τῶν ἐκδίκων.15.

CAPVT VIII.

De variis Iudicum generibus.

IN iure Iuſtinianeo frequens eſt illa iudicum diſtinctio,quod alii ſint,qui iuriſdictionē habent, alii qui notionem duntaxat l.prætor.de tut. & cur. dat.l. 5.l. à Diuo. ff. de re iudic.l.notionem. ff.de verb.ſign.l.vlt.C.vbi & ap.quem in int.reſt.§. hoc igitur.Nouell.de iudic.& alibi. Vulgo Iudices ordinarios, & Delegatos adpellant, vnde & iuriſdictio alia ordinaria, Delegata alia: ſed confundunt illi miſere iudicem datum, ſiue delegatum cũ eo, cui mandata iuriſdictio eſt. Prioris generis iudices ſunt magiſtratus, quorũ alii maiores,alii minores. Alii populi Romani,alii municipales: vt ſupra expoſitum.Olim omnes magiſtratus Romę adpellabantur iudices,vt & in libris noſtris ſæpiſſime.Cartha-

thagine autem iudicum ordo diſtinctus à magiſtratibus fuit, vt tradit Liuius. Sic Ariſtoteli alius iudex, alius magiſtratus, alius conſultator, quamuis & iudices interdum & magiſtratus conſultare, vel deliberare de quibuſdam rebus dicuntur. Hi habent iuriſdictionem & imperium, id eſt, notionem cum poteſtate imperandi & exequendi: eamque mandare aliis poſſunt, qui dicuntur vice, & partibus eorum fungi, de quibus ſuo loco infra dicetur. Poſterioris generis iudices ſunt, qui iuriſdictionem nullam habent, ſed notionem tantum in ſingulis cauſſis vel negociis ſibi delegatam, abſq; vlla poteſtate, & imperio: quare ſententias ſuas non exequuntur ipſi, ſed ii qui eos dederunt, d. l. vlt. C. vbi & c. l. à Diuo. ff. de re iudic. Excipimus ſemper datos à Principe iudices, qui commiſſarii hodie vocantur, in legibus Caroli Magni receſe, Miſſi. Hi habent iuriſdictionem l. à iudice. C. de iudic. l. vnic. C. qui pro ſu. iuriſd. Alii notionem ſimplicem, ac nudam, vt dixi. Vnde & cognitores adpellantur. l. placet. C. de pedan. iudic. & ſpeciales iudices. l. ſpeciales. C. de iudic. l. prætor. ff. de offic. iudic. & iudices dati l. iudex. ff. de iudic. l. penul. ff. iudic. ſol. addicti paſſim in veterum ſcriptis: & arbitri, præſertim in iudiciis diuiſoriis, & bonæ fidei: item arbitri dati, vt iudices dati in l. ſi ſoror. 8. C. de collationib. Item arbitri addicti vel additi, vel etiam adacti, vt Cicero in ea pro Comœdo, cur non arbitrũ pro ſocio adegeris Q. Roſciũ. Et ſignate, pedanei iudices, quod nõ, vt magiſtrat⁹ pro tribunali, ſed in ſubſelliis ſederent, & de plano iudicarent. Vnde Græcis adpellati χαμαιδικάσαι: & priuati, quia plerumq; priuati dantur iudices; &

contra,publici iudices, id eſt,magiſtratus,ſiue iudices otdinarii,vt vocãtur in oratione D.Ambroſii de obitu Imper.Valentiniani. *Remiſit ad iudicem publicum negotium,ne aut ius, aut pietatem læderet, de cauſſa poſſeſſionis prædii inter ſorores Imperatoris, & Orphanum prouincialem.* Hæc igitur duo genera iudicũ ſunt in libris noſtris ſic notatã. Imo plura, dicet aliquis.Nam Vlpianus in l. vlt.ff.de iudic. quinque genera iudicum enumerat; Iuſtinianus ſeptem in l.rem non nou. C. eod. tit. Sed his generibus animaduerſis,adparebit non eſſe plura,quam duo. Igitur Vlpianus primo ponit magiſtratum, deinde præditum poteſtate à principe aliqua; tertio datum à magiſtratu, vel Principe; quarto arbitrum ex compromiſſo ſumptum, quinto confirmatum à lege.Ex his primus,ſecundus, & quintus, ad primum illud genus iudicum pertinent,in quo magiſtratus,quique iuriſdictionem habent, collocauimus.Nam quos Vlpianus præditos poteſtate à principe dicit,hi ſunt etiam magiſtratus,puta legati,& præſides prouinciarum, procuratores Cæſaris, alii, de quibus antea monui, ideo diſtingui à magiſtratibus ſolere,quod hoc nomẽ propter excellentiam ſuum fecerint. Confirmati autem à lege Vlpiano ſunt non illi, quos ingenioſius, quam verius putat Hottomannus lib.6.obſeruat.cap.26. ſed legati,aliique quibus iuriſdictio mandata eſt: quam iuriſdictionem lex confirmare dicitur l. & quia. ff. de iuriſd. hi ſunt loco magiſtratuum, eorumq; partibus fungi,eorum imperio vti,nec quicquam proprium habere dicuntur l.4.l.ſolet.ff. eo. vt non immerito ad hoc genus iudicum referãtur. Arbitros ex compromiſſo ſumptos, fateor non

poſſe

poſſe ad alterum genus referri, ſed hoc ideo, quia nec iudices ſint, quamuis inſtar iudicum eſſe, eorumque arbitria imitari iudicia dicantur. l. 1. ff. de recept. d. l. rem non nouam. Quare ex ſententia ab arbitro dicta non naſcitur res iudicata, vel actio rei iudicatæ l. 1. C. de recept. quæ naſcitur ex ſententia iudicis. l. actori. C. de reb. cred. neq; ab arbitri ſententia adpellatur, ſed à iudicis l. nõ diſtinguemus. §. & ideo. ff. de recept. Et ratio eſt, quia arbitri priuatorum conſenſu ſumuntur: at priuatorũ conſenſus neminem iudicem facere poteſt: nedũ iuriſdictonem priuato dare: quia iudicare eſt munus publicum. l. priuatorum. C. de iuriſd. l. quippe. ff. de iudic. Iuſtinianus autem primo ponit maiorem magiſtratum, puta, prætorem & ſimiles: ſecundo minorem puta Ædilem, Quæſtorem: tertio iudicem à principe datum: quarto datum à maiori magiſtratu: nam minor iudicem dare forte non poſſit, de quo alibi. Quinto arbitrum compromiſſarium, ſexto arbitrum à iudice datum: ſeptimo arbitrum conſenſu litigatorum electum. Ex qua enumeratione adparet, duo tantum eſſe iudicum ſumma genera, ad quæ omnes velut ſpecies referũtur, exceptis arbitris, quia nec iudices ſint. Maneat igitur illa diuiſio iudicum, alios iurisdictionẽ habere, alios notionem tantum.

CAPVT IX.

De vicariorum generibus.

DE iis qui vice & partibus magiſtratuum fungũtur paullo accuratius explicãdũ eſt. Varii ordines, variaq; nomina eorũ licet animaduerte-

ſed vt mihi videtur, omnes ad tria genera referri poſſunt. Vnum eſt eorũ, qui vice principis iudicãt, vnde & vice ſacra iudicare. Talis eſt præfectus prętorio, itẽ ii qui ſacrarũ cognitionũ iudices in veterũ monumẽtis nominãtur. Sed & præſides prouinciarum Legati Cæſaris dicũtu, non tamẽ, quod ſciã, vicarii: licet dici poſſint. Vice enim principis funguntur, & poteſtatẽ, atq; imperium maximum poſt principem habere dicuntur in prouincia, l. 4. ff. de off. præſi. Poſt principem, quia vice principis, vt dixi, eleganter Guntherus lib. 8. Ligurini in fœdere Mediol. ſi tamen Italicis fuerit legatus in oris Regius, hoc ipſum Regis vice iuris habebit, Et de Conſulibus diſponere cuncta valebit. Intelligit Imperatoris ſiue imperii vicarios, vt poſterior ætas appellauit. Quod munus ampliſſimum certæ ſæpe familiæ in Italia obtinuerunt, vt Marchiones olim Montisferrati ab Aledramo Saxone orti. de quib. extat eruditũ Menochii reſponſum vol. 1. conſ. 1. Et in manus meas venit numus argenteus perantiquus cum hac inſcriptione: Gvlielmvs m. m. sacri rom. imp. princ. vicar. Alterum eſt eorũ, qui licet aliorum magiſtratuum vices agere dicantur, iuriſdictionem propriam & principaliter ſibi datã habent. Tertium eorum, qui mandatũ à magiſtratu aliquo, ac proinde alienam, non ſuam. Hæc enim inter ſe opponũtur, propriũ & mandatũ, l. 1. ff. de procur. l. 2. ff. de iuriſd. & eleganter Liuius, *alienas & mandatas inimicitias exercere.* Prioris generis alios reperio, quibus ordinario prouincia aliqua regenda committitur, alios qui ad tempus in locum abſentis, vel mortui præſidis præficiuntur. De prioribus eſt titu. libr. 1. Cod. de offic. vicar. in ſcri-

ptus

ptus.de poſterioribus eod.lib. tit. de offi. eius, qui vic.alt.iud.obtinet.Illos ordinarios, hos ſuffectos vicarios recte dixeris,exẽplo conſulum.Nã conſules ordinarii dicebãtur,qui ab initio anni creati magiſtratũ gerebant,quib. poſt vnum alterumue, vel plures mẽſes abdicantibus, vel alias remotis de medio alii ſufficiebãtur, vt ſæpe plurimi vno anno fuerint,quod apud Dionem clare legas. Ab ordinariis annus,& omnia acta,geſta notabantur, non à ſuffectis.Et Symmachus conſulatum ſibi ordinarium delatum hoc ſenſu dicit, propter quem ſpecierum precia data ab hominibus ſuis ait li.9.epiſt. 120.& epi.vl.Sportulam conſulatus ſui nominat. Quæ nũ puto à ſuffectis data. Sed vicarii ordinarii ſunt,veluti vicarius præfecti prætorio, itẽ vicarius epiſcopi. Vice illorum funguntur, ſed non habent tamen vicariam iuriſdictionem,ſed ſuã,vel(vt Bartolus loquitur)habent eandem iuriſdictionem, & idem auditoriũ ſiue tribunal,quod tenẽt,hi quorũ vicarii ſunt,l.1.& 2.C.de off.eius,qui al.vic.l.præcipimus.C.de adpell.Bartolus & Alex.ad l.1.ff. Qui & à quo appell.Nam vicario præfecti prætorio iuriſdictio à principe,ſiue ex conſtitutione principis datur:& ideo dicuntur ab Vlp. cognoſcere ex mãdatis principis.l.1.ff.de Legat.li.3.Caſſiodorus li. 8. Variarum, de Vicario vrbis Romæ: Vices agentiũ mos eſt,ſic iudicũ voluntatib. obedire,vt ſuas non habeant dignitates:ſplendent mutuo lumine, nituntur viribus alienis:& quædã imago in illis videtur eſſe veritatis,qui proprii nõ habẽt iura fulgoris. Tu aũt Vicari⁹ diceris,& tua priuilegia nõ relin quis,*quãdo propria eſt iuriſd. quæ datur à principe.*habes enim cũ præfectis aliquã portionẽ. partes apud te

ſub Prætoriana aduocatione confligunt, vice ſacra ſententiam dicis. Hæc ille. Similiter procuratores Cæſaris multis in prouinciis partibus præſidum functos legas, iiq; à principe, vel tẽporis cauſſa, puta, mortuo præſide, impoſiti, vel ab initio, cũ prouincia nullos haberet præſides, veluti Rhetia, Noricum, Mauritianæ, apud Tacitum li.1. Annal. Procuratoribus coercebantur. Idem & de correctoribus prouinciarum dicendum, quos cũ præſidibus iungit l.penult.ff.de offic. præſid.& vtroſque adpellat legatos Cæſaris. Quare & merum imperium pariter obtinebant, vt apud Iſidorum Poluſiaten, in Epiſtola ſcripta Auſonio Correctori ἐπειδὴ φόβον τοῖς κακοῖς σε ὁ θεῖος νόμος ὡρίσατο. Vicarius etiam Epiſcopi iuriſdictionem non alienam, id eſt, Epiſcopi habet, ſed propriam, datam ſibi à Pontifice, & à legibus, id eſt, canonibus. ca. 2. ext. de offic. vicar. Et plene id explicat Hoſtienſis in ſumma eiuſdẽ ti.& Iaſon ad l. more. ff. de iuriſdict. ſicuti de vicariis illis prouinciarum multa erudite Cuiacius lib. 8. obſeru. cap. 21. & in parat. Cod. & ad Nouell. & Pamirolius in eruditiſſimis commentariis ad notitiam Imperii Orientalis ca. 122. & ſeq. & paſſim toto libro. Nicol. Bellon. lib. 1. ſupputat. expoſuerunt Doctores ad Rubr. de offic. eius. & ad l. quia. ff. de iuriſdict. Ex quibus etiam, quæ ad vſum noſtrorum temporum quadrent, vel accommodentur, peti poſſunt. Illud non eſt prætermittendum, quod Zaſius ſcribit ad l. more, iudicem illum, qui in Camera imperii Rotuillenſi perpetuus eſt loco Comitis de Sultz, præeſſe tribunali, Ergo iuriſdictionem propriam & ordinariam habet, vt magiſtratus. Nam hoc magiſtratus propriũ

eſt,

eſt, Tribunali præeſſe, non legati, vel alterius qui iuriſdictionem mandatam exerceat. l. 1. ff. de iud. Idem liceat adfirmare & de præſidibus illis magnæ Imperii Cameræ Spirenſis, vice epiſcopi Spirenſis eſſe, qui ſummus præſes ac Iudex, & ordinariam tamen iuriſdictionẽ habere, & Tribunali præeſſe. Sed an vicarii iſti magiſtratuum, vice ſacra, id eſt, Cæſaris iudicare dicendi ſunt? quod non exiſtimo: nam ipſis ſummis magiſtratibus, & quorum iis vices & locum tuentur, hoc tribui video, vt præfecto prætorio, & præfecto vrbi. l. 16. C. Th. de adpell. l. eos etiam. C. de adpellat. & in inſcriptionib. antiquis, quarum duas Cuiac. ad tit. de minor. refert. item illa CÆCINNA. DECIVS. ALBINVS. V. C. PRÆFECT. VRBI. VICE SACRA. IVDIC. Reperio & iudicem ſacrarum conſtitutionum dici quendam præfectum vrbis ſub Conſtantino Anitium Paulinum, in vet. inſcript. Romana. idemq; recte tradit Vicarium, licet vice ſacra iudicare dicatur, in l. 1. C. de offic. vic. tamen imaginem tantum obtinere videre ſacrarum cognitionum, vt & pręf. vrbi. Quare ab iis princeps adpelletur. vel ipſe pręf. prætorio. l. Æmilius. ff. de minor. cum aduerſus ſententiam præf. prætorio nemo appellatur: ſed retractatio tãtum cauſſæ concedatur, ἀναψηλάφησις Græcis. hodie vulgo Reuiſio in Camera imperii, à qua itidem nec Cæſar adpellatur. Et ita adpellatio permittitur, vt à Proconſſ. ſic ab his, qui vice præfectorum cognoſcunt: ait l. à procoſſ. C. de adpell. & ibi Bartol. & Alex. in notis. Similes his vicariis, quos ordinarios nomino, & illi, qui in locum abſentis, vel mortui ſubrogantur: nam & prouincias non ex mandato, & beneficio Præſidum, ſed Prin-

cipis regunt,&ſuo igitur iure,vt quibus lex admi-niſtrationem & iuriſdictionem dederit l. & quia. ff.de iuriſdict. Quare quæ præſes poteſt,omnia po teſt & ipſe facere.l. 2.C.de offic. eius,qui vic. cap.3. ext.de offic.deleg. Omnia,inquam. Nam Azo perperam excipit vltimum ſupplicium,& membri abſciſſionem ex No.de collation. §. antequam vero. Nam ea nouella loquitur de legato magiſtratus,ſiue,cui magiſtratus ipſe iuriſdictionem ſuam mandauit,quem Azo,& alii etiam ex recentioribus interpretibus doctiſſimis quidam temere confuderunt cum hoc vicario de quo agimus:vt adparet ex iis legibus quas adlegat,quę definitionem cauſſarũ capitalium legato adimunt. l. 6. ff.de off. proconſ. Horum vicariorũ magnus hodieq; eſt vſus,& ſimilis veteri:ſuffectiq; etiã vulgo appellantur, de quibus cum alii authores ſupra nominati, tũ gloſſa in l.2.in fin.C.d.tit.de offic.eius.& Bartolus in l.filius. ff. de Legation.vbi & de vicerectore Vniuerſitatis. Nam & hic iurisdictionem propriam habet, non mandatam à Rectore,&iure ſuo vniuerſitatem regit;præſertim ſi rector honorarius ſit,vt ſolent illuſtres interdum adoleſcentes in Germania honoris cauſſa & alibi creari. Poſtremo & iudices à principe,vel pontifice etiam in vna aliqua cauſſa dati, in ea vicarii quodammodo eorum dici poſſunt: ſane vices gerere dicuntur. Sic enim Pontifex ait: *Iudex à nobis delegatus,vices noſtras gerit,vnde in cauſſa illa ſuperior eſt, & maior illis,quorum cauſſam ſuſcepit, terminandum* (puta,epiſcopis,vt ibi ſubiicitur, & denique aliis quibuſcunque ordinariis iudicibus)c. ſane ii. ext. de offic. del. c. paſtoralis. §. 1. de offic. iud.ord. Idemque de iudice, quem princeps deſtina-

na-

nauit, dicendum eſt l.minor.18.§.Imperator.ff. de Minor.

CAPVT X.

Dè Legatis, & aliis quibus mandatur iuriſdictio.

Legati Proconſulum, quamuis nihil proprium habeant, niſi mandata ſit eis à procoſſ. iuriſdictio l.Legati. ff. de proc. ac propterea ad illud vicariorum ſecundum genus pertineant, quos nō ſuam & propriam, ſed alienam atque mandatā habere iuriſdictionem diximus, tamen multa habēt ſingularia & ſpecialia, propter quæ medius quidā locus eis tribuendus videatur, vt inferiores ſint illis vicariis præf. præt. & ſimilium. de quibus proximo capite egimus, præſtātiores autē multo iis, quibus iuriſdictio tantum mandata eſt, de quib. poſtea copioſe agemus. Ac ne nos ambiguitas nominis fallat, præmonendum eſt, legatos alios eſſe Legatos Imperatoris, & hi iidem ſunt, qui præſides prouinciarum adpellantur, alios eſſe legatos magiſtratus prouincialis, puta proconſulis, quem legatū prouinciale Venuleius vocat, notans hæc, vt dixi, duo legatorum genera in l.hos accuſare in pr.ff. de accuſat. Habuerit ne alius magiſtratus in prouincia legatū præter proconſules, ego dubito. nam & præſides habuiſſe legatum arbitror, quamuis doctiſſimi interpretes negent, Alciatus & Goueanus. Inducor ad id verbis Strabonis qui de diuiſione Hiſpaniæ ab Auguſto facta, ſic ſcribit, libr. 3. Bætica: Populo Rom. attribuitur, ad quam prætor mittitur, qui legatum habet & quæſtorem. Reli-

qua Hiſpania eſt Cæſaris, qui duos mittit legatos, Prætoriũ & Conſularem. Prætorius legatũ habet, qui Luſitanis vicinis ius dicit. Græca verba hęc ſunt: ἡ μὲν βετικὴ πρόσκειται τῷ δήμῳ, καὶ πέμπεται στρατηγὸς ἐπ' αὐτὴν, ἔχων ταμίαν τε καὶ πρεσβευτήν. ὅρειον δ' αὐτῆς τεθείκασι πρὸς ἠῶ, πλησίον καστάωνος, ἡ δὲ λοιπὴ Καίσαρος ἐστί. πέμπονται δ' ἀπ' αὐτοῦ δύο πρεσβευταὶ, στρατηγικός τε καὶ ὑπατικός. ὁ μὲν στρατηγικὸς ἔχων σὺν αὐτῷ πρεσβευτὴν, δικαιοδότης ὢν λυσιτανοῖς τοῖς παρακειμένοις τῇ βετικῇ. Et mox conſulari cum exercitu trium legionum tres attribuit legatos. De quibus Aſin. Gallus Taciti lib. 2. Annal, *Vtque legionum legati, qui ante Praturam ea militia fungebantur, iam tum Pratores deſtinarentur: Princeps 12. candidatos in annos quinos nominaret*: non ſingulos: vt recte Lipſius monet, qui & illud, duplices legatos in exercitu fuiſſe conſulares, & prætorios. Conſularem toti exercitui plerumque, prætorium legioni vni præſediſſe. Sed & proprætores in prouincias ſuas Cæſar mittebat: item Procuratores, ſi minores prouinciæ forent vt idem explicat ad lib. 12. Ann. nec in ſuas ſolum, ſed & publicas prouincias. In prouincias autem populi, quæ à Cæſarianis diſtinctæ fuerunt, proconſulib. mittebãtur à ſenatu, interdum & à principe, prout res exigere videbatur. Hinc eſt, quod Suetonius in Auguſto ſcribit cum de Cæſarianis dixiſſet: Cæteras proconſulibus ſortito permiſit, & tamen nonnullas commutauit interdum, atque ex vtroque genere pleraſque ſæpius adiit. Sortito, inquit, ea enim re prouinciæ populi à Cæſarianis diſtinguuntur, quod in illas ſorte ducti irent, in has miſſu principis. Eleganter vtrumque genus prouinciarum ſic expreſſit Tacitus lib. 11.

Annal.

Annal.illis verbis, *maius imperium quoq; adiſſet,quam hi qui ſorte, aut miſſu principis obtinerent.* Sed,vt, quod ſentio,dicam, non dubito, quin & in prouinciis Cæſaris legati ſiue præſides earum etiam vicarios, & legatos alios habuerint, quibus mandarent iuriſdictionem, præſertim ſi prouincia latior eſſet, vel negotioſior,quorumque opera in libello vterentur, quod in Cæſaris prouinciis ſolemne erat, & neceſſarium,exercitus alere:non ita in prouinciis populi. Hinc legatus à Vitellio præſide Syriæ Trebellius cum exercitu miſſus, Taciti lib. 6. Annal. Apud Plinium lego & legatũ Galliæ, & legatum Aquitaniæ,& in veteri inſcriptione. PROV. GALLIÆ. NARBONENS. LEGATO, qui forte ſub illo Galliæ vniuerſæ erant, vt is qui in Luſitania ius reddebat,ſub illo qui Hiſpaniæ præerat. Præſidem & Vicarium, id eſt, qui vice præſidis vel præfecti prætorio ſit in eadem prouincia fuiſſe nõ arbitror. nam Vicarii iſti plane idem imperium habuere, quod Præſides.Fallit. n.nos eruditiſſimus Sigonius, qui in lib. 2. hiſtor.ſacræ B. Sulpitii eodem tempore,in eademque eos prouincia collocat: niſi vicarium contra morem noſtrorum, pro legato interpreteris.Quomodo & Cæſar fiduciariam operam legati dicit lib. 2. de bello ciuili. Nunc differentias inter legatum,& alium cui mãdata eſt iuriſdictio, videamus quod ad multa loca iuris ciuilis, & veterum authorum illuſtranda proderit. Primo igitur hæc eſto,quod legati à Senatu,& poſtea à principe legi conſueuerunt, quod ex M.Tullio, & aliis notiſſimum eſt. Adiutores etiam dicti propterea T. Liuius lib. 43. *P. Manlius in Hiſpaniam citeriorem adiutor conſuli datus.* Et clare Appianus πρεσβευτὰς, id eſt,

eſt, legatos, τὺς τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν ἐκ τῆς βυλῆς ἑπομένυς εἰς βοήθειαν: Pomponius Atticus, Adſeclā prætoris dicit. Hæc autē magna prærogatiua erat. Quare nec potuerūt à proconſulib. temere remoueri, aut iuriſdictione, quantūuis ab ipſis mandata, priuari, niſi conſulto principe l 6. §. ſicut. ff. de offi. proconſ. & quod Cic. ait, Cæſar me ſibi legauit, & alias ſæpe legationem ab eo ſibi oblatam dicit, intelligendum eſt, ex authoritate ſenatus. In epiſtola Cari Aureliani Procōſulis Ciliciæ ad Iunium legatum ſuum, *Maiores noſtri,* inquit, *Romani principes in legatis creandis hac vſi ſunt conſuetudine, vt morum ſuorū ſpecimen per eos oſtenderent, quib Rempub. delegabant. Ego vero ſi ita non eſſet, non aliter feciſſem. feci aliter, ſi te iuuante non fallar.* Alii, quibus præſides mandare ſuam iuriſdictionem ſolebant, pleriq; vt opinor, ex vrbe eos ſequebātur, quod & Cuiacio traditum in quadam Nouella, ſed priuati, & nulla publica authoritate. Quare Legatus proc. eadem ferme in itineribus faciendis locisq; adeundis obſeruare debuit, quę præſcripta proconſuli erant, vt videre eſt apud Vlpianum in l. meminiſſe. ff. de off. proconſ. Docet & id locus in Vatiniana. *Poſt Quæſturam exierisne legatus in vlteriorem Hiſpaniam C. Coſconio proconſule? Cū illud iter Hiſpanienſe pedib. fere confici ſoleat, aut ſi quis nauigare velit, certa ſit ratio nauigandi, veneriſne in Sardiniam atq; inde in Africā? fueriſne, quod ſine ſenatuſconſulto tibi facere non licuit, in regno Hiempſalis? fueriſne in regno Maſtancoſi? veneriſne ad fretum per Mauritaniam? quem ſcias vnquam legatum Hiſpanienſem in illam prouinciam iſtis itineribus perueniſſe?* ſecundo ornamentis magnis erant legati inſignes, ipſoque legationis ſanctiſſimo nomine, licet vere legati non eſſent.

Quare

Quare Pædianus in 3. Verrinarum ad illa verba, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur: *inuidioſe*, inquit, *orator hoc addidit, cum de magiſtratu* (id eſt de Verre legato Dolabellæ) *dicat*. Quibus ex verbis notandum, quod Legatus proconſulis adpellatur Magiſtratus. Idem antea ad illum locum, *Cur imminuiſti ius legationis? Qui poteſtatem ſuam*, inquit, *in adminiſtrando non defendit, imminuti magiſtratus, veluti maieſtatis læſa reus eſt*. Neque prorſus impropie magiſtratus, qui à principe, vel populo, vel ſenatu creatus eſt, vel ex authoritate, & ſcitu eorũ. Quare & Bart. ad l. à iudice C. de iudic. eum cum conſenſu legis delegatum appellat. tertio. Legatus & lictores & faſces, & tribunal habuit. De lictoribus & apparitoribus notus eſt locus Ciceronis lib. 12. Epiſt. ad famil. c. vlt. *Quo animo æquiore ferunt, te tuis legatis lictores ademiſſe*. & Tit. C. de adparitoribus proconſul, & legati. libr. 12. De faſcibus illa inſignis hiſtoria apud Spartianum in Seuero, qui legatus proconſulis Africæ, cum eum quidam municipum ſuorum Leptitanus præcedentibus faſcibus, vt antiquum contubernalem ipſe plebeius amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio præconis cæcidit, *Legatum populi Rom. homo plebeius temere amplecti noli*. Ex quo factum eſt, inquit, Spartianus, vt in vehiculo legati ẽt ſederent, qui ante pedib. ambulabant. in faſcibus etiam illigatæ ſecures. Cicero Verr. 3. *Quoniam quidem in Achaiam, Aſiam, Pamphyliã ſumptu publico, & legationis nomine, cum imperio & ſecuribus mercator ſignorum tabularumq; pictarum miſſus eſt*. Quod ne conſulib. quidem in vrbe licuit, per legẽ Valer. Nec tamen adſenior doctiſſimis viris, qui illa verba, *Cum imperio & ſecuribus*, delenda cenſent:

præſertim cum ea Pedianus agnoſcat,& interpretetur. De tribunali valde repugnat l. moris. §.2.ff. de pœn. Nam l. 7. de manũ. vind. ab Hottomanno allegata nihil ad rem facit,imo pro nobis facit, ſed in d.l. moris.ita ſcriptum eſt: *Poteſt & ita interdici cui, ne apud tribunal præſidis poſtulet, & tamen apud legatum vel procuratorem non prohibetur agere. Si tamen apud legatum prohibitus fuerit poſtulare: credo per conſequentias, ne quidem apud præſidem relictam illi poſtulandi facultatem.* Et ſane diſtinguendum puto, vtrum præſes præſens ſit,an abſit, vel an ipſe legatus abſit, puta, in alias ciuitates prouinciæ à præſide miſſus:vt tum omnia illa habeat, quæ ſupra dixi, lictores,faſces,tribunal.ſecus ſit,præſente præſide. Et valde placet ſcriptura libri Florentini in l.1.§. abolitio. 8.ff.ad SC. Turpillian, *Abolitio priuatim à præſidibus poſtulari ac imperari ſolet. Item pro tribunali, non de plano. Nec præſens hanc cognitionem alteri demandare poteſt.* ex eo enim quod pro tribunali peti debere eum cognitionem dixit, demandari non poſſe concludit à præſenre, quia ſcilicet præſente præſide legatus tribunal non habeat, in aliis libris præſes legitur: Quæ vna cum altera voce coniungi poteſt, Sed & aliter exponi d.l.moris. poteſt.nimirum hoc ait,prohibitum poſtulare apud tribunal præſidis, non prohiberi apud legatum agere, non tamen inde ſequitur, ergo legatus non habet tribunal. Imo & præſente præſide dubitandum non eſt, quin pro tribunali ipſius ſedere, & ius dicere legatus potuerit: imo & alius cui modo mandata iuriſdictio eſſet, vt infra ex oratore Ciceronis adnotaui, ſemper tamen tribunal præſidis dicitur. Nam & D. Paulus Act. Apoſtol. ante tribunal

Cæſaris

Cæſaris ſe ſtare ait, cum apud Procuratorem Cæſaris cauſam diceret. Illa differentia vt opinor, eſt inter legatum & magiſtratum, quod legatus non habeat, non ſolum ſuum, ſed etiam certum Tribunal, vt magiſtratus. Ex quo ſequitur, vt ſententiam dicere Legatus poſſit, etiam alio loco, quam ordinario & conſueto, dum tamen non ſecreto; cōtra magiſtratus tantum in ſuo, & certo, nec aliter ſententia valeat. l. cum ſententiam. C. de ſent. & interlocution. atq; ita reſpondit Angelus in Conſilio 217. De Adſeſſoribus minus dubia res eſt, quin Legatus proprios ſibi quoſdam habuerit, quod indicat etiam l. ſi quis forte. §. pen. ff. de pœn. vbi ſic legendum puto, *ſi quos comitum ſuorum, vel Legati ſui reos Proconſul* &c. Comites enim pro Adſeſſoribus & ICtis vel ſtudioſis accipi manifeſtum eſt, cum etiā priuatus quiuis, cui mandata iuriſdictio eſt, item Iudex à Principe datus proprios Adſeſſores habere dicatur, & adparitores in Nouellis Iuſtiniani. V. A Legato appellatur Proconſul, quaſi alius eſſet l. 2. Quis & à quo appell. Ab eo cui mandata eſt iuriſdictio, ipſe Prætor vel præſes non appellatur, quia idem ab eodem adpellari videretur: ſed is qui ab eo appellaretur, à quo ipſi mandata iuriſdictio, non quod legatum ſuo quodam iure potius, quam Proconſulis ius dixiſſe exiſtimem, vt male Cuiacius cōtra Aurelianum Robertum, aliique prodiderunt: ſed quia non à Proconſule, ſed à Senatu, vel Principe Legati munus obtineret. Quare nec à Proconſule remoueri temere poteſt, vel inconſulto Principe, vt antea dictum. Imo nec iudiciū vel animaduerſionem in Legatum ſuum Proconſul vel Prætor habuit. Cicero Verr. 3. *Cum ad C. Neronem Samo*

Digitized by Google

veniſſent, reſponſum tulerunt, eiuſmodi querimonias, quæ ad Legatum populi Rom. pertinerent, non ad Prætorem, ſed Romam deferri oportere. Si Nero in alienum legatum, qui in ſua prouincia deliquerat, C. Verrem non putauit ſibi vllum ius eſſe: multo minus Dolabellæ cuius is legatus erat, hæc poteſtas fuit, cum in aliena prouincia legati eſſent plane priuati, non item in ſua, in qua nec remoueri, vt dixi, potuit. Eadem ſcilicet ratione, qua & Imp. Iuſtinianum vti video in Nou. de defenſor. §. iuſiurandum. non habere Præſidem Prouinciæ poteſtatem remouendi Defenſores, ſed Præfectum Prætorio à quo creantur & confirmantur: ὥστε, inquit, ἐκεῖθεν αὐτοῖς γίνεσθαι τὴν τοῦ φροντίσματος ἀπαλλαγὴν, ὅθεν καὶ δίδονται. Cui conſequens eſt, quod eadem Nouella cauetur in §. 5. nimirum à Defenſoribus appellari ipſos Præſides, quaſi alios: vt à Legato Proconſulẽ diximus, quaſi alium. Interdum & Legati Cæſaris magiſtratus & Defenſores Ciuitatum creat. Guntherus lib. 9. Ligur. *per quas ſtatuantur in omni vrbe magiſtratus & ciuica quæq; poteſtas.* VI. multa habent Legati ſpecialiter & nominatim ſibi delata lege, nõ ex mãdata iuriſdictione veluti, Tutorem dare, ex oratione D. Marci l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. Item omnẽ legis actionem, puta, vt apud eum manumittatur l. apud Proconſulem 17. ff. de manum. vind. Nam quod in l. 2. §. 1. ff. de offic. Proconſ. ſcriptum eſt, *Apud legatum vero Proconſulis nemo manumittere poteſt, quia non habet iuriſdictionem talem.* & in l. ſeq. *Nec apud eum adoptare: omnino enim non eſt apud eum Legis actio:* ſatis à viris doctiſſimis reſponſum eſt, id intelligendum eſſe, antequam in Prouinciam Procõſul ingreſſus ſit, cum tamen ipſe Proconſul id ius etiã

in iti-

inere,ſtatim atque vrbe egreſſus eſt,habeat, vt
inc.d.l.2.ſcriptum eſt. Dices,ſi id iure ſuo Le-
s habet,quid opus eſt Proconſulis in prouincia
eſſu? Ego autem plus dico, etiam Proconſule
in prouinciam ingreſſo,non eſſe apud Legatū
ius, vel hāc iuriſdictionem, niſi prius mandata
Proconſule fuerit iuriſdictio.Nec propterea ta-
recte cōcluſeris,Ergo ex mandato habet,non
proprio.nam & municipalis magiſtratus dici-
non habere ius dandi tutoris,niſi mādato, vel
ſu Præſidis præcedente.§.vlt.Inſt.de Attil.tuto.
amen habet id iure proprio d.l.1.§.legatus. Ne-
e hæc ſunt contraria. Habent enim ea legati &
uumuiri à lege, ſed cum ea conditione ſi prius
andata Iuriſdictio eis ſit,vel Præſidis iuſſus præ-
eſſerit,vt ad d.Orationem D.Marci de Tutoribus
xpoſui. Fruſtra igitur doctiſſimi interpretes tu-
ultuantur, quorum alii in d. l.apud.§.1.de man.
iud.negationem delent, alii d.l.2.& d.l.3.de off.
Proconſ.ſic exponunt,vt negent legatum iure ſuo
abere legis actionē: adfirment beneficio alieno,
d eſt,mandata à Proconſule iuriſdictionis vi ac po
teſtate,in quibus Bodinus lib.3.de Repub.& Ho-
toman.li.2.ca.1.Amica.reſponſ.De huiuſmodi re-
bus,quas iure proprio legati habent, ſed non ante
mandatam à Proconſule iuriſdictionem,interpre-
tandum videtur,quod Pomponius ſcribit. Legati
Proconſulis nihil proprium habent,niſi à Procon-
ſule eis mandata fuerit iuriſdictio.l.Legati 12.ff. de
off.Proconſ.quaſi poſt eam mandatum habere ali-
quid proprium incipiant,vt certe habēt. propriū,
inquam,& ſuum,id eſt ſibi ſpecialiter à lege vel cō-
ſtitutione Principis tributum:non proprium id eſt

Proconſulis, vt memini alibi ex Donello dicere, non etiam tanquam legati iuriſdictio Proconſularis iuriſdictionis portio eſſet, vt perperã Cuiacius lib.8.obſeru.38. Eſt enim non portio, ſed ipſa Proconſulis iuriſdictio: quam autem propriam Legatus habet, illa non Proconſulis, ſed ipſius Legati, vtpote ei à Lege data ſpecialiter ac nominatim. Et perperam item alibi in l. cognitio.§.1.de offic.eius. Cum propriam iuriſdictionem Legatis tuis dederis quaſi in hoc Proconſulis Legatus ab alio differat, quod is proconſulis ipſius iuriſdictionem habeat, ſic vt propria ſit eius effecta, præſertim ſi abſit: alius vero cui mandata iuriſdictio eſt, non propriam illam mandantis, ſed alienam licet beneficio mandatoris habeat. In omnibus enim mãdata Iuriſdictio beneficio alieno obtinetur, nec fit ipſorũ propria, ſed remanet perpetuo eorum qui mandarunt. Illi autem ſemper propriam & ſuam mandant, id eſt, quam ſibi à lege datam, & delatam habent: nam alienã nemo mandare poteſt l. more.l.& quia.ff. de Iuriſdict. Sed in hoc, vt dixi, differt Legatus ab aliis, quod is quædam propria, & ſuo iure, nimirum lege ſibi delata habeat, quæ alii nõ habent. In quibus an etiam iudicis dandi ius numerabimus? Adfirmat id quidem eruditiſſimus Hotomannus, eodem li.2.c.1.& lib.3.c.4.obſeruationum. per l.cum prætor 12.§.1.ff.de iudic. ex qua dicit, Legato poteſtatẽ dandi Iudicis, vel lege, vel conſtitutione Principis nominatim adtributam fuiſſe. quod pugnare ait cum l.Legatos. de offi.Procõſ. vbi ſcriptum eſt, Legatum mandata ſibi iuriſdictione, iudicia dandi poteſtatem habere, quaſi Iuriſdictionis mandato, tacite ac vi ipſa ea poteſtas cõtineretur. Sed multa

hic

ccat. Primum quod ait, Nemini ius eſſe iudi-
are, niſi cui per legem aut principem nomi-
 permiſſum eſt. Neque enim hoc Paulus ibi
Nemini ius eſſe &c. Sed iudicem dare poſſe,
us id lege vel conſtitutione, vel SCto conce-
, non tamen negat etiam alios habere: alio-
ſe ipſe refelleret, qui mox alios enumerat,
us id more conceſſum eſſe ſcribit, itẽ eos, qui-
mandata eſt iuriſdictio: & addit diſerte, vt ſunt
ati Proconſulum: in quo alterum peccatũ Ho-
ãni eſt. Tertiũ eſt in eo, quod ipſe de ſuo adii-
ſententiæ illi Paulinæ, vocabulum, *Nominatim*,
ue bis fecit. Nam ſi nominatim Lex, vel SCtũ,
conſtitutio Principum iudicis dandi poteſtatẽ
dit, neceſſario ſequitur, non poſſe hoc ius man-
i, nec mandata iuriſdictione tranſire, ex certiſſi-
 Papiniani definitione in l. 1. ff. de offic. eius. At
ulus dicit, eos omnes iudicem dare poſſe, quib.
andata eſt iuriſdictio. In eodem errore video, &
dignor, eruditiſſimum etiam Goueanum verſa-
m, qui legato Proconſulis non aliter, quam lege
s dandi iudicis competere ſcribit. Et ſane iuriſdi-
tio in iudicibus dandis potiſſimum cõſiſtit, & iu-
icis dandi licentia Vlpiano definitur l. 3. in fin. ff.
e iuriſdict. quod de legato diximus, idem & de
Quæſtore Proconſ. cuius maior, quam legati di-
gnitas & poteſtas erat, dicendum eſt; charitas erga
Proc. tanta, quanta more maiorum filii erga patrẽ
debet, & vice verſa. Cicero, Plinius, alii. Non tamẽ
iuriſdictionem ſine mandato habuit Suetonius in
Iulio: *Quæſtori vlterior Hiſpania obuenit: vbi cum mandato Prætoris iure dicundo conuentus circumiret Gadesque veniſſet, &c.* Et Cicero Verrina 3. Vbi

hoc Quæſtori *Cæcilio nunciatum eſt, vocari ad ſe Agonidem iubet: iudicium dat ſtatim, Si pareret eam ſe & ſua Veneris eſſe dixiſſe. Iudicant recuperatores* Intelligendũ eſt enim ex mandato Iuriſdictionis à Prætore Verre acceptæ id potuiſſe Cæcilium facere non iure ſuo. Quare ſequitur ibidẽ: *Lilybaum Verres venit poſtea: rem cognoſcit, factum improbat: Cogit Quæſtorem ſuum, &c.* VII. Et poſtremo etiam merum imperium interdum legatus habet, de qua re expoſui libro, quem de illo imperio ſcripſi. De imperio vero militari res notior eſt, quam exprimi debeat. De Adiutore ſupra dixi, Legato eundem videri: ſed vt puto, plus quidam erat & forte pari imperio cum Proconſ. certe non ab eo ſic dependebat, vt Legatus, quem Cæſar ait, omnia ad præſcriptum agere debere. Et Adiutores ad bellica fere negocia datos arbitror, vt illum Manlium Catoni Conſuli, & alios, apud Liuium. Tacitus etiam diſtinguit in oratione Tiberii libr. 3. Annal. *Patris ſui legatum atque amicum Piſonem fuiſſe, adiutoremque Germanico datum à ſe, auctore ſenatu, rebus apud Orientem adminiſtrandis.*

CAPVT XI.

De mandata iuriſdictione.

SCribit Pomponius initio Reipub. Conſules iuridicundo præfuiſſe: ſed cum bellis finitimis auocarentur, Prætorem, qui ciuibus iura redderet, creatum fuiſſe, deinde multo plures additos, quibus & ipſis vti Conſulibus, bella & Prouinciæ mandarentur. Qui vero in vrbe ius adſidue atque ordi-

inario dicerent, duo fuere, Prætor Vrbanus, & Prætor, & maior Prætor per excellentiam tus, teſte Feſto, & Peregrinus l. 2. ff. de orig. iur. cuius Prætoris Vrbani officio atq; imperio lex a eſt, quam Lectoriam Cenſorinus adpellat. *Præ- Vrbanus duos lictores apud ſe habeto. uſq; ad ſupremum is occaſum ius inter ciues dicito.* Alii Plętoriam recti- vocant, fuit enim plebiſcitum à M. Plætorio tib pl. rogatum. Igitur loco Conſulum hi Præto- s ius dixere, vrbique (vt loquitur Liuius) præfue- . Iuriſdictionem tamen à lege, non ex mandato onſulum habuerunt: ſuam igitur, non alienam. uamquam ius hoc mandandæ iuriſdictionis iam nde ab initio, quin Conſules aliique magiſtratus abuerint, dubitari non debet. Tacitus li. 6. Anna- ium. *Namq; antea profectis domo Regibus, ac mox magi- ſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac ſubditis mederetur. feruntq; ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Mar- cium, & ab Tarquinio Superbo Spur. Lucretium impoſitos Deni Conſules mandabant &c.* Sic profectus ad bellũ M. Æmilius Lepidus, cuius peregrina ſors erat, an- tea iuriſdictionem ſuam mandaſſe Collegæ Attilio Præt. Vrbano dicitur Liu. li. 34. Imo hoc ius fuiſſe etiam ante leges XII. tab. reperio. Qua de re, niſi fallor eſt præclarus ille Dionyſii locus intelligen- dus li. 10. Antiquit. de cuius lectione atque inter- pretatione ambigere Interpretes video: Verba hęc ſunt, poſtquam regibus exactis Conſules ius inter ciues reddidiſſe, demonſtraſſet: ἐκεῖνοι, inquit, τὰ δίκαια οἱ διαιροῦντες ἦσαν. τούτων δὲ τὰ μὲν πολλὰ τοῖς ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων ἀριςίν- δην ἐπιδεικνυμένων ἀκόλουθα ἦν ἐπὶ τὰς ἀρχάς.

Placet vehementer Scholion eruditiſſimi Cuiacii ꝙ ad illa verba ἐπιτρόποις τῶν ἀρχόντων adſcripſiſſe dicitur, *His quibus mandaſſent iuriſdictionem.* Hoc enim vult Dionyſius dicere, vt equidem exiſtimo, Procuratores, & quaſi vicarios conſulum, qui ex optimatibus & patriciis creari ſolebant, iuriſdicendi poteſtatem magnam partem ex mandato Conſulum habuiſſe, quia ea tanquam conſequentia & cohærentia magiſtratibus habuerint, eoque & ius mandandi more maiorum. l. 1. & paſſim de offic. eius cui mand. l. more. ſ. l. & quia, ſeq. ff. de iuriſdict. male & ſine vllo ſenſu omnes interpretes, *ad imperium comitabantur*, verterunt. Eleganter autem atque erudite Dionyſius ἐπιτρόπους vocat, quibus mandata iuriſdictio eſt. Tales enim reuera Procuratores ſunt, qui ſcilicet aliena negocia mandatu domini adminiſtrant, l. 1. ff. de Procurat. Quare Labeo à Procuratoribus argumentum ducit ad eos, quib. iuriſdictio mandata eſt, vt iuriſdictionis mãdatum morte magiſtratus, qui eam mandauit, ſoluatur: Sicut in reliquis cauſis, inquit, d. l. & quia, in fin. Illud etiam rectiſſime Dionyſius, quod pleraq; iuriſdictionis (ita enim intelligẽdum eſt, quod ait, τούτων τὰ πολλά: dixerat enim proxime τὰ δίκαια: ne quis ad alia munera regia ſupra nominata, referat: quæ nemo dixerit mandari) pleraque igitur iuriſdictionis, vel iuriſdictionem maiori ex parte mandare ait ſolitos Conſules. neque enim omnis iuriſdictio mãdari, id eſt, omnes cauſſę iuriſdictionis poſſunt: exceptæ ſunt quædam, de quibus ipſi cognoſcere Conſules, aliiſque magiſtratus ex officio coguntur, quib. eæ vel lege, vel SCto ſpecialiter nominatimq; tribuuntur l. 1. in pr. ff. de offic. eius.

Vtrum autem ἐπιδεικνυμένων an ἀποδεικνυμένων legas, parum intereſſe arbitror, niſi quod malim id verti ad Procuratores,& vicarios magiſtratuũ, nõ ad ipſos magiſtratus referri, vt legatur ἐπιδεικνυμένοις. neque enim ſolos magiſtratus dicere Dionyſius vult ex optimatibus creatos fuiſſe, ſed ipſos etiam vicarios, quibus illi iuriſdictionem mandarent, ex eo genere delectos fuiſſe: vnde eueniebat, quod mox ait, vt iuris ciuilis & legum cognitio ac poteſtas penes ſolos patricios eſſet, quod plebs, eiuſque authores ac principes querebantur. Ex quo etiam (vt hoc obiter moneam) acerbitas reſponſi illius, quod Mutius Seruio Sulpitio dedit, intelligitur, *Turpe eſſe patricio & nobili, & cauſſas oranti ius, in quo verſaretur ignorare.* Proxime ad Dionyſii verba; νόμων, inquit, ὧν, οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι διὰ τὰς ἐν αὐτῇ διατριβάς. l. 2. §. Seruius. ff. de orig. iur. Ius in quo verſetur, ignorare, cuiuis turpe eſt: cur ergo patricio, inquit, & nobili? nimirum quod, vt Dionyſius ait, ſoli Patricii ſcientiam iuris habere conſueuerant, vt qui ſoli in ius cognitione atque vſu verſarentur. Sed hanc Q. Mutii ſententiam & obiurgationem non aliunde melius intelliges, quã ex libr. 1. Cicer. de Oratore. vbi exempla ridicula Oratorum ius ciuile ignorantium: & totus ille locus diuinitus in laudem iuris ciuilis à L. Craſſo introductus.

CAPVT XII.

Quid ſit Iuriſdictionem mandare: alia.

IVriſdictionem mandare licere in comperto eſt. Mandare autem eſt rem adminiſtrandam vel

gerendam alteri committere. l.& quia. ff. de iuriſdict. l. 1. in pr. ff. de Procurat. Habent magiſtratus iuriſdictionē à lege: ſimul ac enim magiſtratus creati ſunt, iura etiam magiſtratuum obtinent, inter quæ præcipuum eſt iuriſdictio, cui imperium cohæret. l. vlt. de offic. eius. l. 3. de iuriſdict. vt adminiſtrationi ipſi (nihil eſt enim magiſtratus, niſi procuratio quædam Reipub.) cohærere iuriſdictio dicitur, in l. vlt. C. vbi & apud quem in integ. reſtit. Iuriſdictio igitur habetur iure proprio, id eſt, iure magiſtratus: atque hoc eſt, quod Iulianus ait, qui iuriſdictionem ſuo iure non alieno beneficio habent. l. more. ff. de iuriſd. At iuriſdictionem mandant magiſtratus, vt opinor, non tam lege ac iure ipſius magiſtratus (eo enim iure, potius ipſis iuriſdicendi munus incumbit, atque iniungitur) quam more maiorum, vt inquit idem Iulianus; & Paulus, *more conceſſum eſſe magiſtratibus populi Rom. iudicem dare propter vim imperii* in l. cum prætor. §. 1. ff. de iudic. quem morem hic à lege ſeparo & iure magiſtratus. Lex & ius magiſtratus, qui & ipſe à lege eſt, iuriſdictionem dant, ſed mos mandandæ eius poteſtatem tribuit. *More maiorum comparatum eſt*, inquit. Hic tamen mos pro lege eſt: atque ita etiam doctiſſimus Zaſius, Sculteros in Germania ait, ſiue Prætores vrbium in caſum abſentiæ, vel grauis impedimenti, paſſim ſolere iuriſdictionem ſuam mandare ad tempus priuatis hominibus, puta, vni ex Adſeſſoribus, vel iudicibus, vel etiam adparitoribus: eoſque interim iudiciis præſidere, & vice ac partib. magiſtratuum fungi, ne quis eludere forte eorum iudicia poſſit, quaſi carentia capite iuriſdictionis, quod notatu dignum dicit,
cum

cum ſint huiuſmodi vicem gerentes in Germania multum conſueti : idque ex frequentiſſima diſci conſuetudine, quæ pro lege habetur. Iſti igitur ſunt, quos Iulianus ait alieno beneficio iuriſdictionem habere, id eſt, magiſtratuum, qui eis mandant: magiſtratibus autem non mandare lex dicitur, ſed dare iuriſdictionem: mandatam autem à magiſtratibus non dare, ſed confirmare d.l. & quia, & ideo eum cui iuriſdictio mandata eſt, lege confirmatum vocat l. pen. ff. de iudic. Quod & Adcurſ. in vlt. gloſſa illic ſentit. Quid ſi Princeps alicui magiſtratui mãdet aliquid, quod antea ad eius iuriſdictionem pertineat? Dicendum eſt non propriam mandatam ei iuriſdictionem eſſe, ſed quam habeat, excitatam, vel diligentius iniunctam. Effectus eſt: nam in ea re adpellabitur non ad Principem, ſed ad alium proximum qui eo magiſtratu ſuperior eſt, tanquam ſi ea res à principe mandata non eſſet. cap. licet in corrigendis. ext. de offic. iud. ordin. Nam ſi ex mandato, & tanquam delegatus cognoſceret, ad ipſum Principem adpellari deberet, vt recte illic gloſſ. notat. ex. cap. ſuper quæſtionum de offic. deleg. vel ſi Principis delegatus alteri cauſam delegauerit, ad ipſum delegantem, non ad Principem. Qua de re videnda etiam nobilis gloſſa in l. vn. in fin. Cod. qui pro ſu. iuriſdict. Recte igitur & proprie dicitur magiſtratus iuriſdictionem ſuam mandare, quo ſignificatur non propterea ius & veluti poſſeſſionem à ſe iuriſdictionis abdicare, & in alterum transferre, ſed adminiſtrationem tantum, & exercitionem in eum conferre, qua te is, cui mandata eſt, dicitur vice & partibus magiſtratus mandantis fungi,

l.ſolet.ff.de iuriſdict. Nec vſquam reperias in iure ciuili dici iuriſdictioné à magiſtratu dari, ſed ſemper mandari. At lex dare proprie &deferre dicitur, non mandare opinor. l. & quia. ff. de iuriſd. Princeps & dare, & mandare. Ambroſ. Epiſt. 29. *Refertur, cognitionem mandatam iudici, ſcriptumq; eo, quod nõ referre debuerit, ſed vindicare.* Sed hic cognitio, quæſtiones publicas ſignificat: quomodo & apud Liuium ſæpe legas, quæſtiones Conſulibus vel aliis mandatas à populo vel Senatu, non ſimplicem & nudam notionem, qualem iudices dati habent. tunc enim non proprie dicatur magiſtratus cognitionem mandaſſe: ſed dediſſe, vt iudicium dare, non mandare. Neque hæc differentia ſolum in verbis eſt, ſed & in iure. Nam qui mandata iuriſdictione vtitur nihil propriũ habet, ſed eius qui mandauit iuriſdictione vtitur, inquit Papinianus in l. 1. §. 1. ff. de off. ei. vice eius qui mandauit, nõ ſua fungitur, inquit, Vlpianus l. ſolet. ff. de iuriſd. etiamſi Collegæ, puta, Prætori mandata ſit. l. etſi ff. de offi. eius. At iudex datus in cognoſcendo & pronunciando vtitur cognitione & poteſtate ſua, non eius qui dedit. Cognoſcit enim plerumque de facto: ius accipit ex formula actionis à Prætore data. Hinc illud Papiniani, Facti quæſtiones in poteſtate iudicis eſſe. l. 1. ff. ad SC. Turpill. Quare nec referre quidẽ de huiuſmodi quæſtionibus ad magiſtratum poteſt conſilii gratia, vt ab eo informetur l. placet. 3. C. de pedan. iudic. Poteſtas exequendi & coercẽdi eſt eius, qui iudicem ipſum addixit. l. à Diuo Pio. de re iudic. Poteſtas enim iudicis ſententia pronunciata finitur. l. iudex poſteaquam. ff. de re iudic. l. ſi vt proponis. C. quo. & quan. iud. At non tamen ſenten-

ſententiam eius immutare magiſtratus poteſt, ſed cogitur eam exequi vt lata eſt: niſi in ſpecie l. duo iudices.ff.de re iudic. Atq; hoc eſt illud, quod vulgares interpretes dicunt, Iudicem delegatum imponere legem deleganti, niſi ſit Princeps vel Pontifex Summus, qui legem ſibi non poſſe imponi dicit c.ex inſinuatione.ext.de adpellat. Poteſt tamen magiſtratus etiam poſt litem conteſtatam vetare iudicem iudicare.l.iudicium ſoluitur. ff. de iudic. Idem enim poteſt, & eum, cui iuriſdictionem mãdauit. Illud plus eſt in iudice dato tamen, quod ſi is eiuſdem eſſe imperii cœperit cũ eo. qui eum dedit iudicium ſoluatur d.l.in fin. At mãdata iuriſdictio non propterea ſoluitur, cum & ab initio mandari pari vel maiori potuerit.l.etſi prætor.ff.de off.eius.

CAPVT XIII.

Quatenus liceat iuriſdictionem mandare & quibus.

VLpianus lib 3. de omnibus Tribunalib. *ſolet*, inquit, *Prætor iuriſdictionem mandare, & aut omnem mandat, aut ſpeciem vnam*.l. ſolet.ff.de iuriſdict. itemque & de ſpecie vna ſiue negotio, & in perſonas certas.l. prætor.ff.eod.tit. Qua in re, vt in aliis cauſſis mandati fines diligenter ſeruandi ſunt. Idque adeo verum eſt, vt mandata in perſonas certas iuriſdictione alicui, non poſſit in eum ab aliis perſonis conſentiri, vt ius dicat inter eos: quia hoc proprium eſt eorum, qui Iuriſdictioni & tribunali præſunt, qui vero mãdatam iuriſdictionem habet, extra mandatũ nihil habet, neque ei conſenſu priuatorum dari iuriſdictio poteſt.c.Petro.ext. de off.

de l. 2. de iudic. l. priuatorum. C. de iuriſd. Idem in prouinciis locum habet, præſertim in Proconſule, qui legatum ad id vnum habere videtur, vt ius di-cat. Quare ſimpliciter ac generaliter ſolet ei ſimul ac prouinciam ingreſſus eſt, iuriſdictionem ſuam mandare, interdum & antequam in prouinciam veniat. l. obſeruare §. fi. & l. ſeq. & paſſ. ff. de offi. Proconſ. Prætorem vero iuriſdictionem ſuam omnem mandaſſe non memini legere, niſi cum abeſſe Roma cogeretur. tunc enim totam neceſſario mandabat, & collegæ fere, vt de Lepido ſupra dixi. Nam hoc vnum Prætores agebant, vt ius dicerent, cum innumeri magiſtratus alii eſſent, variis muneribus præpoſiti ſinguli. At Proconſul vel Præſes prouinciæ omnium vnus magiſtratuum Vrbanorum vices ſuſtinebat. *Cum pleniſſimam*, inquit Vlpianus, *iuriſdictionem Procoſ. habeat: omnium partes qui Romæ vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad eum pertinent, & ideo maius imperium in ea prouincia habet omnibus poſt Principem, Nec quicquam eſt in prouincia, quod non per ipſum expediatur.* dict. l. obſeruare §. fin. & ll. ſeqq. duabus. Vulgares Interpretes eum, cui omnis à magiſtratu mandata eſt iuriſdictio, delegatum ad vniuerſitatem cauſarum dicunt; & in exemplum etiam dant Legatum Proconſulis, recte hoc gloſſ. in cap. cum cauſſam. in verbo Delegatus ext. de Adpellat. Illud non recte, quod Delegatum adpellant eum, cui Princeps cognitionem omnium cauſſarum in aliquo, vt aiunt, territorio vel diſtrictu delegauerit. hic enim habet iuriſdictionem propriam, non vicariam atque mandatam, vt alii, qui magiſtratuum vice & partibus fungi dicuntur mandata eis iuriſdictione,

riſdictione, vt etiam ipſi Legati Proconſulum, quos habere tamen propriam iuriſdictionem Cuiacius dicit lib. 10. Cod. Tit. 16. & in obſcru. Sed illis hoc perpetuum eſt, eum cui mandata Iuriſdictio eſt, cum Iudice dato confundere. Quod autẽ diximus omnem Iuriſdictionem à Prætore alioue magiſtratu mandari poſſe, ſic temperandum eſt, vt eæ cauſſæ excipiantur, quæ ſpecialiter & nominatim lege, vel SCto, vel conſtitutione Principis tribuuntur: de quibus infra paulo poſt. Illud non refert, cui nam iuriſdictio mãdetur priuatis ne, an magiſtratui, & magiſtratui vtrum pari & collegæ, an etiam maiori. volenti enim & ſuſcipienti mandatur, cum in parem nemo habeat imperium, & ideo is qui mandatã ſuſcepit, nõ ſuo imperio, ſed mandantis vtitur. d. l. 1. & d. l. 3. de off. eius. d. l. ſolet. De iuriſd. quod eo pertinet, vt ſi quid ſit, quod is qui mandauerat, facere non poterat, neque is cui mandata ab eo Iuriſdictio eſt, in ea re poſſit. quãuis alias ſi ſuo imperio ſuaque iuriſdictione, vteretur, omnino id poſſet. Priuato autem mandari iuriſdictionem poſſe conſtat, ſatiſque ex eo colligitur, quod Paulus ait, mandata iuriſdictione etiam imperium, quod nõ eſt merum, tranſire: alioquin nulla eſſet iuriſdictio, quæ modicam coercitionem non haberet. l. vlt. ff. de offic. eius. Iure Canonico non facile iuriſdictio mandatur priuato, ſed iudici ordinario vel Canonico. c. ſtatutum. in pr. extra de Reſcript. lib. 6. Vbi Pontifex loquitur non ſolum de cauſſis, quæ auctoritate literarum ſedis Apoſtolicæ, vt ait, id eſt, à Pontifice, ſed etiam à legatis eius committuntur: additque, ne alibi audiantur, quã in ciuitatibus vel locis inſignibus, vbi poſſit com-

mode copia peritorũ haberi. Quod valde placet. Pertinet enim ad dignitatem, atque authoritatem iudiciorum, ne priuatis hominbus Iuriſdictio ſit: cum neque inſignib. magiſtratus vti poſſint, quãuis pro tribunali ſedere poſſint, in quo hæſitaſſe doctiſſimus Goueanus videtur, cum ait, *id magis eſſe, exemplo Legati.* quod futile eſt, vt ex iis, quæ de Legato ſupra tradidimus, adparet. ſed eſt ad hanc rem locus inſignis apud Ciceronem li. 1. de oratore. *Quid his paucis diebus* (inquit Craſſus) *nonne nobis in Tribunali Q. Pompeii Prætoris Vrbani familiaris noſtri ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi, vnde peteretur, vetus, atq; vſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ fuiſſet?* Nimirum Craſſo mandata Iuriſdictio erat, itaque & in Tribunali ſedebat & poſtulationibus operam dabat in Tribunali ſedens, neq; aliter licuit l.2.§.2.ff.quis or.in bon.poſſeſ.ſeru.maximam autem vim, & reuerẽtiam apud omnes eſſe inſignium, quibus magiſtratus vtuntur, manifeſtum eſt, quo pertinet & l.1.ff.de poſtul. Eandẽ rationem, quæ Pontificibus noſtris, fuiſſe olim Claudio puto, de quo ita Dio: πολλάκις δὲ καὶ τοῖς ὑπάτοις τοῖς τε στρατηγοῖς καὶ μάλιστα τοῖς τὴν διοίκησιν ἔχουσι συνητάξετο, καὶ ὀλίγα παντελῶς τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις ἐπέτρεπε: ſine dubio ad dignitatẽ iudicum reſpexit, iuriſdicundi maieſtatem. Cæterum priuatũ, ſi ſit iuriſdictioni magiſtratus ſuppoſitus, iuriſdictionem ab eo mandatam in aliqua ſaltem ſpecie ſuſcipere cogi, dubitandum non eſt: cum & minor magiſtrat⁹ à maiori cogi poſſit. imo etiã par & collega, ſi aliqua ratione ſit mandanti in ſpecie mãdata ſubiectus. Exẽpli gratia ſi idẽ ſit Conſul, & Pontifex maximus, eius autẽ Collega Flamẽ. Ci. Phil. 11.

Craſ-

Craſſus Conſul, Pontifex maximus, Flacco collegæ Flamini Martiali multam dixit, ſi à ſacris diſceßiſſet: quam multam populus Rom. remiſit. Pontifici tamen Flaminem parere iußit. qua de re & apud Tacitum diſputari memini. Idque eo magis probandum eſt, ſi talis cauſſa ſit, quæ non ciuius etiam magiſtratui, vel ſacerdoti mandari poſſit, vt iure Pontificio nonnullæ enumerantur à gl. in c. à qua. ext. de conſecrat. Eccleſ. vel alt. quæ non poſſunt cuiquam inferiori, quam Epiſcopus ſit, committi. Et generaliter illo iure Pontifex non delegat cauſſas vllas, niſi iuris in dignitate aliqua conſtitutis, puta, Abbati, Epiſcopo, iuris Doctori, &c. d. cap. ſtatutum ext. de reſcr. lib. 6. Vnde quæſitum ſcio, an ſi poſtea deſierit in illa dignitate eſſe, vel priuatus ea fuerit, duret cõmiſſio, & verius eſt durare, vt notat Iaſon in l. ſi quis heredum C. de inſtit. & ſubſt.

CAPVT XIV.

Specialiter vel nominatim mandari quid dicatur: item more maiorum.

PApiniani definitio eſt, vt ea mandari delegarique poſſint, quæ magiſtratib. ſuo iure, id eſt, magiſtratus ratione ac iure competunt: ea mãdari nõ poſſint, quæ ſpecialiter lege, vel Senatuſconſ. vel Conſtitutione Principis, eis tribuuntur. l. 1. ff. de offic. eius. l. muto. §. tutoris. ff. de Tutel. cum ſimilibus. Cum autem iuriſdictio, quam nunc proprie & ſtricte ſic accipio pro ea, quæ in ciuilibus cauſſis verſatur, ſua natura magiſtratui competat, & cohæreat: ideo pro regula habendum eſt, omniũ cauſſarum ad iuriſdictionem pertinentium cognitio-

nem poteſtatemue mandari poſſe:excipi duntaxat quaſdam ſpecialiter, vt dixi, magiſtratib. tributas. Hinc illa Vlpiani ſententia,mandata iuriſdictione vniuerſum iuriſdicundi officium tranſire l. 1. §.an autem.ff.de ſuſpect.tutor. Si igitur cognouerimus quæ nã illa ſint, quæ ſpecialiter lege tribuãtur, eadem opera,&quæ mandari poſſint,mandataq; iuriſdictione tranſeant,intelligemus.ſed prius explicãdũ eſt, quid ſit ſpecialiter tribui, vel dari:deinde præter legem quænam alia pars iuris hanc vim poteſtatemue habeat.Specialiter,quo verbo Papinianus & Vlpianus vtuntur in l.1 ff.de off.eius.& in l. muto.§.tutoris ff.de tutel.& al.idem eſt,quod nominatim vel ſigillatim certo alicui magiſtratui dare atque iniungere.non dico,certæ perſonæ, &, vt loquimur,indiuiduo,puta,Titio,quãuis nihil vetet,& perſonam ipſam interdum exprimi : quod pleramq; fit in Principum reſcriptis atq; mandatis certum ad hominem directis.Exemplo ſit Diui Seueri ad Fabium Chilonem Præf.vrbi ſcripta Epiſtola, in cuius initio ita ſcriptum fuiſſe Vlpianus refert.*Cum vrbem noſtram fidei tuæ commiſerimus*, qua epiſtola merum imperium & omnium criminum coercitionem ei dedit. Qualem poteſtatem,ſed nõ tã amplã tamen Mœcenati Auguſtus tribuerat, cum vrbi eum præficeret.Sed & ſine nomine perſonæ idem efficitur magiſtratus nomine vſurpato, vt in eiuſdem Seueri oratione, quam de prædiis minorum ſine decreto non alienandis in ſenatu habuit,ita eſt: *Quod ſi forte æs alienum tãtum erit,vt ex rebus cæteris non poſſit exſolui: tunc Prætor vrbanus vir clariſſimus adeatur, qui pro ſua religione æſtimet, quæ poſſint alienari,obligarive debeant.* L.1.§.1. ff. de rebus eorum

qui

qui ſub tutel. Amplius dico etiamſi ſpecies cauſſæ, vel cognitionum nõ exprimantut, ſufficere tamẽ, vt ſpecialiter cui tributæ cenſeantur, ſi poteſtas ei cõcedatur cognoſcendi de iis, quæ alius ſpecialiter à lege ſibi delata habet. Exemplũ illuſtre in l. 2. C. de off. eius qui vic. alt. iud. qua Cõſtitutione Vicarii omnia, quæ ſpecialiter præſidib. tributa ſunt, conſequuntur, cũ pauca quædam ex iis conſtitutione illa nominẽtur. ſic enim ſancit: *Eos auctoritatẽ habere tutores ſeu curatores petentib. dare, decretum etiã interponere ad alienandas minorum ſimiliumq; eis perſonarũ, ſeu curialium facultates, & emancipationes quoq; legib. celebrare, & omnia quæ ad iuriſdictionem Rectoris prouinciæ pertinẽt, actitare*, qua generali ſubiecta clauſula nõ ſolũ ea quæ Præſidib. iure magiſtratus cõpetũt, Vicariis concedũtur: ſed alia etiam quæ ſpecialiter iis tribuuntur, quę multa ſunt præter ea, quę antea nominauit: veluti cognitio de tranſactione alimentorum teſtamento relictorum l. cum hi. §. 6. ff. de Tranſact. Exempla autem illa idcirco poſuit, quia alioquin generali data iuriſdictione non ſolẽt ea quoq; data intelligi, quæ ſpecialiter tribuuntur, quæque propterea iuriſdictionis eſſe ab Vlpiano negantur in dict. l. muto. §. tutoris. vt ſupra lib. 1. expoſui. Amplius dico, etiamſi neque generaliter, neque ſpecialiter aliquibus data ſit iuriſdictio, vel cognitio earum rerum, quæ ſpecialiter tribui ſolent, tamen iis ita competere, tanquam ſi ſpecialiter eſſent eis tributæ: Exemplo ſit, quam modo nominaui, cognitio de Tranſactione alimentorum, quæ ſpecialiter Prætori ac Præſidi Oratione Diui Marci tributa eſt. ea tamen, ſi alimenta fiſcus debeat, competit etiam Procuratori

Cæſaris,vel Pręfecto ærario d.l.cum hi.§. ſecundũ: ſed ita competit tamen, ne mandare eam poſſint: nam & Prætori ac Præſidi ſic competit d.l.cum hi. §.nec mandare. Tantum abeſt,vt ſigillatim omnes ſpecies enumerati neceſſe ſit,dum alio modo intelligãtur,&quod antea ſpecialiter interpretatus ſum nominatim & ſigillatim, eſt vt nominatim ipſum ſcilicet nomen rei vel perſonæ exprimere. Cicero pro Balbo. *Qua lege videmus ſatis eſſe ſancti,vt ciues Romani ſint ii,quos Cn. Pompeius de Conſilii ſententia ſigillatim ciuitate donauerit.* Non ſatis eſt ſpecialiter, & nominatim aliquam cognitionem alicui tribui: lex vel ſimilis cõſtitutio,quę pro lege habetur,eam tribuat oportet,puta,SCtum vel Principis conſtitutio,cuius plurima genera ſunt. l.1. ff.de Conſt. Princ. Hic duo cauenda nobis ſunt. Vnum eſt, etſi ſpecialiter,imo nominatim Princeps iubeat magiſtratum certum adiri & cognoſcere:non ſemper tamen cogi cognoſcere. Vt adcidit in huiuſmodi reſcriptionibus,*Eum qui Prouinciæ præeſt,adire potes:* nõ enim imponi neceſſitatem Proconſuli vel Legato ſuſcipiendæ cognitionis, quamuis reſcriptum ſit, ſine illa adiectione, *Is æſtimabit,quid ſuarum partium ſit:* ſed eum æſtimare nihilominus debere,vtrum ipſe cognoſcere,an Iudicem dare debeat: inquiunt Iulianus & Calliſtratus in l.ſæpe.8.& l.ſeq.ff.de of. præſid. Idque ſe Iulianus ſæpe Cæſarem ſuum dicentem audiuiſſe, ait. Sunt & reſcripta, quibus declaratur potius dubitationis tollendæ cauſſa, quid alicui magiſtratui competat, quam vt cognitio eis ſpecialiter aliqua detur. Tale eſt reſcriptum Impp. Seueri & Antonini ad Braduam Proconſulem Africæ,quo declarant, non de nouo ſanciunt, com-

petere

petere Legato eius cognitionem de ſuſpectis tutoribus,idq; vi mandatæ iuriſdictionis.l.cognitio. ff. de off.eius. ſecus dicendum eſt, ſi Principis oratio in ipſum Iudicem collata ſit, præſertim verbis efficacioribus,& de re graui.ſicut in reſcripto D. Pii. *Gemini clariſſime,velim audias eum, & ſi compereris hac ita admiſſa,rem ſeuere exequaris.* l. & eum. ff.ad l.Iul. de publ.Nemo non diceret, ipſum debere cognoſcere:quamuis alias Iudex à Principe datus,delegare etiam cauſſas rerum capitalium poſſit l. vn. C. qui pro ſua.Atque ita etiam decretum iure Pontificio reperio , in delegato Pontificis his verbis dato, *Tu frater Epiſcope hoc mandatum exequaris.* nam his verbis non efficitur,ne ſubdelegare negocium Epiſcopus poſſit,vt eſt expreſſum in c.quoniam vlt. de offic.& pot.deleg. ſed hæc in ciuilibus negociis facilius procedunt. Idem de Senatuſconſultis dicendum eſt,ſi qua cognitio ſpecialiter à ſenatu tributa magiſtratui puta Prætori ſit:neque enim eam Prætor mandare poterit, qualis eſt cognitio de familia occiſi ex SCto Syllaniano. l.1.ff.eod. tit.aliæque multæ.Huc non pertinent Edicta & iuſſa magiſtratuum. Edicta , vt ſi quid Prætor nominatim ad aliquem ex ſua iuriſdictione detulerit edicto. Cuius rei vnicum exemplum in edicto de damno infecto reperi. de quo mihi infra exponendum erit.Iuſſa multo minus.Nam vel mãdat iuriſdictionem magiſtratus ſuam,vel iudicium dat,id eſt, iudicare iubet:vtrumque ſpecialiter & nominatim fit.neq; tamen hæc ratio eſt,cur vel is,cui mandata iuriſdictio eſt, alteri eam mandare non poſſit.l. vlt.ff.de offic.eius. ſed illa, quia eam non proprio iure,ſed alieno, id eſt, mandantis beneficio habet.

l.more ff.de iuriſdict.vel curIudex à magiſtratu datus iudicium alteri dare ipſe non poſſit, quod ſubdelegare vulgo vocant:ſed quia Iudex fieri à priuato nemo poteſt l.priuatorum. C. de iudic. tum etiam, quia ipſe qui datus eſt, aperte iudicare iuſſus eſt, isque parere magiſtratus imperio cogitur, in publico præſertim munere. l. quippe. ff. de iudic. Concludendum eſt igitur, vt quæ cauſſa mandari non poſſit, ſpecialiter & nominatim eam lege vel conſtitutione tributam eſſe oportere.niſi tamen ipſa lex aperte & nominatim ei, cui Iuriſdictionē detulit, hanc ſimul poteſtatem ei tribuerit mandandæ eius,vel etiam iudicis dandi. Cuius rei exemplum licet ex L. Manilia capere,in qua ita eſt, Deqve ea re qvi hac lege erit Ivrisdictio reciperatorvmq. datio addictio esto.quod mox dicit,*iudiciſq; datio addictio eſto*.Poſtremo non prætermittenda illa Dd.diſciplina eſt, qui ea quæ Papinianus ſpecialiter lege tribui dicit, ipſi ſic interpretantur, quæ maioribus magiſtratibus in vim priuilegii conceduntur, vel competunt: quæ ille magiſtratus iure competere,illi,quæ minimis magiſtratibus,id eſt, municipalibus competunt. qua poſteriori parte nihil dici abſurdius poteſt, vt infra docebo. Prior recipi poteſt, ſi priuilegium pro ſpeciali iuſſu, atque conceſſu capiamus.Nam priuilegium eſt,quod non omnibus datum,vel aduerſus omnes valet, vel quod nominatim ſigillatimque in alicuius hominis certi perſona latum eſt. Quare Cicero Legē Clodiam,quā in exiliū iuit,priuilegiū adpellat,idemq; ſic interpretatur, nominatim in ſe latā,& nominatim ſe è ciuitate eiectū eſſe.Quod autē Fr.Hotomannus in illa deſi-

definitione Papiniani in l.1.§.1,ff. de off. ei. & in alia ſimili Pauli in l.cum præor. §.1.ff.de iudic.legis nomine leges nouas dūtaxat,& Repub.per Cęſares ſubacta latas intelligit,probare non poſsū:nec eius ratio firma, quia inquit, Legi opponitur illis locis mos maiorū,cum tamen nullū fuiſſe populi Rom. magiſtratū conſtet, qui non lege aliqua inſtitutus fuiſſet, cuiq; certa iuriſdictionis forma præſcripta non fuiſſet:Quare morē in d.l.1.de off.ei. & in d.l. cum prætor. leges, ait, veteres ſtante Repub. latas intelligēdas eſſe,ſed diuerſa hæc ſunt Iuriſdictionē habere,& Iuriſdictionē mādare, vel Iudicem dare, quæ Hotomannus nimis imperite vel aſtute confundit.iuriſdictionē quis à lege habet principaliter ſolo iure magiſtratus,quem lex defert. Magiſtratu enim creato ſtatim & tacite ſequitur eū iuriſdictio. Mandat autē iuriſdictionē nō lex, ſed magiſtratus l.4. & l.5. ff.de iuriſd.Quo autē iure id magiſtratus faciat,ſi me roges,dicam more maiorū.d. l.cū prætor.§.1. ff. de iud. cui mori illa ratio ſuffragata eſt, quod iuriſdictio propria ſit magiſtratus,& ſuo iure ei competat l.1.ff.de off.ei.in pr. At,inquies,cur dicitur etiam lege permiſſum iudices dare in d.l.cum prætor. Dicam,quia in magiſtratib.prouincialibus lege opus fuit,vt quæ magiſtratus vrbani(qui proprie magiſtratus dicuntur,& à prouincialibus,qui proprie poteſtates, diſtingui ſolent) more maiorum habebant, ipſi etiam habere intelligerentur, vt qui vicem magiſtratuum vrbanorum in prouinciis fungerentur l. ex omnibus 10. & l.ſequ.ff. de off. præſ. Non tamen ex eo recte colligas,ſpecialiter id eis lege tributum eſſe,ac propterea mandari non poſſe , vel mandata Iuriſdictione non

tranſire ius dandi iudicis. Tacitus lib.12. de Procuratoribus Cæſaris, & aliis Equeſtris ordinis. *Nam D. Auguſtus apud Equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi, decretaq; eorum perinde haberi iuſſerat, ac ſi magiſtratus Romani conſtituiſſent: mox alias per pronuncias, & in vrbe pleraq; conceſſa ſunt, quæ olim à Prætoribus noſcebantur. Claudius omne ius tradidit.* Inepte hinc concludas, Procuratores non poſſe iudices dare, vel iuriſdictionem mandare, quia conſtitutio Claudii iuriſdictionem eis dedit. Dedit quidem, ſed ita vt Vrbani magiſtratus habebant.

CAPVT XV.

Cauſæ quæ ſpecialiter lege tribuuntur.

DEfinitione huius rei conſtituta, nunc exempla cognoſcẽda ſunt. Et cũ omnis iuriſdictio vel in criminalibus cauſis vel in ciuilib. verſetur illarum omnium cognitionem, verbo dicamus ſpecialiter legib. tribui: nec mandari à magiſtratibus, aut transferri in alterum poſſe: qua de re vberius l. 5. vbi de mero imperio Sunt enim illæ omnes cauſæ meri imperii l.3. ff. de iuriſd. Aliæ, id eſt, ciuiles ſunt proprie iuriſd. De illis igitur ſuperior definitio ſtat, quia iure magiſtratus competant, mandari ex iis cauſſis iuriſdictionem poſſe, iudiciaque dari. ſed ſunt multæ quæ non aliter, ac quæſtiones publicæ, vel meri imperii cauſſæ ſpecialiter deferantur. quo in numero libet primo collocare omnes legis actiones, quas ita proprie peculiariterq; nominari, libro ſuperiori demõſtrauimus. Cuiuſmodi ſunt, Tutoris datio, Emancipatio, Manumiſſio, Adoptio, deinde eas, quæ licet legis actiones non ſint, tamẽ vt legis actiones ad voluntariã iuriſdict. perti-

pertinent: qualis eſt cognitio de alienatione prædiorum pupillarium, de tranſactione alimentorũ, ſimiles. Tertio loco pono cauſſas ſtatus. Quarto eas omnes cauſas, quæ Prætoriæ cognitionis, vel extraordinariæ dicuntur. ſed de iis poſterioribus generibus dubitari poteſt magis, cum non reperiatur, quod lege aliqua vel SCto vel conſtitutione principis ſpecialiter tributa ſint. De priorib. duobus generibus, quę ad voluntariam iuriſdictionem pertinent, certius adfirmare licet, cum leges, & SCta Conſtitutioneſq; Principum legimus, quib. data ſpecialiter eſt earum cognitio. Ex quo factum eſt, vt Doctores plerique vno conſenſu adfirment, iuriſdictionem voluntariam non poſſe delegari ſiue mandari, quod & interpretes Pontificii iuris probant: docti primum ab Accurſio in l. ea parte. ff. de probation. & Felino in c. quod ſedes. ext. de off. ord.

CAPVT XVI.

Emancipatio, Manumiſſio, Adoptio.

DE Tutoris datione ſatis abundeq; dictum ad Orationem D. Marci, quam priori volumini ſubtexui. Emancipationem lege ſpecialiter deferri nec mandari poſſe, adparet ex l. 2. C. de of. eius, qui vic. alt. vbi cũ alienatione prædii minorum & ſimilibus coniungitur. & quod ea lex ait, *legib. celebrari:* intelligit, ſolemnem & veterem emancipationem ex legibus XII. tabularum, cui poſtea duæ adceſſerũt ex Conſtitutionib. Anaſtaſii, & Iuſtiniani. Eæ omnes ad definitionem huius loci pertinẽt. De legitima dubiũ non eſt: oportuit enim in iure, & corã Prætore, vel Præſide fieri, in qua & venditiones illę imaginariæ, & circumductiones, aliaque ſolemnia

adhibebantur, quæ ſuſtulit Iuſtiniani Conſtitutio l.vlt.C.de emancip.lib.neq; in liberis ſolum, ſed & in ſeruis manumittendis. Nouella 81. Caius lib.Inſtit.ti.6. *Quæ emancipatio ſolebat ante Præſidem fieri*, inquit, *modo ante Curiam facienda eſt.* Anaſtaſiana, ſit ex reſcripto Principis, tamen preces & ſupplicationem prius offerri oportet, vt ait Lex Anaſtaſii, apud competentem iudicem, ad cuius iuriſdictionem actus emancipationis pertinet l. pe. C.de emancip. liber. Iuſtinianea quoq; lex ita ſancit, Licentiam ei eſſe, qui emancipare vult, vel ex lege Anaſtaſia hoc facere, vel ſine ſacro reſcripto intrare competentis iudicis tribunal, vel eos adire magiſtratus, quibus hoc facere, vel legibus, vel ex longa conſuetudine permiſſum eſt. l. vlt. C. eod. vbi qui magiſtratus dicũtur, ſine dubio ſunt magiſtratus municipales intelligendi, quibus quidem hoc ius ſit, vel ex legib. publicis, vel municipalibus cõceſſum, vt ſuperiori libro docuimus. Sic enim longam conſuetudinem interpretor, id eſt, ſtatuta municipũ, quæ pro lege haberi præſertim à Principe confirmata ſolent. De manumiſſione videamus, quę & ipſa legis actio eſt, & apud Prætorem modo fieri potuit, quę quidẽ iuſta eſſet, & vindicta fieret, de qua ſunt pleni omniũ libri. Ambroſii nobis locus animaduertendus eſt lib.11.Epiſt. 7. *ſed non iſta libertas, quã manumiſſus accipit, & palma lictoris donatus acquirit*. vbi Nannius male palmam lictoris accipit pro virga Prætoris, quæ ſeruis iniecta libertatẽ donat. Palma lictoris eſt alapa, qua percutiebatur ſeruus, quæ iniurioſa ῥαπίσματα Iuſtinianus non vno loco adpellat: *felicẽ iniuriam* Claudianus poeta. Sed hæc iam pridem obſoleuerũt, inuentis aliis manumittẽdi rationibus,

de

de quibus nihil neceſſe hoc loco dicere. In primis autē manumiſſio ſerui, quæ à minore 20. annis fiebat, & legis actio fuit, & ſpecialiter lege Ælia Sētia tributa Conſuli & Prætori. Conſilii exercitio neceſſaria in illa fuit. Hinc Conſul Prætor conſiliū exercere, vel conſilium præbere manumittere volentibus minoribus dicitur. l. 1. ff. de of. con. l. an apud. ff. de man. vind. Eſt autem conſilium cōſeſſus eorum, coram quibus, & de quorum conſilio atque ſententia cauſſas manumiſſionis Prætor pro Tribunali cognoſcebat, & vel admittebat, vel reiiciebat, vt docet Vlpian. tit. 1. Regul. Theophilus & alii ad tit. Inſt. Qui & ex quibus ca. manumitt. Imperite Baro SCto ſpecialiter hoc tributū ſcribit, deceptus corrupta ſcriptura dict. l. 1. §. 2. de off. conſ. *ex Senatuſconſulto conſilii*, vbi apparet legendum eſſe, *ex ſententia conſilii*, vt Hotomannus: vel *ex ſe cum conſilio*, vt Reuardus putat, vel quod malim & propius à recepta ſcriptura abit, *ex ſenatorum conſilio*. Nam Romæ vbi Conſul erat, in Conſiliū adhiberi Senatores oportuit, vt in ꝓuinciis recuperatores, teſte Vl. d. t. 1. Reg. Celſus reciſe, *apud conſiliū manumittere* dicit in l. ſi minor. 19. ff. de man. vin. in quo & prætor vel proconſul, vel alius Præſes continetur. & quod in d. t. mulieres minorib. comparantur, quod nec quemuis nec quauis ex cauſſa manumittere ſeruos ſuos mulieri permittēdum ſit, vt l. alumnos 14. l. ſi rogatus. §. 1. & 2. eo referendū eſt, quod nō potuerint iure manumittere quenquā, & ſi interdū permitteretur id, & apud cōſiliū Prætoris fieri debuerit, & (niſi fallor) de ſentētia, & auctoritate propinquorum. Quod mihi perſuadet locus ille in Cæliana de Clodia: *At ſunt ſerui illi de cognatorum ſententia*

nobiliſſimorum & clariſſimorum hominum manumiſſi. Tandem aliquid inueniemus, quod iſta mulier de ſuorum propinquorum fortiſſimorum virorum ſententia atq; auctoritate feciſſe dicatur. Recte, auctoritate. nam mulieres olim vel in mariti , vel in ptopinquorum tutela fuiſſe notum, vt impuberes. Impuberibus autem cum in aliis, tum in hoc negotio non ſufficit Prætoris conſilium. Quare cum Neratius ita ſcripſiſſet *Pupillus ſi non eſt infans apud conſilium recte manumittit*: Paulus in Notis adiecit: *ſcilicet tutore auctore*. l. pen. ff. de man. vind. Hanc igitur cognitionē ſiue exercitionem conſilii mandari non potuiſſe conſtat, cum certis magiſtratibus ſpecialiter adtributa Lege Sentia fuerit, vel Conſtitutione Principum, veluti Auguſti, Præfecto Ægypti. l. apud Præfectum. ff. eod. tit. quia ſcilicet cum Proconſulis iure & imperio mittebatur, *ad Proconſulis ſimilitudinē*, inquit Vlpianus. l. vn. ff. de offi. Proconſ. Quid eſt autem quod in ἀποφάσει D. Hadriani legitur, *Vrbico dicente, primitiuum manumittere volentem vetitum eſſe per matrem puellæ (in fraudem enim pupillæ hæc fieri, eſſe enim eum actorem & per eum res adminiſtrari) Hadrianus inquiſiuit perſuaderi iudicibus, non debere eum circa eam adpellationem manumitti?* nimirum mater recte adpellauerat ad Imperatorem, ne ſeruus pupillo neceſſarius & columella manumitteretur, quod & in iure noſtro ſcriptum alicubi eſt. Sed rurſum quid eſt, *inquiſiuit perſuaderi iudicibus, non debere eum manumitti?* quod in Græco ita eſt ἀνεζήτησεν πεῖσαι τοὺς κριτὰς μὴ ὀφείλειν τοῦτον περὶ ταύτην προσηγορίαν ἐλευθεροῦσθαι? Quid enim Iudices hic nominat, cum ſolus Proconſul, vel Prætor conſilium exercere & cognitionem potuerit huius rei ? adeo vt

nec

nec is,cui mādata iuriſdictio eſt à Præſide conſiliū exercere poſſe,Vlpiano dicatur lib. 3. de omnibus Tribunalibus l.2.in pr. ff.de offic.ei.cui mand.Reſpondeo, Iudices hic intelligi eos,qui in conſilio Prætori vel Præſidi adetant, non autem iudices datos,quos conſtat nullo modo dari in hac cauſſa potuiſſe. Vnde etiam lucem capit Vlpianus, qui eodem modo in hac re iudices nominat. *Illud*, inquit,*in cauſſis probandis meminiſſe iudices oportet,vt non ex luxuria &c.* l.illud.ff. de man. vind.& Imp. Antoninus:*Eorum qui apud conſilium manumittantur poſt cauſſam à Iudicibus probatam* l. 1.C.de vind.libertate, & apud concil. manumiſſ. Poſſunt iudices etiam intelligi Conſules,vt apud eumdem Vlpianum in l.Diui. §. 1. iuncta inſcriptione ff. de liber. cauſ. & l. ſolent iudices in pr.&verſic.Conſules.ff.de alim. leg. Vtraque l.eſt ex libris Vlpian. de officio Conſulis. Ad eos enim cauſſæ alimentorum, & ſtatus, & libertatis, aliæque innumerabiles pertinebant Imperatorum temporibus, vt & aliæ iudiciariæ, cum antea de Republica potius conſultare,quam iudiciis & priuatorum controuerſiis atque negociis operam dare conſueuiſſent. Reſtat Adoptio, quam etiam legis actionem conſtat.l.4.ff.de adop. l.1.ff. de offic. iurid.Alex.neque igitur apud alium fieri poteſt,quam apud quem legis actio eſt. ex eo autem,quod legis actio apud eum eſt, & adoptio, licet non ſpecialiter id expreſſum ſit, fieri apud eum poteſt arg.dd.ll.quod & de aliis Legis actionibus recte dici arbitror,nec propterea tamen mandari poſſe ex eo argumentabimur. Placet enim mihi Iacobi Cuiacii illa ſententia libr. 1. Notat. adu. Robertum cap. 21. Legis actiones(& has ſo-

las intelligit, non iudiciales illas, & contentioſas) non recte dici mandari, neque enim mandantur, neque mandata iuriſdictione tranſeunt dict.l.2.in pr.de offic.eius.

CAPVT XVII.

Alienatio prædiorum minoris. Tranſactio de alimentis: alia in quibus decretum interponendum eſt.

COgnitiones hæ duæ, quas nominaui ſpecialiter lege magiſtratibus certis, hoc eſt, Prætori & præſidi Prouinciæ tribuuntur vna Oratione Diui Seueri, altera Diui Marci, l.1. & paſſim ff. de rebus eorum. & tit. Cod. de præd. minor. l. cum hi. ff. de tranſact. ſimul illud cautum, vt diligens ab iis cauſſæ cognitio. diſceptatioque adhiberetur, tum denique decretum interponeretur, quæ omnia ex dictis locis liquent. Non mirum igitur ſi Vlpianus in dict. l. cum hi. §.17. ita ſcribat: *Si prætor aditus citra cauſſæ cognitionem tranſigi permiſerit, tranſactio nullius erit momenti. Prætori enim ea res quærenda commiſſa eſt, non negligenda, nec donanda. Sed etſi non de omnibus inquiſierit, quæ oratio mandat: hoc eſt, de cauſſa, de modo, de perſonis tranſigentium: dicendum eſt, quamuis de quibuſdam quæſierit, tranſactionem eſſe irritam. Sed nec mandare ex hac cauſſa iuriſdictionem, vel præſes Prouinciæ, vel prætor poterit.* Gemina de alienatione prædiorum minoris traduntur in dict. titul. ff. & Cod. Et in leg. ſecunda. Codic. de offic. eius. qui vic. alt. iud. vel præſidis obt. Ita ſpecialiter ſancitum eſt, vt liceat

teat Vicariis decretum etiam interponere, ad alienandas minorum, ſimiliumque eis perſonarum ſeu Curialium facultates. Non igitur hoc magis mandari poteſt, quam tutoris vel curatoris datio, cuius ibidem mentio fit, quamque conſtat legibus ſpecialiter dari nec mandari poſſe. l. muto. §. tutoris. ff. de tutel. De alienatione prædiorum Curialium eſt peculiaris titulus lib. 10. Codic. 33. Nouella Iuſtiniani 38. Quod ius & ad alias res translatum eſt, puta, eccleſiaſticas, & antea idem ius fuit in fundo dotali, Lege Iulia conſtitutum l. 1. & tot. titul. de fun. dotal. Cuius legis eruditam comparationem Cuiacius inſtituit cum ea oratione D. Seueri libr. 7. obſeruat. capite 23. Neque igitur mandari vel delegari poſſe: ideoque ab Vlpiano in libris protribunalium tractatas fuiſſe, ſiue, vt eſt inſcripto l. Iulianus. eod. tit. libr. 2. de omnibus Tribunalibus. Sed mirum tamen videri poteſt, quod in toto illo titulo de fundo dotali nunquam mentio decreti fiat, cuius fit ſæpiſſime in tit. de rebus vel prædiis minor. & accuratiſſima quidem mentio. Ex quo ſuſpicari licet non fuiſſe neceſſarium in alienatione fundi dotalis, ſicubi alienari permiſſum eſt: imo ex L. Iulia ſola voluntas vxoris ad eam rem ſufficit, non etiam ſoceri, id eſt patris eius, l. etiamſi. §. 1. ff. illo tit. quod tamen Iuſtiniano diſplicuit, alienarique etiam volente vxore prohibuit l. vn. §. & cum lex. C. de rei vx. act. Quare idem Cuiacius in l. Iulia diſtricte & abſciſe inhiberi alienationem ait: in Oratione Seueri, ſine decreto. Non ſequitur ergo, Alienatio prohibita eſt: Ergo cum decreto interdũ permittitur: imo nec illud ſequitur, Decretum

hæc cauſſa deſiderat. Ergo mādari non poteſt; niſi hoc addas ſpecialiter certo magiſtratui id tributū lege vel SCto vel Conſtitutione Principis. Ecce decretum interponi debet in miſſione in bonorū poſſeſſionem. ea tamen cognitio mandari poteſt, imo tranſit generali mandata Iuriſdictione. l. cognitio. §. 1. ff. de off. eius. nam cui mandata iuriſdictio eſt, quia imperium habet, & decretum igitur interponere poteſt, & quod ex hoc pēdet, pro Tribunali ſedere. At illud recte dicitur, Decretū hæc res deſiderat, ergo iudex in ea re dari nequit. Decreta, inquam, interponere iudices dati non poſſunt, ſed prætor, & magiſtratus, & qui vice eorum funguntur, vt lib. 1. dictum. Sed obiicit ſeſe modo ſcrupulus ex titulo de Edendo. Nā in l. vbi. §. 1. dicitur Decerni à Prætore, vt rationes edantur. Quod tamē in illo titulo actione peti ſępe dicitur, item officio iudicis cogi quem ad edēdum, ſcriptum eſt in l. 1. C. eod. tit. Sed ex diſtinctione Bartoli poſita in l. quædam. ff. eod. tit. facilis reſponſio eſt. Similiter in Edicto de Tabul. exhib. Prætor ſic locutus eſt, DECRETO COMPREHENDAM. Et rurſum multa ſunt, quæ decretum & Tribunal non requirunt, ſed de plano expediuntur, quæ tamen mandari nō poſſunt, vt legis actiones. E. G. manumiſſio vindicta etiā de plano, imo & in itinere, in trāſitu, in villa, in proceſſu ad ludos, ad balnea fieri apud Prætorem poteſt. l. non eſt neceſſe 7. & l. ſeq. ff. de man. vind. Et tamen adeo hoc non poteſt (niſi legato) mandari, vt Conſtitutio D. Auguſti allegetur ad probandum hoc ius Præfecto Auguſtali competere l. apud 21. ff. eod. tit. qui tamen ſummum imperium habuit, & *βασιλέως τάξιν*, vt ait Strabo,

Principis locum,vt Tacitus,obtinebat. Imo quod amplius eſt,magiſtratus municipales idem iuris habent.Paul.lib.2.ſent. qui tamen tribunal non habent, ſicut & ius dandi tutoris,quod etiam multis & legitimis magiſtratibus non eſt conceſſum.

CAPVT XVIII.

Cauſſæ libertatis, & ſtatus.

HÆ cauſſæ adeo graues ſunt,vt Cicero ſcribat in Verrinis,ſemper populum Rom. iudiciũ ſuum eſſe de libertate putauiſſe.Sed eo loco aliter paullo,quam nos , hæc intelligit,nimirũm agit de ſuppliciis,quæ ciui Rom.irrogari nefas,quod id eſſet contra libertatem, & dignitatem tanti populi. vnde Lex Porcia aliæque libertati parandæ latæ. Cæterum cauſſæ ſtatus maiores iudices requirere dicuntur.l. non diſtinguemus.§.Iulianus. ff. de recept.qui atb. rec. neq; id ſolum verum eſt,cum iudicio ſolo contenditur, ſed & cum præiudicio, nã præiudicialis ſæpe cauſſa de ſtatu in iudiciũ, quod à Prætore petit actor,incurrit.de ea prius cognoſci debet quã iudicii cauſſa agitari.ſæpe enim accidit, vt præiudicio finito tollatur etiã iudicii cauſſa.Veluti ſi ad libertatẽ proclamauerit is, cuius nomine noxale iudicium ſuſceptũ eſt,inquit Vlpianus, ſuſtineri debet id iudicium quoad de ſtatu eius iudicetur. & ſiquidem ſeruus fuerit pronunciatus, noxale iudicium exercebitur: ſi liber,inutile videbitur l.ſi ad libertatem pen.ff.de noxal.act.inutile, imo & impoſſibile. Nam pro eo, qui non ſeruus, ſed liber & ſuæ poteſtatis eſt , noxalem moueri actionẽ,*Impoſſibile*,inquit Imp.Iuſtinianus,*noſtriſq; le*

gibus incognitum eſt.l.apud antiquos.C.de furt.Si inutile & impoſſibile, debet Prætor vel Præſes actionem denegare,& iudicium de eo, quod actor petebat.nam & inutilis actio, nulla actio videtur eſſe.l.nam is nullam. ff. de dol.& ita impoſſibile eſt, eam dari: Quare & hæc inter cauſſas amittēdi mādati relata eſt, ne quis mandati ſcilicet conueniri poſſit,inanium actionum allegatio l.24. ff. Mand. & ita generaliter Paulus in hac re noſtra pronunciat ex euentu iudicii liberalis,aut vtilem, aut inanem actionem effici.l.ordinata.§.2.ff.de lib.cauſ.Igitur vt eo redeā,ſi prǫiudicialis cauſſa iudicio petito opponatur,de ea cauſſa ipſe Prætor,vel Præſes cognoſcere, ac pronunciare debet.l.pen.C. de or. cognit.cum de cauſſa principali iudicium & iudicem daret,cum ea nō de ſtatu,ſed de re pecuniaria ſit,in qua ordinariū eſt,iudicem dari.Similiter ergo ſi de liberali cauſſā ſola & principaliter agatur, præſes ipſe cognoſcere debet,neque ei, vt opinor, integrum eſt,eligere vtrū ipſe cognoſcat,an iudicē det,vel Iuriſdictionem mandet. Quod tamen Vaconius cenſuit lib.7.Declar.181.& Cuiacius putat ad l.veſtis 127.ff.de verb. ſig. idq; indicari, ait, videtur in fin.l.2.C.de pedan.iudic.Vnde concludit cauſſas ſtatus fuiſſe permixtas,id eſt,Præſidem potuiſſe cognoſcere, vel iudicem addicere,de quo & Donellus hæſitauit lib.comm.c.16. Cui adſentire non poſſum.Imo vero ne præſes quidem fortaſſe, quatenus tantum Præſes ac non Proconſul, vel iure Procōſulari miſſus eſt(Eſt enim præſidis nomen generale l.1.ff.de off.Præſid.) de cauſſa ſtatus pronunciare poteſt, etiamſi in principalem aliā cauſſam ſuæ iuriſdictionis inciderit,licet de ea interim cogno-

cognoſcat, quo ſcilicet rectius de principali cauſſa, puta, hæreditate pronunciare poſſit l. 1. C. de ord. cognit. l. 3. C. de iudic. Sane Prætori Conſtantiniano *hæc Iuriſdictio* (inquit Imperator Conſtantinus) *defertur ſancientibus nobis, vt liberale negotium ipſe diſceptet.* l. 1. in pr. C. de off. Præt. Et generaliter hodie ex conſtitutione Dioclet. d. l. 2. C. de ped. iud. cõſtat Præſides non poſſe eam cognitionem delegare vel mãdare, ſed ipſos diſceptare & pronunciare de ea debere, quod & Iuſtinianus confirmauit l. vlt. C. vbi cauſſ. ſtat. vbi maximos exigit iudices. Quales olim fuere Proconſul, vel Præſes iure Proconſulari vel Prætorio in prouinciis; in vrbe Conſules l. Diui. ff. de li. cau. l. 4. ff. ſi ing. eſſe dic. vel Prętores ipſi liberales inde nominati d. l. 4. & l. neq;. §. vlt. ff. de fid. lib. olim etiam Decemuiri, quibus prætor præfuiſſe videtur, vt Hotom. ex orat. pro Cæcinna, & pro domo notat. Recte etiam Cuiac. in Paratit. C. ad ti. vbi cau. ſtat. ag. deb. nec pedaneis eas cauſſas delegari poſſe, nec committi compromiſſariis. addendum eſt, nec iuriſdictionem ex iis cauſſis mandari poſſe vel mandata iuriſdictione tranſire: nuſquam enim hic reperio, vel Legato, vel alii tribui. nec me latet Cæcilium C. Verris in Sicilia Quæſtorem liberale iudicium exercuiſſe videri, cum Veneri mulierem cum bonis addiceret. Primum enim incertum eſt. Deinde Quæſtorum maxima poteſtas fuit, qui etiam non aliter, fere quam Conſules & Prætores, prouincias lege ſortiebãtur. Non diſſimilis ratio eſt earum cauſſarum, quę ſunt Edictis comprehenſæ, vno de agnoſcendis, & alẽdis liberis, altero de ventre inſpiciendo cuſtodiendoque partu. Nam Conſtitutionibus Principum,

& Senatuſconſultis mihi videntur ſpecialiter præſidibus & prætoribus adtributæ.l.vlt.ff. de agn.lib. l.1.in pt.de vent. inſpic. & prætoris edictum in d l. 1.§.10.ſatis demonſtrat, eas cauſas ſibi ipſum recepiſſe, vel vt loquitur alibi Vlpianus, iuriſdictionem ſibi ex iis cauſis reſeruaſſe l. 4.§.duas ff. de damn. inf.nec obſtat, quod in d.tit. de agn. lib. iudicum mentio ſæpius fiat.nam maximos hoſce iudices & magiſtratus intelligere debemus, vel conſeſſores eorum, id eſt, qui in concilio iis adſunt, vt ſuperiori capite dictum. Certæ hæ cauſſæ grauiſſimæ omnes ſunt, in quibus de ſtatu hominis agitur, & ſæpe de crimine grauiſſimo, puta, ſubiecti partus. Quare etiam apud Athenienſes ei negocio olim præfuit ſummus Archon poſt regem, vt ex oratione Demoſthenis contra Demaratatum manifeſtum eſt. Magiſtratibus certe municipalibus hæc cognitio denegatur. in l.penult. C. de ſtat.defunct. imo & Procuratori Cæſari l.2. C. vbi cauſſ. ſtat.niſi inter fiſcũ & priuatos forte agatur. Video enim in omnib.rebus, quę ad fiſcum pertinent, Procuratorum Cæſaris præcipuam eſſe poteſtatem. Quare etſi cauſſæ tales ſint, quæ ſpecialiter & nominatim certis magiſtratibus lege vel SCto tributæ ſunt, ideoque mandari non poſſe dicuntur, tamen ſi res ad fiſcum pertineat, extenditur ea Iuriſdictio etiã ad Procuratores Cæſaris, quod effectum arbitror Oratione D.Claudii, & ſecuto eam SCto ex lib. 12. Ann.Cor.Taciti. Exemplo eſt, Tranſactio alimentorum.l.cum his §. ſed nec mandare. ff. de Trãſact. & quod in d.l. pen. eſt apud Procuratorem Reip. non competentem iudicem, nõ potuiſſe cauſſam ſeruitutis tractari; ad differentiam dictum videtur

Procu-

Procuratoris Cæſaris, vel rei priuatæ Cæſaris, vt illic legendum eſſe docet Cuiac. li. 1. obſeru. cap. 24. Quod de cauſſa ſtatus, quas eſſe populares cõſtat, idem & de cæteris popularibus actionib. adfirmat Ant. Goueanus ad l. 1. ff. de iuriſd. d. l. non diſtinguemus. §. Iulianus. ff. de arb. itemq; extraordinariis cognitionib, de quibus mox exponam, ſi prius de nobiliſſima quæſtione apud Ciceronem relata libro 1. de oratore, dixero.

CAPVT XIX.

Ciceronis Locus.

PErtinet enim ad ea, de quibus locuti ſumus, iudicia libertatis, quib. nullum eſſe poſſe grauius dicit. *Quid*, inquit, *quod vſu memoria patrum venit, vt paterfamilias qui ex Hiſpania Romam veniſſet, cum vxorẽ prægnantem in prouincia reliquiſſet, Romæq; alteram duxiſſet, neq; nunciũ priori remiſiſſet, mortuuſq; eſſet inteſtato, & ex vtraq; filius natus eſſet, mediocris ne res in controuerſiam adducta eſt, cum quæreretur de duob. ciuium capitibus, & de puero, qui ex poſteriore natus erat, & de eius matre? Quæ ſi iudicaretur certis quibuſdam verbis non nouis nuptiis fieri cum ſuperiore diuortium, in concubinæ locum duceretur.* Hæc ibi Craſſus. Tota hæc quæſtio pendet ex eo, an ducta poſteriori vxore diuortium factum eſſe cum ſuperiori videatur. Nam ſine diuortio nulla deſinit vxor eſſe viuo & inuito marito, niſi ſeruitute olim, quod tamen à Conſtantino poſtea & ſeuerius à Iuſtiniano prohibitum eſt l. 7. C. de repud. Nouel. 117. §. 7. nec vero duas quis vxores habere poteſt eodem tempore. Concubinã

& vxorem habere iam olim licuiſſe ex loco hoc Ciceronis liquet, & vetus lex Numæ oſtendit de pellice. Rationes, cur diuortium cum priori factũ videatur, hæ ſunt. Primum, quia diuortia apud Romanos liberrima fuerunt etiam ſine cauſſæ redditione in viro præſertim, nam antea ex L. Romuli vxori non idẽ licebat, quod poſtea permiſſum eſt. Quod vt alia taceam, vel vnum illud Pauli Æmilii factum demonſtrat, qui mirantibus & cauſſam requirentibus amicis, cum forte calcearetur, cur vxorem Papyriam dimiſiſſet. *Et hic*, inquit, *calceus pulcher, atq; aptus eſt: vos tamen, vbi me premat, neſcitis.* Deinde, quia poſterior vxor Romæ ſolemniter ac legitime ducta proponitur (neque enim aliter vxoris nomine digna eſſet:) item cum ea vir aliquãdiu vixit, liberoſq; ex ea ſuſcepit: vt ſciuiſſe vxor Hiſpana, & conſenſiſſe in id viro videatur. Cõſtat autem diuortia bona gratia facta maxime valere, nullamq; ex iis pœnam alterutri coniugum irrogari, nec veteri, nec nouo iure. Tertio, quæ Romæ ſolẽnia diuortiorum vſurpabantur, ea veriſimile eſt nõ fuiſſe opus vſurpari in prouinciis: quod & de cæteris ſolennitatibus, ac veluti ceremoniis iuris ciuilis dici poteſt. Hoc enim illud eſt, quod Cicero maxime Iuris ciuilis ſcientiam extenuat in oratione cõtra Seru. Sulpitium pro l. Muræna, cum ait, *Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ nec extra Romam vſquam, neque Romæ rebus prolatis quidquam valet.* Sed hoc de formulis illis IC. & ineptiis iudiciariis intelligi debet, non de ipſo iure ciuili toto: nam extra Romam ius Rom. de matrimoniis etiam atque diuortiis, priſcis temporibus in Latio valuiſſe, ex Gellii lib. 4. c. 3. licet colligere. Quarto,

maior

maior rei ipſius, quam eiuſmodi ciuilium inuentionum, habenda ratio eſt. Adpoſite ad hanc rem Plutarchus, De Stoicorum repugnantiis: *Perinde, inquit, ac ſi aliquis vxore deſerta, cum alia viuens, dormiens, liberoſq́ ex ea ſuſcipiens, nuptias literis non firmaret, ne iniuriam priori vxori facere videretur.* Poſtremo, etſi maxime ponas diuortium nullum eſſe cum Hiſpana factum, iniquiſſimum tamen eſt hoc poſteriori vxori liberiſque eius fraudi eſſe, ſi nihil de altera vxore ſciuit, vt exiſtimari conuenit, aut à marito decepta fuit, quaſi ea iã defuncta eſſet, aut ab ea legitimo more diuertiſſet: Ignorantia enim maxime in matrimoniis ſolet iniuſtis conſiderari, vt poſtea dicam. Sed his non obſtantibus reſpondendum videtur, nõ fuiſſe diuortium cum Hiſpanica vxore factum: vnde ſequitur vxorẽ eſſe aliam, quæ Romæ dicta ſit, non potuiſſe, his argumentis. Primũ, quia diuortia legitimo more facienda ſunt. *Certis verbis*, inquit Craſſus, *ſecundum legitimam obſeruationem*, Vlpianus. l. ſi non 35.ff. de donat. inter vir. & vx. *ex lege*, Caius ſcribens ad legem 12. tabularum l. pen. ff. ad L. Iul. de adulter. Conſenſu nudo matrimonia contrahuntur, ſed non diſſoluuntur, niſi miſſio repudio. difficilius igitur, idq; propter fauorem liberorum, ait l. conſenſu. C. de repud. & Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem capit. 34. *Manet enim quod non rite diremptum eſt. Manente matrimonio nubere adulterium eſt.* Solemnitas autem verborum ea videtur fuiſſe antiquiſſima. TVAS RES TIBI HABETO. item hæc: TVAS RES TIBI AGITO. l. 2. §. 1. ff. de diuort. obſeruatio autem legitima, quę nõ in verbis, ſed in rebus actuq; conſiſteret, exponitur à Paulo

in l. nullum. ff. eod. tit. ſeptem ciuibus Romanis, puberib. adhibitis præter libertum eius, qui diuortium faceret. Quæ obſeruatio videtur non eſſe tamen vetus, ſed lege Iulia primum introducta. Antea enim, rem iſtam intra priuatos & domeſticos parietes, & clã tranſigi potuiſſe, veriſimile eſt: ſcribitque Valerius Maximus lib. 2. de Cenſoria nota L. Antonium ſenatorem à Valerio & Iun. Bruto ſenatu motum fuiſſe, quod nullo amicorum in conſilium adhibito repudiaſſet eam, quã virginẽ duxiſſet, quod pro memorabili, & priſcæ ſeueritatis exemplo refert. Exactionem tamen & ademtionem clauium ſuſpicari poſſumus ex Ciceronis Philipp. 2. & aliis authoribus quoddam veluti ſymbolum atque argumentum diuortii fuiſſe ex l. 12. tabularum, aut regia aliqua. Poſtea videtur & ille vſus inoleuiſſe etiam in acta publica referendi diuortia. Quod pluribus docet eruditiſſimus Lipſius in lib. Annalium Corn. Taciti. Quemadmodum hodie iure Pontificio nullum diuortium valet, niſi quod in Eccleſia palam factum ſit. Aliud argumẽtum huius rei eſt, quod latiſſima ad peccandum feneſtra aperiretur, & plures vno tẽpore vxores habẽdi licentia, ſi hæc ratio diuortiorum admitteretur, ſine teſtatione, ſine obſeruatione vlla. Accedit ad hæc reſcriptũ Imp. Valent. & Gallien. in l. 5. C. de donat. an. nupt. vbi in ſimili caſu negãt petitionem mulieri competere eorum, quæ vir ficto cælibatu, cum vxorem domi reliquiſſet, tãquam ſpõſæ promiſit: *cum tu*, inquiunt, *ſponſa domi vxore poſita non fueris*. Poſtremo, poſteriorum nuptiarum hãc vim eſſe ſolum reperio, vt ſi cum priori vxore diuortium factum ſit, nouis poſtea nuptiis cum a-

lia

lia contractis, diuortium illud verum, non ſimulatum fuiſſe cenſeatur: non vt diuortium ipſæ per ſe ſolæ faciant, aut factum probent. l. vir mulieri 64. ff. de donat. int. vir. & vx. Quid igitur? poſterior, quæ ducta eſt, cum ignoraret viri tantum facinus, & concubinæ loco fuiſſe, & liberos iniuſtos peperiſſe iudicabitur? Nequaquam. Sed ignorantiæ, & innocentiæ eius eſt habita ratio, nō quidem in eo, vt matrimonium conſiſtat, priore adhuc viuente, ſed tamē vt poſterior vxor à crimine pœnaq; adulterii excuſetur, quod ſine dolo malo non committitur, vt in ſimili ait d. l. pen. ff. ad L. Iul. de adulter. liberi etiam ex ea ſuſcepti non iniuſti, ſed legitimi habendi ſunt. Quod & iure Pontificio Chriſtianorum comprobatum eſſe video. capit. pen. ext. Qui ſint fil. legit. præſertim ſi nuptiæ poſteriores palam factæ ſint c. 2. eod. ti. & cap. 2. & vlt. ext. de clandeſt. ſponſal. & ibi Cuiac. & late Doctores ad l. ſi quis inceſti. cum Auth. ſeq. C. de inceſt. nupt. Sane interdum ſi prior vxor mortua fuerit, poteſt & ſolet à Pontificibus confirmari poſterius matrimonium quod initio non valebat, idque liberorum fauore, vel potius vtilitatis publicæ cauſſa: id enim in Philippo Auguſto Frācorum rege factum eſt c. per venerabilem. eod. ti. Et notādum eſt, quod quamuis poſterior vxor non ſit in ſpecie iſta Craſſi, & veterū ICtorū vera vxor atq; legitima, tamē nec adultera eſt nec etiam pellex: nā & pellicis crimen ſine dolo admitti non videtur. Quare an in concubinæ loco ducta eſſet, tantum quęſitum fuit, quod honeſtius & ſine pœna fuit, & proxime ad nuptias legitimas adcedit, vnde *ἀμύγαμος* à Iuliano anteceſſore dicitur: cū pellex ꝓbroſa, & lege Numę notata punita-

que fuerit.ſi proponetur paterfamilias ille, qui ex Hiſpania Romam venit, miles in prouincia fuiſſe, res caruiſſet dubitatione. Militi enim nec vxorem habere vel ducere in prouincia licuit:& ſi quos filios ibi ſuſcepiſſet,pro ſpuriis,imo pro ſeruis habiti fuiſſent. Scribit enim Liuius multa millia talium capitum,in Hiſpania natorũ manumiſſa SCto fuiſſe,li.53.Nam alias ex ancilla ſuſcepti ſerui ſunt,nec extraneo ſolum,ſed & patri ſeruire poſſunt, quin & eos ſic alteri venũdare poteſt, vt eos manumittat.l.naturalis in pr.ff.de præſc. verb.l.2. C. ſi man. it.ſu. al. vt manum. l.ſi quis ingenuã ff.de captiu. Nou. Vt libert.78.ca.4.Sed in hac veterũ quæſtione non miles ponitur, ſed paterfa.tãtum.Poteſt & in eo ratio dubitandi fuiſſet veteribus,quod ducta poſteriori vxore Romæ quæri poſſe videbatur, an prior non vxor,ſed concubina fuiſſet? cur enim id magis de poſteriori quæratur, cum poſſit & ſuperior videri in locum concubinæ ducta?prę ſertim ſi in prouincia ducta proponatur. Quo pertinet egregia ſpecies in c.12.ext. Qui fil.ſunt legit.vbi nec marito creditur, qui poſtea adfirmauit in teſtamẽto,priorẽ ſibi veram vxorem nõ concubinã fuiſſe: niſi filius ex ea natus probet matrimonium cum matre ſua fuiſſe,puta, corã Eccleſia data matri ſuæ fide. Præſumi enim pro poſteriori, & præualere, quod & ipſe vir aliam,id eſt,hanc poſteriorem duxiſſet, & ſuperior itidem alteri nupſiſſet. Solas enim nuptias viri poſteriores non ſufficere verius eſt,vt prior mulier pro cõcubina habita videatur, niſi & hæc alii nupſerit. Quod in ſpecie illa veterũ non adcidit,ideoq; plus dubitationis habuit. Poſtremo quærat aliquis,cur de duobus ciuium capi-

tibus

tibus in ea ſpecie,hoc eſt,& de puero,qui ex poſteriore natus eſt, & de eius matre, quæſitum fuerit? An nondum Carbonianum Edictum natum erat, quo lis mota puero ſtatus iubetur in pubertatem eius differri,& ſi de matre quæratur,non id tamen puero nocere debet. l. 1. C. ad l.Corn.de falſ.l.fin. C.de lib.cauſſ.de quo dixi pluribus ſupra lib. *1*. An ideo quia Edictum Carbonianum pertinuit dũtaxat ad ſtatum familiæ,id eſt,an ex liberis eſſet? non autem ad ſtatum capitis, id eſt, liber ne ciuis an ſeruus eſſet?Id enim poſtea D.Pii cõſtitutio introduxit l.1.§.ſed & ſi quis.ff.de Carbon. Edict. Nati enim ex cõcubina liberi licet ſint,non tamen ſunt ciues.ergo nec liberi iure Quiritum.hæc enim duplex libertas eſt, Naturalis & ciuilis, vt alibi dictũ. Et hanc vocat Cicero certam ſedem libertatis in orat.de Haruſp.Reſponſis cum ait,à parentibus vel à patria nos in certam ſedem ciuitatis ac libertatis adſcribi: nam illa naturalis libertas fuſa in omnes gentes nulla certa ſede continetur. Sed quicquid ſit de Carboniano edicto, qua ratione Craſſus dicit,hanc quæſtionem,& hoc iudicium fuiſſe de libertate?an ciuis Romana etiãſi in concubinę locũ duceretur,ciuitatem & libertatem amitteret?opinor id Ciceronem velle,iudicata matre cõcubina, ſimul iudicatum videri non ſolum de puero,ſed & de matre,quod libera non fuiſſe videatur vel ingenua.Nam ingenuam & ciuem Romanam habere concubinam minime licuit, ſed ſeruas libertaſue. Vel ſane dicendum eſt,hoc exemplum à Craſſo allatũ non pertinere ad iudicia libertatis,vt ſuperius exemplum, quod illic adfertur.ſed ad quæſtionem de ordine,de familia pueri,de matris vero crimine

atq; dedecore. Nam & hæ capitis quæſtiones ſunt præſertim oratoribus l. licet capitalis. ff. de verb. ſignificat.

CAPVT XX.

Extraordinariæ & prætoriæ cognitiones an mandari poſſint.

PLurima ſunt in libris noſtris, de quibus Prætorem vel Præſidem extra ordinem cognoſcere dicitur, quæque cognitionis Prętoriæ nominātur. Ea viſum eſt hoc loco exponere. ſed prius illa quæſtio agitetur, An quemadmodum Iudex in iis dari non poteſt, ſic nec iuriſdictio mandari poſſit, vel iuriſdictione mandata tranſeant? Nam Donellus lib. 17. Comment. ca. 8. nihil ſatis idonei proponi ſcribit, quo minus in his iuriſdictio mandari poſſit. vetari quidem magiſtratus in his dare iudicem. l. 2. C. de pedan. iud. ſed ideo, quia iudex datus neque Prætor eſt, neque Prætoris poteſtate vtitur, vt eius cognitio dici poſſit cognitio Prætoria: qualem lex requirit. at qui mādatam iuriſdictionem ſuſcepit, vice eius, qui mandauit, & imperio vti: & cognitionem igitur Prætoriam recte eam dici l. ſoler. ff. de iuriſd. l. 3. ff. de offic. ei. Alii putant, ita Prætorem, vel Præſidem cogi cognoſcere, vt nemini mandare cognitionem poſſint: idque ideo, quia earum rerum cognitio Præſidibus prouincialibus nominatim iniuncta ſit literis, vel mandatis, vel formis à Principe datis. Quæ ſententia Cuiacii eſt, ad l. veſtis. ff. de verb. ſign. vbi plurima talia ex libris cognitionum Calliſtrati collegit. Et ſane iuris ordinarii eſt, iudicem dare: extraordinariū eſt, cum ipſe Præſes cognoſcit. Ego Doctoris mei ſententiam veriſſimam

mam puto,eiuſq; rationem differentiæ inter mãdatam iuriſdictionẽ, & iuris dationem valde probo. Adcedit huc quod nuſpiã legitur, iuriſdictionẽ mandari in iis cauſſis non poſſe: imo nec illud, nominatim & ſpecialiter eas cauſſas legibus vel Conſtitutionibus Principũ tributas eſſe. nec ſequitur, in mandatis Principis ſcriptum eſt, qua de re cognoſcere præſes poſſit aut debeat: ergo ſpecialiter eius rei cognitio ei data eſt, vt mandare eam alteri non poſſit. In mandatis enim illis officium potius Præſidis à Principib. exponebatur, quam, vt omnia in iis comprehenſa ſpecialiter eis tributa vellent, cũ multa ſint, quæ iure magiſtratus iis cõpetant. imo plus dico, Etiamſi alicubi dicatur hanc vel illam rẽ lege vel SCto vel conſtitutione Principis tribui, vt loquitur Papinianus in l.1.ff.de off.ei.cui mand. non continuo dicendum erit, ſpecialiter etiam ac nominatim tribui. Quare ſi hoc non ſit adiectum, vel aliquo modo cautum, non dubitabimus, quin Iuriſdictionis & magiſtratus iure ea competent. Exemplum illuſtre huius rei eſt in l. cum prætor. §.1.ff. de iudic. vbi Paulus ſcribit, Iudicem dare eos poſſe, quibus hoc lege, vel SCto, vel conſtitutione permiſſum eſt. Quæ verba, ſi cũ illis Papiniani cõpares, eadem ac gemina ſunt: ſed Papinianus dicit, quæ ita tributa ſunt, non poſſe mandari, quia ſcilicet ſpecialiter (hoc enim Papinianus adiecit) tributa ſunt. At iudicis dandi licentia procul dubio mãdari poteſt: quæ non ſpecialiter (hoc enim Paulus recte ſubticuit) tributa ea poteſtas eſt. Quid ſi non ſpecialiter, & nominatim, ſed tamen ita conſtitutione vel lege alicui mandata quarundam rerum cognitio ſit, vt de iis extra ordinem ius redderent?

Edixit Princeps Nero, *vt Romæ Prætor, per prouincias qui pro Prætore aut Conſule eſſent iura aduerſus publicanos extra ordinem redderent:* ait Tacitus lib. 13. Annal. Et hic puto non impoſitam Prætori vel Præſidi neceſſitatem cognoſcendi, ſed mandare iuriſdictionem ex ea cauſſa potuiſſe, non etiam iudicem dare; quamuis poſtea etiam dederunt, vt adparet ex Edicto, quod relatum eſt in l. 1. ff. de public. & vectigal. Igitur, vt ad rem redeam, quæcunque cognitionis Prætoriæ eſſe dicuntur vel extraordinariæ cognitionis, non eo ſenſu ſic dicũtur, quod ſpecialiter & nominatim Prætori vel Præſidi conceſſa ſint, atque ideo mandari non poſſint: ſed quia non alius, quam ipſe cognoſcere de iis poſſit, vel is, qui eius vice, partibus, iuriſdictione, imperio vtitur (his enim vocabulis leges vtuntur) id eſt, is cui mandata iuriſdictio eſt. Apparet harum rerũ cognitiones idcirco extra ordinem voluiſſe veteres à magiſtratibus ipſis exerceri, quod earum fauor & neceſſitas, quo citius & melius exordirentur, poſtulabat eos qui iuriſdictionem atq; imperium haberent. Tales autem ſunt non ipſi ſolum magiſtratus, ſed etiam qui vice & iuriſdictione atque imperio eorũ vtuntur. Nam mandata iuriſdictione, & imperiũ mixtum ſua ſponte tranſit. l. 1. §. fin. ff. de off. eius. Præterea obſeruandum eſt, eas cauſſas dici eſſe iuriſdictionis, & quidem iuriſdictionis ordinariæ. l. 2. ff. de var. & extr. cognit. *Vt his,* inquit Vlpianus, *ſecundum rei æquitatem, & iuriſdictionis ordinem conuenientem formam rei det, Prouinciæ ſcilicet Præſes.* Iuriſdictionis autẽ vel ordinarii iuris res diſtingui à rebus cognitionis & extraordinarii iuris ſolent. cur ergo non & Iudex quoque in iis dari poteſt? hoc enim

nim & poteſtati Iuriſdictionis & ordinarii Iuris?ratio eſt, quia cognitioni Prætoriæ vel Præſidali tributæ ſunt: quæ cognitio non eſt in iudice dato, eſt in eo, cui mādata Iuriſdictio eſt. Quod igitur in d. l. 1. 14. & paſſim ſcriptum eſt, officium Præſidis vel Prætoris ad eas res deuenire: item prætoris partes eſſe, & ſimilia: hæc omnia legatis & iis, quibus iuriſdictio mādata eſt, rectiſſime adcommodantur. quia iuriſdictione mandata totum iuriſdicundi officium tranſit. d. l. 1. de ſuſpect. tut. & partib. magiſtratuum illi funguntur, d. l. ſolet. cum ſimil. de iuriſdict. Poſtremo cum legatus, vel is cui mandata iuriſdictio eſt, & in bonorum poſſeſſionem mittere, & de ſuſpecto tutore cognoſcere, aliaq; multa, quę imperii magis, quam iuriſdictionis eſſe dicuntur, agere atq; exequi poſſit, mirum profecto eſt, ſi & de nutriciis, & de vſu aquæ, & de equis alienis, fœtuque earum, aliiſque ſimilibus rebus, quæ extraordinarię cognitionis numerantur, cognoſcere & ſtatuere nequiret. Imo vt quæſtionem hanc omnem incidam, nō eo dici extraordinarias cognitiones in illo D. tit. puto, quod extra ordinem præſidibus mandatæ ſint, vt ipſi de iis cognoſcant: ſed quia nō ſit ordinaria aliqua de iis formula prodita, vel non ordinario, & certo iure nitātur. Qua enim actione, vel quo iure nutricia vel ſalaria profeſſorum & medicorum mercedes petātur? Quare ſubuenit eis extra ordinem, id eſt, iure quodam imperii, & ex æquitate Pręſes & ſine ſtrepitu iudicii, ſine formula. Vnde illud eſt, *cæterarum artium opificibus ſiue artificibus, quæ ſunt extra literas, vel notas poſita, nequaquam extra ordinem ius dicere Præſes debebit.* d. l. 1. §. 7. Cur ita? Quia locati conducti actio com-

petit. Dixi ex æquitate, vt in d.l.2. *ſecundum rei æquitatem*, & quod additur, *& iuriſdictionis ordinem*, quãuis ſupra de ordinaria Iuriſdictione expoſuerim, poteſt tamen de iure quoque ordinario exponi, quaſi dicat, quod iure ciuili vel Prætorio de his rebus cautum eſt, vel ſecundum morem Iuriſdictionis, id eſt, eorum qui iuridicundo præſunt. nihil enim, vt dixi, de his rebus certi proditum eſt.

CAPVT XXI.

Ad L.2.C.de pedan. iudic.

FAtentur omnes difficilimam hanc legem eſſe, eandem tamen cognitu vtiliſſimam ac perneceſſariam. Verba legis hæc ſunt: *Imp. Diocletianus, & Maximinus AA. & CC. Vicariis. Placet nobis Præſides de his cauſis, in quibus quod ipſi non poſſent cognoſcere, antehac pedaneos iudices dabant, notionis ſuæ examen adhibere, ita tamen, vt ſi vel propter occupationes publicas, vel propter cauſſarum multitudinem omnia huiuſmodi negotia non potuerint cognoſcere, iudices dandi habebant poteſtatem. Quod non ita accipi conuenit, vt in his etiam cauſis, in quibus ſolebant ex officio ſuo cognoſcere, dandi iudicis licẽtia eis permiſſa credatur. Quod vſque adeo in Præſidum cognitione retinendum eſt, vt eorum iudicia non diminuta videantur, dum tamen & de ingenuitate, ſuper qua poterãt etiam ante cognoſcere, & de libertinitate Præſides ipſi iudicẽt.* Aiũt, in quib. quod ipſi nõ poſſent ante cognoſcere, antehac pedaneos Iudices dabãt, *nõ potuiſſe*, ad ius & morem, nõ ad factũ referendũ eſt: nã ſi ad factum referas, & impedimenta atque occupationes intelligas, nihil noui Impp. ſancirent, & ſententia

tentia ab ipſis conſtituta noua,idem eſſet cum ratione iuris antiqui. Quaſi enim dicerent,de quib. cauſſis olim quia non poterant occupationib. vel alia re impediti cognoſcere,pedaneos Iudices dabant.hodie ipſi cognoſcant,niſi impediãtur occupationib.publicis,vel multitudine cauſſarum:quo quid ineptius? Senſus igitur hic eſt,quod iure ordinario moreq; prohibente facere non poterant, vt ipſi notionis ſuæ examen adhiberent,id nunc faciant nobis ſancientibus. Sicut Imp. Conſtantinus loquitur ad ſenatum Conſtantinop. *Prætori defertur hæc iuriſdictio ſancientibus nobis,vt liberale negocium diſceptator ipſe examinet.* l.1.C.de off.Præt. Nõ debuiſſe autem,nec conſueuiſſe antea Prætores vel Præſides ipſos cognoſcere,niſi paucis de cauſis & raro manifeſtum eſt.Quamobrem Cicero fratrem Aſię Prætorem increpuit:&litigator neſcio quis in iure ipſum Cæſarem Claudium,cum diceret,ordinarii iuris rem non cognitionis eſſe:nam & alius quidã, & Græculus ei in foro dixit: καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρός. Iudices dare ordinarium fuit, Temperamentum nouæ coſtitutionis audiuimus, occupationes publicas,vel multitudinem cauſſarum, propter quæ volunt etiam hodie licere eis iudicem dare,ſed in iis ſcilicet cauſſis,in quibus olim eis liberum,& ſolutum etiam nullo impedimento tali interueniente,imo conſuetum,&legitimum fuit.Eæ vero cauſſæ,quæ fuerint in aperto eſt,nimirum omnes priuatæ,atque pecuniariæ,quarum cognitio ad iuriſdictionem magiſtratus, & quidẽ iure magiſtratus competunt.l.1. ff. de offic. eius.In his igitur cauſſis poteſtas iudicis dandi nonnihil ab Impp. circumciſa eſt,cum propter occupationes tantum publi-

cas, vel multitudinem cauſſarum, nunc ea licentia Iudicis dandi permittatur. Addendum & aliud tẽperamentum, de quo hac conſtitutione nihil cautum eſt, quod de eo dubitari non poſſe exiſtimarẽt, nimirum humiliorum negociorum cognitiones. de quibus poſtea diſerte Iuliani conſtitutione caueri oportuit, ne iis Prætores vel magiſtratus ſeſe alligatos putarent, decepti verbis dictæ conſtitutionis priorum Imperatorum Diocletiani & Maximiani. l. vlt. C. eod. tit. de ped. iudi. idque & Iuſtinianus apertius cauit in Nou. 82. Cæterum in iis cauſſis, in quibus antea ex officio ſuo cogebantur cognoſcere, nihil noui ſancire ſe profitentur, nec illud temperamentum ad has cauſſas pertinere volunt. Erat enim hoc abſurdum, vt qui iuſſerat Præſides de iis cauſſis cognoſcere, de quibus antea non ſolebant, iidem permitterẽt iudices dari, de quibus etiam antea ex officio ſuo cognoſcere cogebantur. Neq; enim minuere laborẽ, vel iudicandi poteſtatem Præſidibus voluerunt: ſed potius, vt adparet, augere. Et hoc eſt illud quod ſtatim ſubiiciũt. *Quod vſque adeo in Præſidum cognitione retinendum eſt, vt eorum iudicia non diminuta videantur*, id eſt, etiam poſt hanc conſtitutionem, de his cognoſcere eos oportet omnino ſine vlla exceptione publicarum occupationum vel cauſſarum. Sequitur ad extremum; *dum tamen & de ingenuitate, ſuper qua etiam poterant ante cognoſcere, & de libertinitate ipſi diiudicẽt.* hic exceptio & limitatio, vt vocant eædem videntur eſſe, vel idem ius continere, cum ſententia pręcedente cui adhibita eſt. dixerant enim præſides cogi cognoſcere de iis cauſſis, de quibus antea ſolebãt ex officio ſuo cognoſcere. idem dicit exceptio.

prio.quod eſt abſurdiſſimum. Sed nimirum aliud eſt,cogi ex officio ſuo cognoſcere, quod in ſententia ſuperiori dicitur:aliud poſſe cognoſcere, quod in exceptione.Poterant olim Præſides de ingenuitate cognoſcere,ſed non ex officio ſuo cogebantur vel ſolebant,ſed ex officio &iure Proconſulari,vel Prætorio, ſi cum eo miſſi in Prouincias eſſent. Ipſi ex ſuo officio, & iure Præſidis ſolo non poterant, quod etiam ex Epiſtolis Plinii ad Traianum cognoſcitur,à quo Plinius miſſus in Bithiniam &Põtum Proprætor fuit ſcilicet iure & poteſtate Conſulari,vt eſt in inſcriptione veteri. Eſt locus ad hãc rem inſignis apud Vopiſcum in Probo: *Accepto hoc SCto ſecundum orationem permiſit patribus, vt ex magnorum Iudicum adpellationibus ipſi cognoſcerent, Proconſules crearent, legatos conſulibus darent, ius Prætorium præſidibus darent, Leges quas Probus ederet SCtis propriis conſecrarent.* Poſt hanc vero conſtitutionem Diocletiani & Maximiani hæc quoque cognitio ad officium Præſidum pertinet; vel vt eleganter Vlpianus d.l.1. de extr. cognit. loquitur, deuenit. coguntur, inquam, ipſi Præſides iudicare, vel qui locum, & ius Præſidum in prouinciis obtinent, Vicarii:ad eos enim hæc conſtitutio ſcripta eſt. de quib. ſupra expoſuimus. Quod idcirco etiam notandũ eſt,ne quis obiiciat huic interpretationi noſtræ, quod imperatores non expreſſerint quicquã de iure Proconſ.vel Prætorio, neque enim neceſſe fuit cum in re illis temporibus notiſſima & in vſu ac luce poſita,& quod caput eſt, ad Vicarios ſcriberent,qui nõ poterant officium &ius Pręſidum ignorare,vel ex mandatis Principis. Hæc igitur verba, *Dum tamen de ingenuitate &c.* non tam tempe-

tamenti vel limitationis loco accipi debent, quam augendi & amplificandi cauſſa dicta, vt ſit hic apertiſſimus & planiſſimus ſenſus, Non ſolum eas cauſas de quibus antea ex officio ſuo cognoſcere Præſides cogebantur in ipſorum cognitione officioq; retinemus ſine vlla diminutione: verum etiam hoc adiicimus ad eorum officium, vt de cauſſa ingenuitatis & libertinitatis, de qua ex officio ſuo non cogebantur ante cognoſcere, imo nec poterant, niſi cum eſſent cum iure Proconſulari Prætoriove in eas prouincias miſſi, poſthac ex officio & iure Præſidali cognoſcant, & diiudicent. Hæc eſt vera ſententia interpretatioque verborũ obſcuriſſimorum huius l.2. de ped. iud. quam an alius viderit, aut literis mandarit, neſcio. Interpretationes certe aliorũ variæ, & quædam quas legi, neque placent, neq; rectæ videntur. Poſtremo notandum eſt, nihil in hac l.2. de poteſtate iuriſdictionis mandandæ, ſed iudicis tantum dandi caueri: ne quis hæc temere confundat, quod & ſupra monui. Nihil inquam, hæc l.2. quod ad mandandam iuriſdictionem attinet iuri veteri derogauit vel abrogauit. Imo ex officio ſuo Præſidem vel magiſtratum cognoſcere cũ dicimus, nec priuatas & pecuniarias cauſas omnes intelligimus, ſed paucas & certas. Pleræque enim omnes ſic ad officium & actionem Præſidum pertinent, vt non tamen ipſe ex officio ſuo ſoleat, & cogatur etiam de iis cognoſcere ac iudicare, ſed ius duntaxat dicere, quo nomine ſignificamus iudicis dandi, vel actionum dandarum licentiam l.3. de iuriſd. l. ſed etſi per Prætorem. §. per magiſtratus. ff. ex quibus ca. man. l. ſi viuis. §. ſi inter duos. ff. de vſufructu.

CA-

CAPVT XXII.

Cauſſæ, de quibus ex officio ſuo magiſtratus cognoſcere dicuntur.

AC primum ſegregandæ ſunt cauſæ imperii meri. neque enim de iis cognoſcit ex officio ſuo vllus magiſtratus, ſed ſpeciali legis iuſſu atque conceſſu l. 1. de off. eius. vt mirer Longouallium & Donellum, & ſi qui alii in d. l. 2. has cauſas intelligi putarint. officium ius dicentis latiſſimum eſſe dicitur; ſed pertinet tamen tantum ad cauſſas ciuiles atque priuatas, quamuis quædam ex iis ſpecialiter lege tributæ fuerint: vt tutoris datio. l. 1. ff. de iuriſdict. ad cauſſas criminales publicaſque non pertinet: nec quiſquam Iuriſcōſultus ita locutus eſt, opinor, vt ius gladii officio Præſidis, vel vllius magiſtratus competere vel exerceri diceret. Quare cum Martianus ſcribit, *omnia prouincialia deſideria, quæ Romæ varios iudices habent, ad officium Præſidum pertinent*, l. omnia. ff. de offic. Præſ. nemo hoc, quamuis generaliter admodum dictum de cauſſis criminalibus accipiendum putabit. Et vt dem, officii nomen omnia complecti, id eſt etiam capitalium iudiciorum cognitionem, vnde tituli illi omnes de officio inſcripti ſunt, ſub quibus & de mero imperio cauetur: aliud tamen eſt dicere ex officio ſuo Præſidem ſolere cognoſcere, aliud pertinere ad officium eius notionem omnium cauſſarum: hoc enim vere dicitur, illud de omnibus ex officio ſuo ipſum ſolere cognoſcere, falſiſſimum. Hic enim officium accipimus pro ius dicentis officio, pro cognitione Præſidali.

Illic pro munere, & poteſtate vniuerſa Præſidum, ſub qua & criminalium cauſſarum diiudicatio coercitioque continetur. Qua ratione & B. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus Commentario in Matthęũ dixit, *iudicii officio gladio vti eum*, qui merum imperium exercet. Cauſæ igitur illæ, de quibus d. l. 2. agit, primum ſunt eæ, de quibus extra ordinem ius dicere debet, quæ multæ in tit. ff. de extraordi. cognitionib. enumerantur, vnde peti earum cognitio poteſt, in quibus magis ex æquitate quadam, quam ex iure certo Præſes ſubuenit. Deinde ſunt illæ cauſſæ, quæ cognitionis vel Prætoriæ notionis eſſe proprie dicuntur. Sed ius certum ac conſtitutum habent, qualis eſt in primis reſtitutio in integrum ex cauſſa ætatis, l. quod ſi minor. §. vlt. ff. de minor. quod etiam extraordinarium auxilium adpellatur in l. in cauſſ. ff. eod. nam cæteræ reſtitutionum cauſſæ ordinariæ ſunt, quod actiones ex iis, & iudices dari poſſunt. Sed videtur idem ius, & olim in omnibus reſtitutionibus fuiſſe. Nam omnes pariter dicuntur eſſe ex officio Prætoriæ Iuriſdictionis l. 1. §. de qua autem. ff. de poſtul. Reſpõdeo duo genera reſtitutionum illic notari. Vnum eſt, de quo loquimur, quod ad deceptos vel alias læſos in re pecuniaria familiarique pertinet. Aliud cũ quis damnatus, à pœna ſcilicet in integrum reſtituitur. Hæc reſtitutio non poteſt ab alio, quam à Principe vel ſenatu concedi d. l. 1. De quo eſt tit. ff. de ſent. paſſ. & reſtit. longe diuerſis à titulis de in integrum reſtitutionibus. Obiectio autem illa ſic diluenda eſt. Aliud eſt, cum dicimus Prætorem ex officio ſuo cognoſcere de re aliqua: ſignificam⁹ enim, debere ipſum copnoſcere, nec alii delegare

eam rem cognoſcendam poſſe d. l.2.C.de Ped.iudic.Aliud,cũ dicimus,Prætorẽ ex officio ſuæ iuriſdictionis aliquid facere.nam in officio iuriſdictionis ſiue ius dicentis eſt, non ſolum decreta interponere,& ipſum Prætorem cognoſcere. l. 1.C. de off. eius qui vic. alt. ſed etiam iudicem dare l. 1.ff. de iuriſd.l.1.§.4.ff.de ſuſp.tut.In omnibus reſtitutionum cauſſis Prætor ex officio ſuæ iuriſdictionis ſubuenit,vt ait d.l.1. §. de qua autem. eoque pertinet illa Modeſtini ſententia:*omnes in integrum reſtitutiones à Pretore cauſſa cognita permitti, ſcilicet vt iuſtitiam earum cauſſarum examinet, an veræ ſint, quarum nomine ſingulis ſubuenit*. l. omnes 3. ff. de in integ.reſtit.Sed non in omnibus tamen ſubuenit cognitione Prætoria,ſed in cæteris quidem cognitione Iudicis:in cauſſa ætatis, cognitione Prætoria,id eſt, ſua,vel eius,cui iuriſdictionem ſuam imperiumq; mandauit.d. l.quod ſi minor. §.vlt.In aliis iudiciũ petere vel impetrare quis dicitur:in hac minor impetrate cognitionem, vt eſt in l.minor 31.ff. de euict.Hodie Iuſtiniani conſtitutione idem ius eſt & in reſtitutione ex cauſſa ætatis, vt nimirũ iudices dari poſſint l.vlt. C.vbi & apud quem.idque ea ratione Iuſtinianus conſtituit, quod ipſe Prætor ſibi hanc neceſſitatem iniunxiſſet,non lex vel SC. vel Principis Conſtitutio. Hæc de iudice dando. nam mandari ex omnibus cauſſis Iuriſdictionem & olim licuit,& hodie licet,imo mandata generali iuriſdictione,& hæ reſtitutionũ cognitiones tranſeunt. In quo differt mãdata iuriſdictio à procuratoriis mandatis.nam mandato generali non continetur poteſtas petendæ in integrum reſtitutionis, ſed ſpeciale requiritur.l.illud.ff.de ali. Amplius &

ad iudicem datum pertinent, licet de alia re datus ſit, in quam hæc quæſtio reſtitutionis inciderit d. l.vlt.in fin Non igitur quod iudex dari in iis hodie poſſit, concludendum eſt, etiã ſuo iure magiſtratibus municipalibus licere in integrum reſtituere: neque enim Iuſtinianus ſua lege ſuſtulit, ne in integrum reſtituere eſſet magis imperii, quam iuriſdictionis l.4.ff.de iuriſd.ict.cuiuſmodi res ad municipales magiſtratus non pertinent l.ea quę. ff.ad municipal. At iudex dari & hodie vt olim potuit in cauſſis mixti imperii, vt infra oſtendetur: niſi quæ ſpecialiter magiſtratui mandatæ eſſent, vel quas Prætor ipſe ſibi edicto reſeruaſſet, vt de in integrũ reſtitutione ex cauſſa ætatis diximus, adparetque ex verbo quo vſus eſt, Animaduertam, de quo & ſupra monuimus. Talis cauſſa Prætoriæ ſcilicet cognitionis dicitur, & cum quæritur, vtrum quis ſe filius & in poteſtate, patre videlicet vindicante & ducere eum volente, cum is filium ſi vel in poteſtate neget eſſe. l. 1. ff. de rei vind. l.3.§.5.ff.de lib.exhib. Talis denique eſt cauſſa de fideicommiſſis, iure quidem veteri. Nam extra ordinem, non per formulam atque actionem ea petebantur. Vnde & perſecutio proprie dicta l. pecuniæ. §. actionis.ff.de verb.ſignif. Hinc prætor fideicommiſſarius, qui de fideicommiſſis ius dicebat, vt vetus Epitome iuris ciuilis ex l.2.§.deinde Cornelius.ff.de orig.iur.vbi duo primum inſtituti à Claudio dicũtur: in Prouinciis ſolus Præſes cognoſcere potuit. l cũ etiam.C.de rebus credit.ibi, *ſuper fideicommiſſis Præſes prouinciæ cognoſcet*.& l.ſi res.de leg.1.ibi *Per iuriſdictionem Præſidis Prou.* id ei præſtabitur. Prætoris fideicommiſſarii (nam vnus à Tito detractus poſtea

ea fuit) mentio fit in l.ſi cui legatum. ff. de cond. & dem.l.2.C.qui pot.in pign. *Si decreto Pratoris, qui de fideicommiſſo ius dixit in poſſeſſionem fundi hæreditarii &c.* Quod aiunt, eum ius dicere ſignificatur ſatis executionem ſententiæ ſuæ eos habere, ſed non tamen iudicem dare potuiſſe, licet hoc iuriſdictionis ſit l.3. de iuriſd. ratio eſt, quia ſpecialiter conſtitutione D.Claudii Prætoribus, ad id ſpecialiter creatis data ea cognitio eſt d.l.2.antea Conſulum cognitio erat, ex conſtitutione Auguſti, Vlpiano teſte, titul.de fideicom. §.12.in Regul.Nam quod in Inſt.illo titulo dicitur, *id in aſſiduam iuriſdictionem conuerſum fuiſſe*, non debet intelligi omnibus magiſtratibus ordinario eam cognitionem mandatam fuiſſe, vel competiiſſe: ſed quod primum quotannis & ſolis magiſtratibus in vrbe delegari ſolebat, poſtea in perpetuum, & iis Prætoribus ſcilicet, & Præſidibus prouinciarum demandata ab Imperat. Claudio fuit, vt Suetonius Tranquillus ſcribit. Fab. Quintilianus lib.3 cap.6. Non debes apud Prætorem petere fideicomiſſum, ſed apud Conſules: maior enim Prætoria cognitione ſumma eſt. Vlpianus in l. pecuniæ.§.2.de verb. ſig. *Perſecutionis verbo inquit, extraordinarias perſecutiones puto contineri: vtputa, fideicommiſſum: & ſi quæ aliæ ſunt, quæ non habent iuris ordinariam executionem.* Hodie vero & fideicommiſſa, vt legata quibus exequuta ſunt, ſunt ordinarii iuris l.ſecunda, C. comm. de leg. ita vt non cogatur Prætor vel Præſes ipſe cognoſcere, ſed vel mandare de eo iuriſdictionem poſſit, vel etiam iudicem dare. Dices, imo & olim iure veteri per actionem ſeu formulam ordinariam in fideicommiſſis agendum

fuit, quæ vulgaris formula adpellatur in l.filius fa-mil.114.ſ.quid ergo.. ff. de leg. primo. vt in l.ſi ſeruus.de furt. Cuiacius libr.4. ſentent. Pauli tit. de fideicom.libert.verba d.ſ.poſtrema initium facit ſ. ſequentis, quod in omnibus exemplaribus male vel diuulſus ſit, vel ſcriptus, reſtituendum eſſe ait hoc modo: *ſecundum vulgarem formulam iuris, etſi filios ſuos emancipare rogatus fuerit, non cogitur hoc facere, quia ſcilicet poteſtas patria inæſtimabilis ſit, at extra ordinem*, inquit ille, *eos emancipare cogitur*. l. ſi cui legatum.ff.de cond.& dem. Miror Cuiacium non vidiſſe (ſi credere fas eſt) & hunc ipſum ſcripturæ ordinem, & hanc ipſam interpretationem apud Bartolum, & in illo ipſo loco, id eſt, ad §.ſecundum vulgarem. vbi ſic Bartolus ait, Non poteſt quis grauari, vt filium ſuum emancipet h.d. Opp. de l.ſi cui legatum inf.de cond.& dem. Dic quod iure actionis ex teſtamento non poteſt quis cogi emancipare, vt hic. ſed ſi pater agnouit relictũ factum ſibi, poteſt cogi iudicis officio, vt in l.contraria. idem in l.cogi. §.ſi pater ad SC. Trebell. notat ex diſtinctione Accurſii optima, vt ait: Sed Accurſium Cuiacius omnibus interpretibus Græcis & Latinis pręfert, & Bartolum δικαιομάστιγα vocat, ſcilicet vt Goueanus peſſimum iuris magiſtrum: nimis acerbe, eum, cuius ſe veſtigia adorare magnus Iaſon ſæpe dicit, opinor ex veteri poeta qui ſuam poeſin, vt Vergilii longe veſtigia adoret, iubet.

CAPVT XXIII.

Quæ iuriſdictione mandata tranſeant.

IN iuriſdictione duo cõtinentur, cognitio ac iudicatio ciuilium cauſſarum, quæ proprie iuriſdi-ctio

ctio dicitur, & imperium, quo tuetur magiſtratus & exequitur iuriſdictionem ſuam. Vtrumque mādata iuriſdictione in eum, cui mandata eſt, tranſit, ſed refert, omnem ne an partem, & quam partem, vel quatenus Prætor mandauerit. Pars etiam mandari iuriſdictionis poteſt, vel in cauſſas vel in perſonas certas l. Solet. ff. de iuriſd. quos fines egredi is, qui mandatam ſuſcepit, non debet, vt in aliis cauſſis omnibus mandati obſeruatur l. & quia ff. de Iuriſd. l. diligenter. ff. Mand. In cauſſas, puta ſi Iuriſdictio de fideicommiſſis mandetur à Prætore fideicommiſſario. in perſonas certas, puta inter peregrinos. Generaliter autem mandata Iuriſdictione omnia tranſeunt, totum iuriſdicundi officium tranſit l. prima, §. 7. ff. de ſuſp: tut. omnia ſcilicet quæ mandans habet ſuo iure & magiſtratus: non ſi quæ ei ſpecialiter lege conceſſa ſint l. prima, ff. de off. eius. multo minus ſi quæ non habet, nec ſuo iure, nec beneficio, vel conceſſu legis: quod ideo dicimus quia etiam Prætor Prætori, vel etiam Conſuli iuriſdictionem mandare poteſt. l. Prætor. ff. de iuriſd. tamen Prætor vel Conſul, quāuis maiorem iuriſdictionem, maiuſque imperium mandante habeat, in iuriſdictione tamen mandata non ſuo, ſed mandantis imperio vtitur, iuriſdictione mandantis fungetur, non ſua, vt ſæpe iam dictum. Neque igitur remediis aliis imperii vtetur, quam quibus mandator vti poterat, puta multcta, pignoris capione, quæ omnibus magiſtratibus competunt. Imperium autem quod mandator habet, omne tranſit l. prima §. fin. ff. de offic. ei. id eſt autem imperium non merum, ſed mixtum, quod iuriſdictioni ſcilicet cohæret, & ſine quo

iuriſdictio nulla eſt.l.vlt.ff.eod. Merum enim imperium & ius grauioris animaduerſionis tantum abeſt, vt generali mandata Iuriſdictione tranſeat, vt nec ſpecialiter mandari poſſit l. ſolent, de offi. Proconſ. l. nemo poteſt ius gladii. ff.de Reg. iur. Multo minus ea tranſeunt quæ ſunt (vt loquuntur) de reſeruatis Principi vel Pontifici Maximo: vt in quouis generali mandato: niſi nominatim exprimantur.l.Pomponius. ff. de Procurat.c. 1.& ibi gl.& c.4.de offic. Leg. Cæterum ſi priuato mandata Iuriſdictio ſit, an etiam ius prehenſionis habebit, quod Prætor, qui mandauit, habuit etiam in cauſſis ciuilibus & Iuriſdictioni tuendæ? Et ſi hoc habet, an etiam apparitores, an & lictores, quod maius eſt, nec tam facile conceditur? Sic in SCto de aquæ ductibus apud Frontinum lib.II. Curatoribus aquarum permittitur extra vrbem ſi quid agerent, & appatitores & lictores habere: ſi intra vrbem, apparitores tantum, non etiam lictores. Obiter voculam *vti*, moneo in illo SCto excidiſſe propter eandem ſequentem. ita enim legendum. *Cum autem in vrbe eius rei cauſſa aliquid agerent, cæteris apparitoribus iiſdem, præterquam Lictoribus vti. Vtique quibus apparitoribus, &c. ſed de prehenſione*, quatenus mixti imperii pars, & modicæ coercitionis ſpecies eſt, dubitari non debet, quin & mandata generali iuriſdictione tranſeat.l.vlt.ff. de off. eius, quæ realis citatio vulgo dicitur. Verbalis quæ per Edictum fit, quæ permiſſa eſt ei, cui iuriſdictio mandata eſt: iudici dato non item, niſi à Principe datus ſit. Quod Imperator Iuſtinianus conſtituiſſe: primus videtur. Nouell.de Litigioſ.§.omnem.vertic. aliis. Illa differentia eſt, quod hi in edicto debent

bent exprimere tenorem delegationis ſibi factæ, vel reſcripti:cum delegatio non ſoleat præſumi,atque ita delegato impune non pateatur , vt recte Bartolus notat ad Auth.qui ſemel.col. 3.C.quom. & quan.iud. Verberationem non puto:niſi ſit legatus l. meminiſſe. ff.de offic. Proc. Idem enim vix magiſtratui, vel iudici cauſſarum ciuilium licere arbitror ne Prætori quidem,ne in libertos quidem , quos propterea remittit caſtigandos ad Præfectum vrbi l. item & tutores , qui grauiori animaduerſione indigent. l. prima, §.1.ff. de off. Pr. vr. vel,vt eleganter ait l. Diuus. ff. ad l. Corn. de falſ. *ſi plus meruiſſe videantur , quam ex forma iuriſdictionis pati poſſint*. Lictores certe non habebit proprios & perpetuos,is, cui iuriſdictio mandata eſt, qui eum adſiduo comitentur , vel ei adpareant, tanquam magiſtratui,cum nec inſignibus vti magiſtratus à quo iuriſdictionem accepit, poſſit , licet imperio poſſit l.ſolet. ff. de iuriſd. Sunt enim inſignia propria magiſtratuum, nec vulgari debent. Denique pro regula obſeruandum eſt, quod Iauolenus ex Caſſio, *cui iuriſdictio mandata eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur,ſine quibus iuriſdictio explicari non poteſt*,l 2.ff.de iuriſd. Et ſimiliter Alexander Pontifex: *Poſtquam ei cauſſa*,inquit, *licet ſimpliciter delegatur. Satis poteſt noſtra authoritate partes compellere,& etiam contumaces ſeueritate Eccleſiaſtica coercere: etiamſi literæ commiſſionis id non contineant, aut partes mandatum noſtrum non habeant,vt accedant. Quia ex eo quod cauſſa ſibi committitur, ſuper omnibus,quæ ad cauſſam ipſam ſpectare noſcuntur,plenariam habet poteſtatem*. c.Præterea. ext. de off. deleg. Pro Tribunali autem ſedent, vt ſupra demonſtratum. Sententiam etiam

nomine magiſtratus, cuius vicem gerũt, proferũt. Quod olim in cauſſis appellationum, & Quæſtores ſacri Palatii faciebant nomine Cæſaris, imò & omnia quaſi Cæſare præſente & cognoſcente adhibebant, etiam inſignia Imperatoria, vt veſtes & ſimilia, quod κατὰ τὸ σχῆμα τῶν σακρῶν ἐξετάζειν dicit, Nouella 126. eademq; id vetat pœna perduellionis propoſita: abrogatque lege Theodoſii & Valentiniani qui id iuſſerant, vt ibi in principio ſcriptum eſt, quod noto, quia noue ab iis factũ exiſtimo. Sane pro inſolentiſſima re notat Dio & Xiphilinus, in vita Imp. Galbæ, quod Capito, cũ forte reus quidam ab eo ius dicente prouocaſſet, ſtatim in ſellam excelſiorem tranſilierit, atq; ita dixerit, Age dic cauſſam apud Cæſarem: eumque cauſſa cognita capitis damnauerit. Sed in Capitonem animaduertiſſe Galbã ſcribit. Hodie in Camera Ro. imperii, nomine Cæſaris omnia aguntur, ſed & in aliis prouinciis idem mos viget.

CAPVT XXIV.

Cauſas mixti imperii mandari delegariue poſſe.

IVuat nunc cognoſcere quibus rationibus moti vulgares interpretes cauſſas mixti imperii, quas vocãt, delegari nõ poſſe contenderint. Erroris prima origo ex eo fuit, quod in illa nobili Papiniani definitione, *quæ iure magiſtratus competunt, mandari poſſe:* magiſtratus intellexerint minimos & municipales: quaſi hoc Papinianus dicat, id demũ cõpetere iure magiſtratus, quod etiam infimis, id eſt, municipalibus magiſtratibus competit. Quæ ſententia ita omniũ occuparat animos, vt veram verborum

borum Papiniani interpretationem Alciatus in libros Paradoxorum retulerit:quamuis Fulgoſio antea viſam. Sed ſententia quidem Papiniani, & veterum omnium apertiſſima eſt, cũ ea dicunt mandari nõ poſſe, quæ ſpecialiter lege vel SCto vel Cõſtitutionibus Principũ tribuuntur l. 1. ff. de of. eius. l. muto. §. tutoris. de Tutel. quo in numero non ſunt cauſſæ mixti imperii, vt mox adparebit:& magiſtratus nomen cũ apud Papinianũ tũ alios pro veris & legitimis magiſtratibus accipi conſtat:in illa certe l. 1. municipales quomodo intelligi poſſint, non video. Eadẽ ſententia Dd. conuincitur apertiſſime exemplis & locis iuris, quibus præcipuas mixti imperii cauſſas demandari,& mandata generali Iuriſdictione tranſire, demonſtratur: veluti bonorum poſſeſſiones dare, vnde eſt ipſa mixti imperii definitio ab Vlpiano ſumpta l. 3. ff. de iuriſd. itẽ in bonorum poſſeſſionem mittere l. 4. eod. De his igitur ſic ſcriptum eſt in l. cognitio §. 1. ff. de off. eius. *Vt poſſeſſio bonorum detur, vel ſi cui damni infecti non caueatur, vt is poſſidere iubeatur, aut ventris nomine mulier, vel is cui legatum eſt, legatorum ſeruandorum cauſſa in poſſeſſionem mittatur, mandari poteſt.* Itã in l. 1. §. 4. ff. de ſuſp. tut. *Mandata Iuriſdictione totum officium iuriſdicundi tranſire.* Atqui ad officium ius dicentis pertinere bonorum poſſeſſio, dicitur in l. prima, ff. de iuriſd. Nam quod aiunt in d. l. cognitio. & ſimilibus accipiendam definitionem eſſe de cognitione & pronunciatione, an quis mittendus ſit in poſſeſſionem, non de ipſa miſſione, hanc delegari non poſſe, illam poſſe: nimis ridiculum eſt, & nulla lege ea diſtinctio probari poteſt: quod & Paulus Caſtrenſis vir in textibus legum fundatiſ-

ſimus (vt alicubi eum Zaſius nominat) odoratus eſt. Et certe maius atq; excellentius eſt cognoſcere atq; iubere in poſſeſſionem ire, quam ipſum mittere, ſiue factum miſſionis vt vocant, id enim & per nuncios,&lictores magiſtratus expediri poteſt ac ſolet,imo & actori permittitur interdū, vt poſſeſſionem ipſe per ſe accipiat. l.ſi is cui.ff.vt in poſſeſſ.leg.l.executorem.C.de exec. re. iudic. Quibus difficultatib.vt ſe expediant,varie ſe Dd.torquent. Quod vel apud vnum Iaſonem videre licet in l.4. ff.de iuriſd.ſed locos iuris quibus præcipue nituntur, duos eſſe animaduerti.l. dies. 4. §. duos.ff.de damn.infect.& l.nec quicquam. §.vbi decretum. ff.de off.Proconſ.cum l. omnia quæcunque.ff. de regul.iuris. Facilis reſponſio eſt. Nam ad d.§.duas quod attinet,primū moneo, Aliud eſſe,cum quæritur,an cautio & poſſeſſio ex cauſſa damni infecti poſſit alteri mandari,& delegari? Et dicendum eſt, omnino poſſe,nec magiſtratui ſolum municipali, ſed cuilibet,cum id iure magiſtratus competat, nō ſpecialiter vlla lege tribuatur. Aliud longe eſſe,an magiſtratui municipali ſine mandato Præſidis id competat iure ſcilicet magiſtratus ſui. De hoc ita reſpondendum eſt,ſi reſpicimus ad poteſtatem horum magiſtratuum, non poſſe. Quæ enim magis imperii ſunt,quam iuriſdictionis, vt eſt hæc cautio atque poſſeſſio l.4.ff.de iuriſd.ea municipalis magiſtratus facere non poteſt, l. ea quæ.ff.ad municipal. Excipienda eſt tamen cauſſa damni infecti, ob eam rationem, quæ poſita eſt in l.1.ff. illo titul. quia res celeritatem deſiderat. Ea de cauſſa Prætor duas illas res,cautionem inquam, & poſſeſſionem magiſtratibus municipalibus delegandas cenſuit.

Dele-

Delegauit in perpetuum Edicto ſic, vt in ſingulis cauſſis & negociis mandato Prætoris vel Præſidis eis opus non ſit. Quo factum eſt, vt in cauſſa damni infecti hanc particulam, mixti imperii, ſuo iure magiſtratus municipales habeant. Et hoc eſt, quod Accurſius aït, rectiſſime ex edicto Prætoris mortui id eos habere: nõ ex mãdato Prætoris viui, vt male Cuiac. contendit. quod eſt etiam contra rationem d. l. 1. vt alibi etiam monui. Quæ ratio celeritatis in hac re, & periculo adeo valuit, vt ſi Duumuir, cum in propinquo Præſidis copia non eſſet, id facere neglexerit, actione mihi in factum teneri dicatur dict. l. 4. §. pen. Sed maior etiam eſt vulgo Interpretum error. Nam definitionem dict. l. 1. & d. l. 4. §. dies. ad priorem illam quæſtionem adcommodantes ita ſtatuerunt, cauſſas mixti imperii non poſſe delegari, excepta cauſſa damni infecti. Regula pariter falſa, & exceptio inepta. cum ita potius dicendum fuerit, magiſtratibus municipalibus non cõpetunt ſuo iure ea, quæ mixti ſunt imperii: ſed excipiẽda eſt cauſſa damni infecti, quã viſum eſt Prætori Edicto ſuo in perpetuum eis delegare ſiue tribuere, ſuo vt iam habere iure cenſeantur. Nec multum fuit, quod tribuit, cautionem inquam, & poſſeſſionem mandari cuſtodiæ cauſſa, & aduerſarii tædio adficiendi. Nam præcipua, & in quibus ius imperii conſiſtebat, *ſuæ iuriſdictioni*, inquit Vlpianus, *reſeruauit*, nec magiſtratui municipali permiſit. Iubere videlicet, ex ſecundo Decreto poſſidere, & ſi reus non venerit intra tempus ſtatutum, facere iure poſſeſſionis dominum eum, quem poſſidere iuſſit. l. Fulcinius. §. fin. Quibus ex cau. in poſſ. eat. l. Prætor. §. 1. ff. de damn. inf. cap. 1.

ext.de eo qui mitt.in poſſeſſ.Dixi,ex ſecundoDecreto; quod eſt proprium miſſionis in hac cauſſa damni infecti, ſed in hoc caſu,vbi prius municipalis magiſtratus in poſſeſſionem miſit, Prætoris vel Præſidis decretum non tam ſecundum creditur, quam primum.Secundum tamen, quia præcedēs miſſio pro primo eſt,& quaſi vicePręſidis interpoſitum decretum:non tamen pro Tribunali vt mos eſt:quia proprie Tribunal magiſtratus municipales non habent:ſed de plano ſella poſita iudicant. At ſecundum decretum pro Tribunali & cauſſæ adhibita cognitione interponitur à Prætore, vel Præſide,non à Duumuiro.neque enim Duumuiri opera ſufficit d.l.duas §.5.Quo pertinere regulam iuris l.vbicunque.ff.de R.I.recte viri dicti annotarunt.Eſt enim ex lib.1.Pauli ad Edictum, quo is de iuriſdictione magiſtratuum municipaliū egerat. Vbi decreto opus eſt,& cauſſæ cognitione Prætorem vel Præſidem interuenire d. lex ait. Alter locus,quo Dd.vt dixi,eſt l. nec quicquam. §. vbi decretum ff.de off.Proconſ.vnde ſumpta eſt l. omnia quæcunque ff.de Reg. iur. Sed iam antea libro ſuperiori docui quam inepte libellū illic iudicē interpretentur, nec minus ineptæ ſunt & mirificæ Bartoli diſtinctiones, quibus d.§.inuoluit.

CAPVT XXV.

Quæ prætor ſibi edicto ſuo iniunxit, vel reſeruauit ea mandari poſſe.

CÆterum dubitandum non eſt, quin prætor ſeu præſes iuriſdictionem mandare Duumuiro poſſit, vt etiam ex ſecundo decreto poſſidere cum

te eum, quem in poſſeſſionem ædium ruinoſarum miſit iubeat. Omnis enim in poſſeſſionem miſſio mādari poteſt, cum iure magiſtratus competat, vt ſupra demonſtratum. Non refert, quod id iuriſdictioni ſuæ reſeruaſſet prætor l. 4. §. dies de dam. inf. reſeruauit enim nimirum iuriſdictioni, cuius proprium eſt, vt mandari alteri poſſit l. *1.* & paſſim. de off. eius. l. more. l. & quia. ff. de iuriſd. & reſeruaſſe dicitur ideo, ne id etiam ſibi magiſtratus municipalis quaſi ſuo iure, & permiſſum edicto perpetuo exiſtimaret: non vt ne mandari ei hoc quoque poſſit, quod cuiuis poteſt. nec obſtat illud, *ſua*; nam & prætoris ſua iuriſdictio dicitur, quam mandauit l. ſolet. ff. de iuriſd. l. prætor. de off. eius. cum ſimil. non idem forte diceremus ſi cognitioni ſuæ dixiſſet. Nam quarum ſibi rerum cognitionem edicto ſuo prætor iniunxit, ea non temere mandat, licet forte poſſit alioquin, quid edictum diſtaret à lege, à Senatuſconſulto, à conſtitutione principum, quibus quæ tribuuntur ſpecialiter, dicuntur mandari non poſſe. l. prima, ff. de off. eius. Separatio bonorum cum de poſſidendis & diſtrahendis debitoris defuncti bonis agitur, non lege (vt exiſtimo) ſed edicto prætoris introducta eſt. *Sciendum eſt,* inquit Vlpianus, *ſeparationem ſolere impetrari decreto prætoris.* l. prima, in pr. ff. de ſeparat. idem tamen poſtea ſcribit, *De his autem omnibus, an admittenda ſeparatio ſit necne, Prætoris erit vel præſidis notio: nullius alterius. hoc eſt, eius, qui ſeparationem indulturus ſit.* §. de his. dict. l. prima. Sane hactenus ea iniunctio edicti valet, ne iudicem dare pedaneum poſſit. Quare, vt prætor id poſſit in cauſa reſtitutionis minorum, de qua ſe

animaduerſurum promiſerat, conſtitutione Iuſtiniani opus fuit: non etiam vt mandare Iuriſdictionem ex ea cauſſa liceret, nam & hoc antea potuit, ſine vlla conſtitutione l. vlt. C. vbi & apud quem. Nec obſtat, quod oratio Conſtantini Imperatoris ſpecialiter & nominatim hanc cauſſam tribuere Prætori videatur. l. 1. C. de off. Præt. nam primum ea lex loquitur de nouo prætore Cõſtãtiniano: deinde nihil peccarem aut nobis repugnatem, ſi ei Prætori ſpecialiter ſic datam dicerem, vt mandare non poſſit. Alia ratio aliorum Prætorum eſt. d. l. vl. in fin. Eiuſdem generis illa ſunt, in quibus Prætor ſeſe cogniturum, vel acturum aliquid dicit, veluti in Edicto de iure deliberandi. *ſi tempus ad deliberandum petet, dabo*: in quo cauſſæ cognitio requiritur. l. 1. l. ait. §. 3. & paſſim. de iur. delib. vbi cum omnes prope leges de cognitione, arbitrio, permiſſuque Prætoris loquantur, non inde illico colligas, Prætorem eam cognitionem mandare non poſſe. Nec mihi quis obiiciat Prætoris Edictum pro lege Prætoribus eſſe, poſtquam ex Edicto perpetuo ius dici cœpit. Neq; enim ea res immutauit naturam iuris Prætorii, vt quæ edicto Prætori tributa ſunt, ea prętor exequi ipſe cogatur, nec alteri mandare poſſit: neque diſcrimen iuris ciuilis & Prætorii ſuſtulit, quod vel ex temporibus actionum adparet, cum Prætoriæ ſint fere annuæ, ciuiles perpetuæ l. in honorariis ff. de oblig. & act. vt hoc ſenſu recte dicatur, quod dixit Cicero alio, Edictum Pretorium legem annuam eſſe. Cui iuri Prætorio Doctores noſtri comparant Conſtitutiones Principum noſtrorum, neque enim eas efficere ius ciuile, ſed Prætorium dicunt, magnaſque inde differentias conſtituunt.

ſtituunt. Idem & de Electis aliorum magiſtratuum Rom. dicendum. SCta autem legis vim & vicem obtinere, palam eſt. Quare ſi quid SCto iniunctũ alicui & nominatim & ſpecialiter, id mandari non poteſt, vt quæſtio de familia occiſi, quo exemplo etiam Papinianus in illa definitione vſus eſt. l. 1. §. 1. ff. de off. eius. Idque verum eſt, etiamſi Conſulibus aliquod negocium. ſiue aliquam quæſtionem, & cognitionem iniunxerit, adiecta vt mos fuit illa clauſula, SI EIS VIDEBITVR. De qua ſic Liuius lib. 36. *Lectum quoque SCtum priuſquam ſecuri feriret, quidam authores ſunt: ſed quia adſcriptum SCto fuerit, Si ei videretur, integram rem ad ſenatum reiiceret: interpretatum eſſe, quid magis è Repub. duceret, æſtimationem ſibi permiſſam.* Ad reuerentiam enim id pertinet, & ne ſenatus imperare ac præſcribere ſummo imperio videretur.

CAPVT XXVI.

Quibus verbis intelligatur Iuriſdictio mandata.

NOn ita magiſtratus iuriſdictionem ſuam mãdat, vt ea ipſe ſe exuat. Remanet enim ſemper penes eum, & cum mandauit, tamen ipſius iuriſdictio dicitur, non eius, cui mandauit l. ſolet. de Iuriſd. d. l. 1. l. etſi. de off. eius. Illa igitur verba quib. ICti vtuntur in mandata iuriſdictione & eo, quod ei ineſt imperio, transferri, tranſire & ſimilia: nõ eo pertinent, quaſi ipſa iuriſdictio à magiſtratu, tanquam dominium alicuius rei trãsferatur. Eſt enim iuriſdictio nõ in dominio & ditione magiſtratus, ſed legis, id eſt, populi vel Principis. Neq; tamen cũ

lex dicitur dare, vel deferre alicui iuriſdictionem l.&quia.ff.de iuriſd.author legis,vel Princeps ea ſe ſpoliat;ſed eam retinet iure ſummæ illius poteſtatis & arbitrii omnium rerum. Neq; Princeps propterea vel populus eſt magiſtratus adpellandus,etiamſi interdum ius dicat: ſed magiſtratuum, & iuriſdictionis author,ac veluti fons l.vl.Cod.de ll.& Taciti lib. 3. Annal. *maius quiddam atque excelſius à Principe poſtulari ſe neq; Ædilis, neq; Prætoris,neq; Conſulis partes ſuſtinere,* Tiberius ait.Ita Regem ac Principem à magiſtratibus paſſim diſtingui videmus & pro notabili habuit Liuius, libro 55.quod Samothraces ſummum magiſtratuum ſuum Regem adpellarent.neq; eſt apud Latinos commune nomē Regi,ſiue Principi,& magiſtratui, cum Ariſtoteles & Græci tamen vtrumque ἀρχὰς dicant. ſed ad rē. Mandari iuriſdictio eo more dicitur, quo cæteræ res vel negocia l.& quia.id eſt, pro adminiſtratione,& exercitio alteri commiſſo. Igitur ſi mandati eſt ipſo vocabulo magiſtratus vſus: ſine dubio iuriſdictio mandata intelligitur,non ſola notio conceſſa.Idem eſt,ſi partes, ſi vicem ſuam alteri mandet,vel committat l.ſolet.de iuriſd. l.etſi.de offi. eius.ſi dicat velle ſe eum ſibi legari.vt apud M.Tullium, Cæſar me ſibi legauit. Sed hæc in facto poſita ſunt, & voluntate atque oratione eius, qui alteri iuriſdictionem committit. ex perſona etiam & dignitate eius idem ſæpe cognoſcitur. Multum enim inter eſt,Magiſtratus ſit an Princeps, vt bene Doctores noſtri ſcribunt. Nam princeps ſi det vel deferat alicui iuriſdictionē, vtiq; deferre tanquam lex intelligitur,atque ideo is cui delata eſt,habebit eam non tanquam mandatam, ſed iure proprio, & per

& per conſequens ea iuriſdictio non extinguetur morte principis l. more,l.ſeq.ff.de iuriſd. Eſt enim princeps veluti lex quędam animata νόμος ἔμψυχος Clementi Alexandrino,& Imp. Iuſtiniano in Nouellis. Contra autem magiſtratus, nunquam iuriſdictionẽ ita dare poteſt,ſed mandare tãtum, & delegare d.l.4. Similis differentia in iudice dando reperietur. Nam datus à magiſtratu iudex, nihil amplius,quã ſimplicẽ & nudam cognitionem habiturus eſt, ſine iuriſdictione, ſine exequendi poteſtate,neq; enim plus iudices dati habẽt.l.vl. C. vbi & apud quem. l.à Diuo.ff.de re iudic. At datus à principe iudex & iuriſdictionem habet l.vn.C.qui pro ſu.iuriſd.ſed iuriſdictionem nõ vt ſuperiori caſu propriã,ſed velut mandatã,ita vt mortuo Principe ea quoq; ſoluatur dict.l.quarta & quinta. Abſurdũ videtur enim, vt recte Donellus ſcribit, plus habere iudicem à Principe datum, quam eum cui ipſa iuriſdictio vel ab ipſo,vel à magiſtratu mandata eſt. quare nec mandare eam alteri poterit dict. l. & quia. Facile autem erit,ex verbis reſcripti cognoſcere,vtrũ iudicem princeps, an iuriſdictionẽ dare voluerit:item ex rebus ipſis atque cauſſis. Nã ſi aliquẽ cognoſcere de vno aliquo negocio iuſſerit,apparet iudicem ab eo datum nõ iuriſdictionẽ, quam propriam ſcilicet ille habeat, vt iam dixi. Quod ſi iudices ad vniuerſitatem cauſarum,vel in certo territorio dederit, iuriſdictionem ei principaliter dediſſe intelligendus eſt,quam ille ſuo iure poſtea habeat,tanquã delatam à lege,non vt mandatam & elienam. Quare & ipſe mandare iuriſdictionem poterit,ne dum iudicẽ dare, eſt enim tanquam magiſtratus , vel quaſi iudex ordinarius:

vt bene ſcribit gloſſa in cap. cum cauſſam. 62. in verbo Delegatus ext. de appellation. Optime hæc aliaque expreſſit eruditiſſimus Guntherus Ligurini lib. 8. de Friderico Imperatore.

—— Rex omnibus aures,
Commodat & querulis iudex clamoribus idem
Æquus adeſt, certo dirimens examine lites.
Sed quia tam multis finem dare Curia præſens
Non poterat cauſſis, placuit ſatis vtile quiddam
Ingenuo pulchrumq; duci, cunctasq; per vrbes,
Edoctos in iure viros, veriq; ſequaces
Impoſuit medio qui cuncta negocia iuris
Limite diſcuterent, nec eos ex vrbibus iiſdem
(Ne fauor aut odium ſenſus corrumpat eorum)
Sed magis ex aliis ad munera pulchra vocatos
Elegit, ſacra vel delegauit ab aula.

Illud poſtremo notandum eſt, cum aliquod negocium, vel iuriſdictio committitur magiſtratui ordinariam in eo negocio iuriſdictionem habenti multum referre, vtrum delegata ei in ea re iuriſdictio noue, an excitata vetus videatur. Qua tota de re extat pulchra & accuratiſſima tractatio Felini in c. licet. ext. de off. ordin. & in cap: cum ex officii ext. de præſcription. qui omnino videndus. Memini ego certe apud Zaſium legere, multos eum vidiſſe proceſſus infirmari ob eam rem, quod iudex male altera iuriſdictione vſus eſſet. & gl. in l. ſæpe. ff. de off. Præſ.

CAPVT XXVII.

De iudice à principe dato.

SEd cum conſtat iudicem duntaxat à Principe datum eſſe, tum demum de eius poteſtate quærendum

rendum erit. Ea vero tota fere in eo conſiſtit, quod iurıſdictionem habeat, quam nemo à magiſtratu, quãuis ſummo datus, habet. d.l. à Iudice. & d.l. vn. & l. vlt. C. vbi & ap. quem. Ex quo illa conſequuntur maximi effectus ac põderis. I. Primũ vt in cauſſa, ſiue in eo negocio, in quo Iudex deſtinatus eſt, iudicis dandi poteſtatem habeat, quod ſubdelegare vulgo dicunt. d.ll. idque verum eſt, ſiue negocium ciuile ſit, ſiue criminale. Hoc enim illa verba d.l. vn. aperte demonſtrant. *Nullo perſonarum vel cauſſarum tractatu* (id eſt diſcrimine) *habito*. Quamuis non ignorẽ eruditiſſimos homines eſſe, qui ſecus de criminali negocio ſentiant, eaque verba aliter interpretentur. Plus igitur, quam magiſtratus ſummus habet: nam is iudicem date in capitalibus & criminalibus non poteſt, nec Iuriſdictionem in iis cauſſis mandare, vel publici iudicii exercitionẽ. l.1. ff. de off. ei. l. ſolent. ff. de off. Proconſ. l. nemo poteſt ius. ff. de Reg. iur. Et ratio eſt, quia ſpecialiter lege vel conſtitutione Principis tribuuntur d.l.1. A quibus ſemper ſeparo cauſſas illas, quæ vulgo de Reſeruatis Principi in ſignum ſupremæ poteſtatis dicuntur, puta Tabellionum creatio, Legitimatio Spuriorum, aliaque quæ Baldus enumerat in l.1. C. de iur. aur. anul. Hæc enim à Principe alicui delegata, ab illo ipſo cui delegata ſunt, expediri debẽt. vt bene Alexander Imol & alii tradunt. l.1. ff. de off. eius. In omnibus autem illa nobis adhibenda cautio eſt, vt conſideremus, num Princeps ipſum cognoſcere, quẽ iudicem dedit, voluerit, in quo multa inepte Doctores noſtri dicunt. Nam ſi Princeps ita locutus ſit, Tu cognoſce, vel iudica, putant iudicem ab eo dari poſſe: cõtra ſi dixerit, *Tu Tu cognoſce*

quo modo nemo, niſi cuculus, loquatur. Idem eſt.
ſi in cauſſa committēda vſus ſit verbis, quibus ſpe-
cialiter induſtriam, & fidem eius ſpectatam appa-
reat c.fin.ext.de off. deleg. puta, committimus tibi
hanc cauſſam pro æquitate vel conſcientia iudicā-
dam, recte hoc Doctores. ſic Imper. Iulianus in E-
piſtola quadam, opinor ad Præſidem Achaiæ
ſcripta, cum illi negocium quoddam expoſuiſſet,
ita ad extremū cōcludit elegantiſſime: Εἴρηται, φα-
σὶν οἱ ῥήτορες, ὁ γέμος ὁ λόγος. Κείνοις δ' αὐτὸς τὰ δέ-
οντα. id eſt, Iudica ipſe, quod æquū tibi videbitur.
Huc pertinet & illa ſolemnis Imperatorum reſcri-
ptio, *Præſidem prouinciæ, vel eum qui Prouinciæ præeſt,
adire potes.* l.ſæpe 8.& l.ſeq.ff.de off.Præſid. Non i-
dem dicendum arbitror, ſi Senatus, puta, Conſu-
libus cognitionem permiſerit aliquam, veluti de
Aſylis apud Tacitum libro 3. cum illa adiectione,
*vt perſpecto iure & ſi qua iniquitas inuolueretur, rem in-
tegram rurſum ad ſenatum referrent.* Neque aliud in
Principe ſtatuendum ſi eadem cum adiectione,
vt ad ſe poſtea referatur de ea re, adiri Præſidem
vel alium magiſtratum iubet, tunc enim neceſ-
ſitas iniuncta cognitionis ſuſcipiendæ Præſidi vel
legato videtur. Atque ita Felinus in c.licet. ext.
de offic.ordinar. ſi Princeps in ſuo reſcripto dicat,
vt cognoſcat, & ante expeditionem referat: hanc
adiectionem relationis facere, vt delegata iuriſdi-
ctio intelligatur, etiam habenti ordinariam. Ex-
emplum etiam in D. Hadriani ſententiis, quæ
cum veteribus gloſſariis leguntur. Cum enim
quidam Codicillos ei obtuliſſet, quibus quere-
batur plures eſſe fœneratores, qui iniquas vſuras
exigerent, eademque pecunia vſurarum rurſus fœ-

nerarent, dixit ἐξοχώτατος ἀνὴρ ἔπαρχος ἐμὸς, περὶ τούτων ἐδίκασεν, καὶ ἀπαγγέλλει μοι διὰ βιβλίου. Vir eminentiſſimus Præfectus meus, de hac re iudicabit mihique per libellum renunciabit. Idem iudicandum eſt de eo, quem magiſtratus iudicē ex authoritate Principis dedit, ipſum ſcilicet cogi cognoſcere: præſertim cum hic non tam datus à magiſtratu quam à Principe intelligatur. Quare ab eo non Princeps, ſed magiſtratus adpellatur, licet nominatim eū Princeps iudicem declarauerit, vt ait Modeſtinus in l.vlt.ff. Quis & à quo adpell. Iudex autem à magiſtratu datus, licet ex authoritate Principis, vt dixi, nō poteſt aliū iudicē dare, l.à iudice. C.de iudic.l.vn.Cod.qui pro ſu.iuriſd. cum ſimil. II. Deinde ea poteſtas iudicis à Principe dati eſt, quod ipſe exequi ſuas ſententias poteſt: quod ab aliis dati non poſſunt.l.à Diuo Pio.ff.de re iudic. III. Aduerſus ſententiam ipſius, nemo in integrum reſtituere poteſt.præter Principem l.Minor autem §. penult.ff.de Minor. Quod ipſum indicio eſt, eum ſummis magiſtratibus exæquari, vt Præfecto Prætorio, & eis qui vice ſacra iudicant, nam & aduerſus rem ab iis iudicatam ſolus Princeps reſtitutionem dat, ſicut & contra ſententiam Procuratorum ſuorum l.3.C.ſi adu.rē iudic.l.1. C. vbi, & ap.quem. Cum tamen aduerſus ſententiam Præſidis qui ſummum imperium poſt Principē habere in prouincia dicitur l.Præſes.ff.de of.Præſid.in integrū reſtituere Præfectus Prætorio poſſit, aduerſus ſententiam Prætoris Pręfectus vrbi, imo & par aduerſum ſentētiā Collegę ſui, vel anteceſſoris l.in cauſſa 16. §.vl.& 2.ll.ſeq.ff.de minor. IV A ſentētia iudicis à Principe dati ſolus etiā Princeps appellat,

quod ſi ipſe iudex alium iudicem dederit, appellatur ab eo non Princeps, ſed is qui eum dedit l. vn. in fi. C. Qui pro ſu. iuriſdict. Ex quo id, quod ante dixi, adparet, habere quidem iudicem à Principe deſtinatum iuriſdictionem, ſed non propriam, vt quam principaliter lex alicui defert, ſed mandatã. Nam ſi propriam haberet, eam mãdare poſſet l. 4. & l. 5. de iuriſd. & aduerſus eius, cui mandaſſet, ſententiam non ipſe, ſed Princeps adpellaretur l. 1. §. 1. ff. quis & à quo appell. à Præfecti Prætorii ſententia non appellatur, ne Princeps quidem l. 17. ff. de Minor. item nec ſenatus. quod cautum eſſe Oratione Diui Adriani ſcribit Vlpianus in l. 1. §. 2. ff. à quib. adpell. licet. Olim quoque conſtitutione, id eſt, Oratione, vt puto, Neronis ſimilis honor ſenatui habitus, Tacitus lib 14. Annalium. *Auxitque patrum honorem ſtatuendo vt qui à priuatis iudicibus ad ſenatum prouocauiſſent, eiuſdem pecuniæ periculum facerent, cuius ii, qui Imperatorem appellauere. Nam antea vacuum id ſolutumque pœna fuerat.* Sed quos appellat priuatos iudices? An datos à ſenatu iudices vel præpoſitos alicui muneri cum poteſtate iudicandi, vt in illa veteri inſcriptione, CVRATORES LOCORVM PVBLICORVM: IVDICAND. EX S. C. CAVSA COGNITA. EX PRIVATO IN PVBLICVM RESTITVER. & ſimilib. SCtis apud Frontinum, at non iudices à magiſtratibus datos. ab his enim conſtat magiſtratus ipſos, qui dederunt prouocari, l. vl. ff. quis & à quo appell. Sed magiſtratus ipſos, vel qui in conſilio magiſtratus Iudices ſedent: vel certe à Senatu ſpecialiter, vel Principe datos, vt in Auth. de iudic. Hos enim comparatione Senatus recte quis priuatos iudices dixerit, vel pene priuatos

vt ſe

vt ſe Cicero Ædilis Curulis comparatione Hortẽſii Conſulis. Iulius Capitolinus in Antonino Philoſopho: *Senatum multis cognitionibus, & maxime ad ſe pertinentibus iudicem dedit.* & mox: *In ſenatus honorificentiam multis & Prætoriis, & Conſularibus priuatis decidenda negocia delegauit, quo magis eorum cum exercitio iuris authoritas adcreſceret.* Hos igitur tales priuatos iudices intellexit fortaſſe Cornelius. Neque infructuoſa hæc de Rom. Senatu obſeruatio eſt, cum eadem hodie prærogatiua ſupremas Curias vti velint. Eadem autem dignitas ſæpe iudicis eſt à Principe dati, vt neque ab ipſius ſententia prouocari poſſit. ſi videlicet ita datus ſit, vt ſolet, ne ab eo prouocetur. quomodo nemo alium iudicem dare poteſt d.l.1. §. fin. A quibus appell. non licet. quo pertinere puto l. 2. C. de appell. Iudex à Principe dari etiam in appellationibus à Conſule factis potuit. Ita enim locum illum in eodem M. Antonino, *Neque vnquam receſſit de curia, niſi Conſul dixiſſet, Nihil vos moramur Patres Conſcripti. Sin autem adpellationibus à Conſule factis, iudicem dedit:* reſtituendum aio *ſenatum appellationibus, &c.* De honore enim Senatui in re iudiciaria habito ſermo eſt. VI. Iudex à Principe datus poteſt per Edictum citare §. ſi vero etiam quidam. Auth. de exhib. reis. quod non poteſt à magiſtratu datus, is enim per nuncium vel epiſtolam tantum citare poteſt, imo & arbiter, l. diẽ proferre in pr. ff. de Arbitr. At prehenſionem nec Iudex à Principe datus habet, nedum datus à magiſtratu: quod tamen Interpretes multi adfirmant, de quo Iaſon ad l. 2. ff. de iuriſdict. legendus. Poſtremo litigantibus apud Iudicem à Principe datum non vlla perſonæ præſcriptio obiicitur,

quaſi agere vel accuſare non poſſit, vt apud D. Hilarium ſcriptum eſt in lib. aduerſus Arrianos, cum inter ipſum & Auxentium Epiſcopum cognoſcere Quæſtor & Magiſter iuſſi eſſent. Ex his quæ hactenus expoſui apparet, quã verum ſit, quod Duarenus in l. à Diuo Pio ff. de re iud. ſcribit, vnicã tantum in iure ciuili differẽtiam inter Iudicem à Principe, & Iudicem à magiſtratu datum reperiri.

CAPVT XXVIII.

Quibus modis Iuriſdictio finiatur vel amittatur.

ATque hi ſunt qui iuriſdictionem habent vel propriam & ſuo iure, vel mandatam, & alieno beneficio. Nunc vtraque quibus modis amittatur, vel finiatur, breuiter cognoſcendum eſt. Ordinaria igitur & propria iuriſdictio, qualis penes magiſtratum eſt, plerumque vel ex tempore cum ipſo magiſtratu finito perimitur, vel durante magiſtratu ex delicto. Cum magiſtratu res liquida: nã ei cohæret, vt ait l. vlt. C. vbi & ap. quem. Sine magiſtratu illud ciuile factum Imperat. Marci Antonini Philoſophi probat. Iulius Capitolinus de eo: *Ac ne in quemquam facile vindicaret*, *Prætorem quoque, dum peſſime egerat, non abdicare ſe Pratura iuſſit*, *ſed collegæ iuriſdictionem mandauit.* Quid vero ſi quis ipſe ſe magiſtratu abdicet, an imperiũ vel iuriſdictionem amittat? & ſiquidem ante tempus magiſtratui præfinitum ſe abdicet? intereſt, vtrum id cõſenſu Principis, vel ſenatus, vel populi fiat, an non. priori caſu abdicatio valet l. 2. §. & cum placuiſſet. ff. de orig. iur. ſiue reſignatio & renunciatio, vt vocant, c. de-

nique,

que, 6. quæſt. 3. imo ſi cauſſa abdicandi fuerit, i-
i vltro reddita cauſſa ſe abdicare poſſunt, vt Sē-
onius Gracchus, vt alii forte recordati, quod ma
ſtratum vitio cepiſſent: ſicut & Dictatores, qui
gocio, cuius cauſa creati erant confecto ſeſe ipſi
tim abdicare conſueuerant, & ante tempus. Po-
riori caſu non item. quo pertinet illa ſententia
piniani *Præſidem vel correctorem prouinciæ abdican-
ſe non amittere imperium* l. pen. ff. de off. Præſid.
od intelligendum eſt, non ſolum cum ſenatus,
l populus abdicare ſe conantem prohibuit, vt ex
uii li. 6. & 37. Cuiac. notat. Ex quo apparet quod
nt. Vacca magiſtratus vrbanos ſe abdicare poſſe
ere, & imperium amittere, eoque differre à ma-
ſtratibus prouincialibus putat, non omnino ve-
m eſſe; ſed etiam ſi non prohibuit dummodo nō
nſenſerit: ignorans enim & non expreſſe con-
tiens pro nolente & inuito habetur. Cicero li-
ntiſſime cum ex Cilicia rediſſet, lictores dimi-
ſet, ſed non ei id licuit inſcio ſenatu, vel inuito,
tequam vrbem eſſet ingreſſus. Sane magiſtratus
mpore elapſo, & magiſtratus, & imperium om-
finitur. Quamuis alias dici ſoleat tempus non
e modum, vt inducendæ, ſic nec tollendæ obli-
tionis. l. obligationū fere. verſic. placet. ff. de obl.
act. Sed hæc diuerſa ſunt, & diuerſam habent ra-
nem, imo & maieſtatis tenetur, qui imperium
tra tempus legitimum retinet. Incidere tamen
terdum dubitatio poteſt, num tempus elapſum
vt in contentione illa M. Horatii Barbati, & Ap-
aliorumque Decemuirum legibus ſcribundis a-
d Liuiū, & Halicarnaſſeum relata. Nam Horati-
priuatos eos eſſe contendebat, nec imperiū vllū

habere, cum annua eſſet ipſis Reip. adminiſtratio commiſſa, ſed contra Appius, non ſe in annũ creatos eſſe, vel in aliud definitum aliquod tempus: ſed quoad perfecta legum latio iuriſque Romani deſcriptio foret. Ea re perfecta imperium depoſituros. Imo magiſtratus cogi etiam inuiti poſſunt, & ante tempus abdicare, veluti Cẽſor mortuo collega: qua de cauſſa Æmilius Scaurus, cum abdicare nollet, à Tribunis pleb. in carcerem ire iuſſus fuit, teſte Plutarcho in Quæſtion. Roman. item ſi ſint vitio creati: vel delicto meruerint. & mox puniendi, vt Lentulus Prætor Catilinariæ coniurationis popularis: vt Antiſtius Neronis principatu: ambo Prætores prius adempta Prætura decretum more maiorum, vt necarentur. ſed hic beneficio Cæſaris ſeruatus. Salluſtius & Tacitus lib. 14. Annal. authores ſunt, vt M. Cælius Prætor, qui ſella iuxta C. Trebonium Collegam poſita, interceſſionib. Rẽpub. perturbabat, ne ius de pecuniis creditis lege Iulia diceretur. Cyni & Baldi diſtinctionem inter delicta in omittendo, ob quæ nunquã priuari magiſtratum iuriſdictione, ſed poſtea alio modo puniri §. ſuper hoc. Nouel. de quæſtore. & §. 1. Nouel. vt differ. iud. & in cõmittendo. propter quę irrogari eam pœnam interdum poſſe ſcribunt in l. ſi dominus §. duorum. ff. de his qui ſunt ſu. vel al. iu. non plane probo. cum ſæpe negligentiæ culpa in magiſtratu grauior ſit quam in committẽdo dolus. ſine delicto non debet cuiquam imperium abrogari ante tempus, vt rectiſſime Seru. Sulpitius Conſul, Dionyſii lib. 40. Denique hoc in arbitrio Principis & libidine poſitũ eſt, cui vult iuriſdictionẽ adimere vt & magiſtratũ. Et ita L. Silanus Prætor à Claudio

io adactus eiurare magiſtratum,& reliquus Præ-
urę dies in Epriũ Marcellũ collatus eſt, inquit Ta
itus li.12. Ann.Qua de re in libris de imperio Prin
ipis copioſius diſſeruimꝰ. Ille modus nobilis in iu
e noſtro eſt amittendæ Iuriſdictionis , ſi cui ſuc-
eſſor datus ſit,iſq; Prouinciæ fines ingreſſus fue-
it:nam ante aduentum eius,etiamſi tempus prio-
is iam expirauerit,tamen debet ius dicere, omnia-
ue agere,cum ſit vnus Proconſulatus, inquit Vl-
ia.l.meminiſſe ff.de off.Proconſ. Ea de cauſſa et-
am edictum debet deceſſori ſuo mittere, eique ſi-
gnificare,qua die fines ſit ingreſſurus. *Plerumque e-*
nim, vt idem ait, *incerta hac & inopinata turbant pro-*
uinciales, & actus impediunt. id eſt,iuriſdictionem in
primis l.obſeruare §.recte ff.eod. tit. Quod ſi forte
Prætor aduentum ſucceſſoris ſui neſciuerit, & a-
liqua egerit,puta tutorem dederit,ea rata fore.Cel
ſus ſcribit l.ſi forte.ff. de off. Præſid. ſi ſciuerit, nec
excuſari poſſit, reſcindi à ſucceſſore poſſe arbitror
omnia illo tempore acta, niſi ſucceſſor valere ma-
luerit.Qua de re extat in epiſtolis M.Tullii querela
aduerſus Appium Claudium, qui cum Ciceronis
aduentum cognouiſſet, tamen in remotiores pro-
uinciæ partes receſſerat, Tharſique & alibi forum
agebat, iudicia exercebat, decreta interponebat.
Obſeruauerat Cicero, quod Vlpianus oportere
Procoſ.dicit,cũ edictum ad Prouinciales præmi-
ſiſſet d.l.obſeruare. §.3. ſed quod Vlpianus officio
potius quã neceſſitati tribuit in §.ſeq. id Cicero o-
miſerat edictũ ad deceſſorẽ,quod Appio excuſan-
do valet. Præſertim vero ſi non per cõſueta prouin
ciã adceſſerit , quas Greci ἐπιδημίας & καταπλοῦν
vocãt: ideq; Vlpianꝰ refert Antoninũ ad deſideria

Digitized by Google

Aſianorum reſcripſiſſe, *Proconſuli neceſſitatem impoſitam, per mare prouinciam Aſiam adplicare* ϗ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον d.l.ſ. recte. Quod & ex Epiſtolis Plinii ad Traianum cognoſcitur, cum enim ei ſcripſiſſet, ſe Epheſum cum omnibus ὑπὲρ μαλέαν nauigaſſe, Traianus id laudans, *Pertinet enim*, inquit, *ad animum meũ, quo itinere in prouinciã perueniss.* Morte etiã adfectos ab Athenienſib. legatos ſuos, quod alia, quam præceptum erat, via in Arcadiam veniſſent, Ælianus libro 6. commemorat. Vſurpat verbum Græcum Plinius, vt & Cicero ad Atticum in hac ipſa re, & Vlpian⁹ noſter in d.l. obſeruare, quia ſic vulgo ea loca nominarentur, nec friuolam hãc & ambitioſam putes literularum Græcarum vſurpationem: iure enim optimo irrideri eos ait Cicero, qui in ſermone Græca verba inculcant li. 1. of. Et in ſumma locorum nomina ſic, vt ſunt, quantũuis barbara & aſpera, pronunciari & ſcribi debẽt, notatq; ita Priſcianus ex Traiani libro primo Dacicorum: *inde Berzobim, deinde Aixi peruenimus.* Hæc de ingreſſu in prouinciam ſucceſſoris, quo amittit imperium proconſ. in ea prouincia Retinet tamen adhuc inſignia imperii, imo & ipſum (vt aiũnt) imperium, donec vrbem Romam ingrediatur: ingreſſu vrbis ſtatim deponit. l. vlt. ff. de offi. proconſ. niſi triumphans ingreſſus ſit: eo enim die placuit imperium retinere. Quare ne imperiũ aliquando amitteretur ingreſſu vrbis, SCto opus erat. Liuius li. 26. *Q. Fuluio ne minueretur imperium ſi in vrbem veniſſent, decreuit ſenatus:* vel repetitione auſpiciorum, vt Druſo apud Tacitum. Quare probo differentiam hac in re inter proconſules & præſidem à Cuiacio traditam, quod proconſul non amittat prius imperium

rium quam portam vrbis ingreſſus fuerit, Præſes ſtatim ac ſucceſſorem veniſſe cognouerit, vel ipſe ex prouincia exceſſerit l 3.ff.de off.Præſid.non obſtat d. l. meminiſſe. non enim dicit, Proconſulem ſtatim ac cognouerit ſucceſſorem aduenisſe, imperium amittere: ſed ius dicere debere, vſque in aduẽtum ſucceſſoris, quia hoc vtilitas prouinciæ exigat, & ratio, cum ſit vnus proconſulatus, quamuis finitus ſit prioris magiſtratus anno circumacto: hoc enim ſpacium Proconſulibus præfinitum, præſidibus non item, ſed ſucceſſoris miſſio eis finem imperii adfert, ſiue voluntas Cæſaris, vt ſcribit Dio. lib. 53. Sane illud verum eſt, antequam prouinciam ſuam ſit Proconſul ingreſſus, item poſtquam inde egreſſus fuerit, non habere iuriſdictionem contẽtioſam, ſed voluntariam duntaxat, & inſignia magiſtratus d. l. obſeruare §. fin. Sed neque in ipſa prouincia habet iuriſdictionem, poſtquam ſucceſſor aduenit, vt ſupra dictum. Præſes autem neque voluntariam habet iuriſdictionem ante ingreſſum vel egreſſum è prouincia, vel in ipſa etiam prouincia, poſtquam ſciuit ſucceſſorem aduenisſe. l. ſi forte de off. Præſid. Sicut neq; inſignia imperii, vt Dio libro eodem ſcribit. Atq; his quidem modis, quos ſupra expoſui, Iuriſdictio vel imperium magiſtratus finitur, & totum & in perpetuum. Interdum ad tempus duntaxat, vel ex parte ſuſpenditur potius, quã extinguitur aduẽtu & præſẽtia Principis. quod & in magiſtratibus omnib. exceptis Tribunis pleb. Dictatore creato contingebat. Omnes enim abdicabant ad tempus. De Principe eſt ille locus in Ligurino Guntheri lib. 11.

Google

Hoc quoq; per cunctas regnatur Teutonus vrbes
Non modo Teutonicas, ſed & hic & vbique iacentes
Ius habet: vt præſens quaſi maximus omnia iudex
Claudere iura manu, cunctaſq; recidere lites
Debeat: atque omnis iudex omniſq; poteſtas
Atque magiſtratus ipſo præſente quieſcant.

Recte per cunctas vrbes. nõ recte Friſingenſis de Italia tantum hoc adfirmat, & conſuetudini tribuit lib. 2. de geſt. Frid. I. Recte etiam quieſcãt: minus recte Bodinus lib. 1. de Repub. cap. 8. penitus euaneſcere iuriſdictionem ait. Obumbratur enim non extinguitur (vt cum Tertulliano loquar cap. 46. de Anima.) & Tacitus, *in quantum præumbrante principio faſtigio*, &c. Et Plinius Panegyr. *Imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, ſed ſine vllius diminutione maior: eandem authoritatem præſente te quiſque, quam abſente retinebat.* Adimitur etiam ex parte interdum iuriſdictio alicui magiſtratui, puta ob ius nõ dictũ in aliqua cauſſa, quod iuſtitiam denegare vulgo dicunt. de qua re ſupra lib. 1 dictum eſt. Simili modo malitiam vel deſidiam Iudicis delegati ſupplet ac corrigit iudex ordinarius, & vice verſa ordinarii deſidiam iudex delegatus, vt cautum iure Pontificio eſt c. ſignificauit 6. & 16. gloſſa ext. de off. iud. ordin. & c. prudentiam §. ſexta. de off. deleg. c. ex tenore. de for. comp. Poſtremo videndum, an morte Principis iuriſdictio magiſtratuum finita cẽſeatur? Et ordinariam quidem, quã ſuo iure magiſtratus habent, non finiri conſtat, cum id de Iuriſdictione mandata, quæ alieno beneficio habetur, adfirmet l. & quia ff. de Iuriſdict. & ita Paulus Caſtrenſis aliique tradunt: ſed excipiunt iuriſdictionem ordina-

riam,quæ alii cohæreat,tanquam adceſſoria, & ab ea pendeat,qualis eſt in Vicariis Epiſcoporũ c.2.de offi. vicar.in 6.& dixi ſupra capite de Vicariis.Hæc igitur iuriſdictio, quamuis ordinaria non mandata ſit, vtpote, quæ beneficio legis habeatur,tamen Epiſcopi morte extinguitur,& ad Capitulum deuoluitur. cap. pen. & c.ſed. vac. atque ita Innocentium,& alios in cap. pen. de off. deleg. docere recte Iaſon adfirmat ad l.more.num.18. ſimiliſque mihi eſſe videtur iuriſdictio, quam magiſtratus in Gallia habent, ordinariam illam quidem & propriam,& à lege,ſiue à principe delatam: verum tamen,quæ moribus Galliæ, tanquam precario, vt omnia munera publica, & in modum curationis habeatur. Qua de re videndus Bodinus eſt libr.3. de Repub.cap.2. Quo tamen loco male reprehendit Doctores noſtros, quod curationes odioſas eſſe dicant, nuſquam enim hoc dicunt illi: ſed iuriſdictionem delegatam odioſam appellant. Quæ à curationibus certe differt. Porro ea ratione odioſam,quod ordinariæ iuriſdictioni deroget: perperam hoc illi, vt pleraque: neque enim magiſtratus mandando iuriſdictionem alicui ſuam, propterea vel iuriſdictioni ſuæ ipſe derogare vel mandatum odioſum dicendum eſt. Sed nimirum delegatam iuriſdictionem illi intelligunt à principe,qui committendo vel delegando alicui cauſſam aliquam, hactenus de iuriſdictione magiſtratus,ad quem illa cauſſa pertinebat, detrahit: ideoque ſtricti iuris ſit,& velut odioſa, nec præſumatur,adeo, vt delegato citanti parere partes nõ cogantur niſi delegationis vel reſcripti(vt vocant)delegatorii tenor ꝓferatur.c.cum in iure peritus & ibi gloſſ.ext.de off.

deleg.cap.præterea in prin,& ibi Dd. de dilation. & in c.1.de off.deleg. in 6. Poſtremo admonebo, iuriſdictionem prætoris abrogare,non eſſe adimere,ſed decretum reſcindere,in illo loco Valer.Maximi lib.7.*Genucius quidam matris magnæ Gallus,à Cn. Oreſte præt.vrb.impetrauerat, vt reſtituiſſe in bona Næuiani iuberet, quorum poſſeſſionem ſecundum tabulas teſtamenti ab ipſo acceperat. Appellatus Mamercus à Surdino,cuius libertus Genucium hæredem fecerat,prætoriam iuriſdictionem abrogauit: quod diceret Genucium amputatis ſui ipſius ſponte genitalibus corporis partibus,neq; virorum,neq; mulierum numero haberi debere.*

CAPVT XXIX.

Quibus modis mandata iuriſdictio finiatur.

Modi quibus mandata iuriſdictio finitur, alii cõmunes ſunt omnium mandatorum, alii proprii iuriſdictionis mandatę. Communes maxime ſunt Reuocatio mandati,& mors mandatoris. Vtroq; modo placet,& mandatam iuriſdictionem extingui ac finiri.Igitur de Reuocatione ita ius eſt, Poſſe non ſolum principem, ſed & magiſtratum, qui alteri iuriſdictionem ſuam totam, partemue eius mandauit , eam reuocare, & adimere ei,cui mandauit: excepto legato cui Proconſul adimere iuriſdictionem quamuis poſſit,non tamen debet inconſulto principe l.ſolent § primo,ff.de of. Proconſ. idemque conſtitutum eſt de iudicibus pedaneis vrbanis, quos ipſe princeps eligit ; nam

tali aliquo Iudice ob neceſſitatem vel quamlibet cauſſam remoto ſolus Princeps alium remoti loco ſubſtituit. Nouella de iudic. §. ſi quis autem. Cæterum ita demum reuocari mãdata iuriſdictio poteſt ſi res integrę ſint, de qua re poſtea, ſicut cętera mãdata. §. recte. Inſtit. de Mand. In quo differt mandata iuriſdictio à iudicio dato. nã iudicium ſolui placet vetante eo, qui iudicem dedit l. iudicium. ff. de iudic. Ergo, re non integra, id eſt, poſt litem conteſtatam: inde enim primum iudicium incipit. l. 1. C. de lit. cont. intelligitur etiam iuriſdictio reuocata, poſteriori reſcripto Principis, vel Pontificis, in quo mentio fiat prioris reſcripti, quo mandata erat c. cæterum. ext. de Reſcrip. Iure Pontificio delegatus Pontificis, ſi vices ſuas, id eſt, iuriſdictionẽ mãdauerit (quod à iure ciuili abhorret, quo mandata iuriſdictio mandari non poteſt, nec delegatus Principis iuriſdictionem mandare, ſed iudicem duntaxat dare poteſt) eam reuocare prohibetur, ſi res integra nõ ſit, id eſt, ſi is cui mandauit, vti iuriſdictione cœpit, vt notat Innocentius in c. venerabili 37. in gl. iur. vices ſuas. ext. de off. deleg. c. ſuper quæſtionem. ibid. Illud notandum eſt, ſi magiſtratus vel omnem vel partem iuriſdictionis mandauerit, poſſe eum nihilominus ius dicere: ſi ſpeciem certam aliquam mandauit, non poſſe eam reuocare, ſi res geri cœpit. nunc de morte videamus, de qua ſic ſcriptum eſt in l. 6. ff. de iuriſd. *Et quia nec principaliter ei iuriſdictio data eſt, nec ipſa lex defert, ſed confirmat iuriſdictionem mandatam, ideoq; ſi is qui mandauit iuriſdictionem deceſſerit, antequã ab eo cui mandata eſt iuriſdictio geri cœperit, ſolui mãdatum Labeo ait, ſicut in reliquis cauſis.* Idem traditum eſt iure Pontificio in c. licet.

vndique 30.de off. & pot. Sed quomodo illa verba intelligenda ſint, Rem geri cœpiſſe, magna eſt Doctorum concertatio, vt facilius Nili fontes, quam diſceptandi finem inuenias, inquit Zaſius. quod ego non miror illis adcidiſſe, qui perpetuo iudicem datum cum eo, cui mandata iuriſdictio eſt, cōfundunt. Nam iudicem datum manere, nec iudicium ſolui morte eius, qui dedit, quamuis re integra, veriſſimum eſt l. venditor. §. vlt. ff. de iudic. vbi indiſcriminatim ſcriptum eſt, iudices à pręſide datos ſolere etiam in tēpus ſucceſſorū eius durare, & pronunciare cogi. Nec refert mortuo, an viuo ſucceſſerit. At mandatum iuriſdictionis non ſoluitur, niſi res integra fuerit. d. l. & quia. d. c. licet. Ratio differentiæ illa eſt, quam lib. 17. Cōment. Donelli expoſui cap. 16. quia litigatorum fauor id exigat, ne iudicium diutius trahatur, tum quia poſtquam iudex datus eſt ſuo iure cognoſcit: quæ in Iuriſdictione mandata non occurrunt. Neque obſtat l. meminiſſe. ff. de off. Proconſ. vbi iuriſdictio eius, qui Iudicem dedit, puta, Proconſulis, poſt aduentum ſucceſſoris finiri dicitur. Quia ſic in iure Proconſulis & lege continetur, qua ei imperium mandatum eſt, vt ſtatim accepto ſucceſſore, ſimul atque ille in prouinciam venerit, decedere inde debeat, & ni fecerit, Maieſtatis teneatur. l. 2. ff. ad L. Iul. maieſt. Qua in re miror doctiſſimum Goueanum, qui ſolui iudicium ita demum morte dantis ait, ſi res cœpta geri non eſt. contra d. l. venditor, vbi id non additur. Illud recte quod cœptam rem geri interpretatur in eo, cui mandata iuriſdictio eſt, ſi à litigatoribus duntaxat aditus ſit, quamuis nondum lis apud eum conteſtata fuerit. Quod non

horret à Bartoli & aliorum ſententia, qui
ſtionem delegatam cœptam geri tradit, ſta-
citatio decreta eſt atque emiſſa, quamuis alii
ontestatam requirant, vt geri cœpta videa-
illis c. relatum. pro his c. gratum. ext. de of.
dferri ſolet. Sed verior eſt Bartoli & com-
s recepta ſententia, teſte Iaſone ad l. more.
de iuriſd. & ſatis mihi placet, quod gloſſ. in
tum. ait, iure ciuili rem integram eſſe deſi-
e demum conteſtata, quia ante conteſta-
lis nondum cœpta dicatur. l. amplius. ff. rē
. Auth. de litigioſ. §. omnem. iure Canoni-
m citationem ſufficere, ne res ſit integra. d.
m. ſi nec citatio proceſſerit, mandatum ſta-
rte mandantis finiri cap. vltim. ext. de offi.
uod ad iudicium quidem ipſum attinet, res
gocium cœptum dici non poteſt, niſi lite
ata, Quare in dict. cap. relatum: ſignate, nō,
n negocium, ſed *quaſi cœptum dicitur citatio-*
uod ſcilicet attinet ad iuriſdictionem per-
dam, non quod ad litis conteſtationem, vel
n efficiendum. Deinde quæritur, duret
dictio in omnibus cauſſis, in quas iuriſdi-
ndata eſt, an in iis tantūm, quę cœptę ge-
? Bartolus & cōplures alii in omnia durare,
ed melius Fulgoſius & illi, qui in ea tantū,
us cœpta res eſt, quod & Goueanus verbo
auit, egoque vehementer probo, idque ex
l. & quia. vbi ſcriptum eſt, *Niſi res geri cœpit,*
utem niſi iuriſdictio: quaſi dicat Paulus
n rem duntaxat, quæ geri cœpta eſt, iu-
ionem durare. & clarius in capit. vltim.
e offic. deleg. libro 6. ita ſcriptum eſt, *officium*

quorumcunq; conſeruatorum ipſo iure, quoad non cœpta negocia, per obitum concedentis volumus exſpirare. deinde moueor cõparatione cæterorũ mandatorum, qua Labeo vtitur in d.l.& quia.nã poteſtas procuratoris durat in iis tantum cauſſis, quæ ſunt cœptæ geri ante mortẽ mandatoris, cũ in his res nõ ſit integra d.§.recte.Inſt.de mãd.Deniq; & illa ratio me mouet, q; ſi in omnib. etiã nondũ cœptis negociis durare iuriſdictionẽ dixerimus, illud abſurdũ conſequetur, vt morte magiſtratus, qui iuriſdictionem mãdauit, nunquã mãdata iuriſdictio extinguatur: qa impoſſibile ſit, vt legatus, vel ali9, cui iuriſdictio mandata, nullam omnino cauſſam in manibus habeat, quo tempore moritur is, qui mandauit. Illam modo exceptionem cum eodem Fulgoſio admitto, vt non expiret iuriſdictio, etiam in iis rebus, quæ cœpto negotio cohærent connexæque ſunt, arg. l.1.de fideiuſ.l.hæres ſocii.ff.pro ſocio.l.nam & ſeruus.§.ſi vero.ff.de neg.geſt.Sed & illa nobiliſſima exceptio eſt, niſi mortem mandatoris ignorauerit mandatarius.d.§.recte.l.inter.§.1.ff.Mand. item argu.l.ſi forte.ff.de off Præſid. vbi Præſes finito officio ſuo, ſi aduentum ſucceſſoris ſui ignorauerit, & aliqua geſſerit, decreuerit, iudicauerit, ea rata habenda eſſe, dicitur. Idemque confirmatur in dict.c. gratum.extr.de offic.deleg.in illis verbis, *Maxime ſi delegatus non ſit certus de obitu delegantis, poteſt & debet in cauſſa procedi, tenebitque quod iuſtitia fuerit praua definitum.* & ibi gl. citat l. eius qui in prouincia.ff.de rebus credit.Nunc videamus quid dicendum ſit de iudice dato ab eo cui iuriſdictio eſt mandata; ſi magiſtratus qui mandauit, deceſſerit? Et verius eſt, quod Goueanus ſcribit. iuriſdictionẽ ſiue ſimplicem notionem iudicis dati expirare, cũ

iuriſdictionis mandatum, cuius ille poteſtate iudicem dedit, magiſtratus morte finitum ſit. At vice verſa, ſi is cui mandata eſt iuriſdictio, quique Iudicem dedit, mortuus viuo mandatore, iudicis dati notio, vel iuriſdictio ſubdelegati (vt iuris Canonici vſus eſt) non eſt extincta, idque, quamuis & aliis verbis & hæſitanter, ſenſit etiam Innocentius omnis iuris peritiſſimus in c. licet vndique. ext. de of. deleg. atque ex eo probauit Angelus, & notatu dignum iudicauit ad d. l. more, & ratio eſt: quia viuo magiſtratu ſine eo, qui iuriſdictionē mandauit, viuit adhuc radix, manetque fundamentum mandatæ ab eo Iuriſdictionis. Quid ſi legatus vel alius mādatam iuriſdictionem exercere in aliqua cauſſa cœperat, ad quem nam eius cauſſæ cognitio pertinebit? ad eū ne qui Iuriſdictionem mandauit? Quod mihi quidē omnino videtur: quāuis Doctores quidā contra ſenſerint, teſte Iaſ. in d. l. more n. 66. qui Iudicē ordinariū delegato mortuo nō poſſe ſe amplius in ea cauſſa immiſcere ſcribūt, authore eius ſententiæ Bald. in l. ſi vt proponis C. quē. & quā. iud. Atq; hi duo ſunt iuriſdictionis mandatæ finiendæ præcipui modi, Mors & Reuocatio magiſtratus, qui eā mādauit. Sed reuocatione finitur tantū mādata iuriſdictio, nō etiā mandātis, id eſt ordinaria: ad eum enim redit reb. integris ex Bartoli ſententia, quā verā puto. Morte autē mandantis vtraq; finit, & ordinaria, quod certū eſt, & mādata, quod ſupra docui. Morti ſimilis modus eſt ſucceſſio. Mandata ſcilicet iuriſdictio finitur, magiſtratu eius, qui mādauit, finito, puta, ſi ei ſucceſſor datus ſit. nam magiſtratu finito, & iuriſdictio finitur, quæ ei cohęret l. vltim. C. vbi & ap. quos in int. reſt. Decreta, edicta, & ſtatuta ſiue Conſtitutiones prouincial.

datæ,non finiuntur, ſed manent, etiam in tempus ſucceſſoris, vt ſcriptum eſt de ſtatutis Legati Pontificis in c.vl.ext.de offic.Legat.Imo etiam Principis mandata atque iuſſiones,quæ ad deceſſorem miſſa,nec dum impleta ſunt,cogitur ſucceſſor implere,tanquam ad ſe miſſa eſſent, ſiue ſint de negocio aliquo publico, ſiue priuato. Et merito, cum vnus ſit magiſtratus,& Proconſulatus,vt ait Vlpian.in l. meminiſſe.ff.de of.Proconſ.idemque tribunal atque iudicium,vt eſt in l.proponebatur.ff.de Iudic. Idque ita etiam cautum eſt Nou.Iuſtiniani Vt nulli iudic.134.cap.& hoc vero. vbi in fine idem & de maiorum magiſtratuum iuſſionib. edicitur ad deceſſorem miſſarum:niſi quod his non cogitur ſucceſſor eius parere, ſi contra legem vel cõtra publicum factæ videantur.atque ita Cicero Ciliciæ proconſul multa Appii decreta atq; inſtituta reſcidit, aut mutauit, non per ambitionem vel contumeliam, ſed vtilitatis publicæ cauſſa &(vt ipſe venuſtiſſime ludit) quod quã Appius prouinciam ἐξ ἀφερέσεως curaſſet,ſibique euectum tradidiſſet, eam à ſe προσανατρεφομένην dici cupiebat. lib 6.ad Attic.ep.1.Hæc de communibus. Videamus nunc qui proprii modi ſint, quibus mandata iuriſdictio finiatur. Talis non eſt tempus, nam vt iuriſdictio tempore præſcripto exacto finitur.ſic & mandata quæuis.Atq; ita iuriſdictionis mandatum expirare,niſi temp⁹ partes prorogauerint, expreſſum eſt in c.de cauſſis 4.ext.de of.deleg.vbi gl.notat nõ propterea & facultatem exequẽdi finitã eſſe, puta ſi vltimo die mãdati ſententiam delegatus tulerit c.ex literis.eod.tit.Quod & iure ciuili verum puto eo argumẽto,quod res geri cœpta debeat, etiamſi

iuriſdi-

iuriſdictio finita ſit reuocatione vel morte magiſtratus, multo magis igitur res perfecta conſummari, quod fit per executionem. ſicut in hæreditatibus ius omne cõplere aditio dicitur in l. omniũ. C. de teſtam. Ad eandem rem vel ſimilẽ pertinet & c. conſuluit 24. cod. tit. vbi & illud notabile eſt, quod vetatur veſperi, vel in tenebris quis iudicare, licet in eo ſit, vt iuriſdictio tempore trãſacto expiret, notata nominatim iuris ciuilis cõſtitutione de die ciuili, qui à media nocte incipit, & in ſequentis noctis medio deſinat, quaſi ea permittatur etiã noctu ferri ſententia, quod falſum eſt, & aperte aliter cautum Lege XII. Tabularum, in qua illud erat. SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. Atque ita intelligenda eſt Nouella Iuſtiniani de iudicibus § ſedebunt. non vt noctu, & in tenebris iudicare liceat, ſed vſque ad occaſum ſolis, & clarius in l. 2. §. & quia magiſtratibus. ff. de orig iur. vnde idem recte Doctores noſtri colligunt. Neque alio quam ad hanc Legem XII. Tabul. alluſit Petronius in Satyrico vbi ſcribit, *Aduocati iam pene nocturni.* Nam ſi iudices eo tempore non adſunt, nec aduocati igitur adeſſe poſſunt. Plinius lib. 7. epiſt. vlt. Quum ſimus aduocati à ſenatu dati, diſpice num peractas putes partes noſtras, ſenatus cognitione finita, & ita Agathias Scholaſticus, ſiue Cauſidicus, & cuius ipſemet initio hiſtoriæ ſuæ, τέχνη τὰ Ρωμαίων νόμιμα καὶ οἱ τῶν δικαστηρίων ἀγῶνες erãt. is, inquam lib. 3. ſcribit de ſe in hunc modum. *Ego vero ſedens ad porticum regiam libellos litibus forenſibus & moleſtiis plenos à mane ad veſperum vſq; tractandis & verſandis ſum occupatus.* Sed ad rem. Quid ſi quis iuriſdictionẽ mandet alteri in eum diem, in

quo eſt ipſe priuatus futurus? Iudicem quidem dare, vel iudicare debere nemo in eum diem poteſt. l. eum qui. ff. de iuriſdict. ſed obſtare videtur l. venditor. §. 1. ff. de iudiciis. vbi iudices à præſide dati dicuntur durare in tempus etiam ſucceſſorum eius, & cogi pronunciare. An ita ab initio dari iudex non poteſt, manere datus ex accidenti & poſt facto poteſt? vt hinc quoque regula iuris trahatur, expreſſa multa nocere, quæ non expreſſa non noceant. An initium dati iudicii ſolum ſpectare debere? quo tempore recte quis iudicem dat cum magiſtratus ſit, non recte in eum diem cũ priuatus futurus eſt, iudicare iubet, ſicuti quodam loco Marc. Tullii vel Valer. Maximi legi. Nã quod quidam aiunt in dict. l. venditor. ſucceſſores intelligi nondum in prouinciam veniſſe: ideoque imperium Præſidi adhuc, & iuriſdictionem eſſe dict. leg. meminiſſe. mihi vero ſimile non videtur. Patientia quoque eius, qui iuriſdictionem dedit, vel mandauit ad tempus, ſi exacto eo tempore ſciat & patiatur ab eo ius dici, prorogata ea, nec extincta eſſe putatur, vt eſt ſingul. gl. in c. cum olim Abbas. 22. ext. de offic. deleg. ſicut Procurator fines mandati excedens ſcienti domino præiudicat, non etiam ignoranti l. ſi Procurator. ff. de Procur. l. ſi ignorantis C. eod. tit. Ille proprius iuriſdictionis amittendæ modus eſt ſi quis, cui in aliquo negocio mandata iuriſdictio eſt, pronunciauerit, ſe iuriſdictionem in eo non habere per errorem forte, vel verbis reſcripti principis põtificiſue deceptus. neq; eam recipit, etiamſi partes in eum conſentiãt, quia iuriſdictionem dare priuati non poſſunt. c. ſignificantib. 38. ext. de off. deleg. l. priuatorũ C. de iuriſd.

niſi nouo reſcripto adcedente.c. dilectus de preb. & ratio eſt, quia ſemel functus eſt officio ſuo ſiue bene, ſiue male.l.iudex.ff.de re iudic. Pariter, atque eadem ratione & iuriſdictionem amitti placet, ſi quis alium ſibi adiũgit, qui iuriſdictionem nullam habeat. Item ſi referat ad ſuperiorem, vel ſi relaturum dicat, quos modos gl. ad d.c.38. annotauit ex c.cum ſuper.cod.tit.& c.licet.de off.leg. & cap. intimaſti de appell.& l.1.C.de relation. Adcommodate hic ad ea, quæ modo dixi, quæritur, an quod ſcientia efficit, & patientia magiſtratus, vt iuriſdictio Legati, vel alterius cui mandata eſt, vltra tempus perduret: idem dicendũ ſit, ſi magiſtratus poſtquam reſciuit eum præter vel contra mandatum egiſſe, id ratum habeat: an inquam hæc ratihabitio quæ acta ſunt, cõfirmet? Quod quidem in aliis rebus priuatis omnino recte diceretur: in Iuriſdictione & aliis eiuſmodi rebus publicis ac grauiorib. recipiendum non eſt, niſi ipſe Princeps ſit qui ratũ habet. Quemadmodum à Carolo V. Delphinate Frãcorum regni curatore acta pater Rex, poſtliminio ex Anglia reuerſus, confirmaſſe dicitur. Bodinus li. 1. de Repub.c.8. quo loco & illud bene adſcribit, *Etiamſi magiſtratus omnem ſuam Iuriſdictionem* legato mãdauerit, ſic, vt nihil retinere omnino, aut agere videatur, tamen nõ in legato imperãdi prohibendique poteſtatem, aut legis actionem ineſſe. ſed in ipſo magiſtratu.l.3.de off.Proconſ. l. & quia l.ſolet. ff. de iuriſdict. l.etſi ff.de off.eius. Atque hanc ego cauſſam fuiſſe M.Tullio, puto, quod poteſtatem (quę propria eſt magiſtratuum) à legatione ſeiunxerit lib. 5. in Verrem cum ait, *pertinere hoc ad eorum vtilitatem qui iudicent, qui in prouinciis cum*

poteſtate, aut cum legatione futuros ſe aliquando arbitrantur. Habere enim Legatus poteſtatem, ſed alienam, non ſuam; & ius alieno nomine non ſuo dicit.

CAPVT XXX.

An Iudex ad cognoſcendum datus etiam ad pronunciandum datus cenſeatur.

DE hac quæſtione paulo diligentius nunc explicabo & quia eius facta mẽtio eſt ſuperiori libro, & quia quæ quotidiana ſunt, plenius attingi debent, vt eleganter ſcriptum eſt in l. legaui 25. ff. de liber. legat. Primo diſtinguendum eſt, inter eum, cui mãdata eſt iuriſdictio, vel tota, vel pars eius aliqua, & inter eum cui ſimpliciter aliqua cauſa delegata eſt, qualis proprie Iudex datus vel delegatus appellatur. Cui iuriſdictio mandata eſt, dubitari non debet quin omnes cauſſas, in quibus iuriſdictionem habet, nõ ſolum cognoſcere, ſed etiã iudicare, & definire poſſit ac debeat, imo etiam exequi eas poſſit: cum imperium mixtũ habeat, quod Iuriſdictioni ſemper cohæret, & iuriſdictione mãdata ſimul tranſit l. vlt. ff. de off. eius. Idem de magiſtratu, & multo magis dicendum eſt, cum is iuriſdictionem non mandatam, ſed propriam habeat, nimirum à lege ſibi conceſſam, & vt vulgo vocant, ordinariam, qua in re nemo interpretum diſſentit: primo huius rei Doctore Ioanne Andrea in additionibus ad Speculatorem tit. de executione ſentẽtiæ. §. 2. Sed de iudice dato vel à magiſtratu, vel à principe, magna quæſtio eſt agitata in l.

in l.à D. Pio.ff.de re iud.& aliis locis.ſed maior Interpretum pars eo inclinant ſecuti Accurſium in l. qui Procuratorem. ff. de Procurator. vt exiſtiment delegata alicui cauſſæ cognitione non contineri poteſtatem pronunciandi, id eſt, ſententiæ, ferendæ, quam ſententiam & Camera Imperialis approbauit eundem Andream ſecuta, vt refert Mynſing.obſ.14.c.93. Nituntur autem his argumentis. Primum eſt & validiſſimum vti putant, ductum ex l.vbi. C. de falſis.in qua lege ita ſcriptum eſt: *In crimine falſi iudicem debere attentiſſime inueſtigare, & audire omnia, nec quicquam prius per interlocutoriam ſententiam proferre, vel animi ſui ſenſa diuulgare, quam cauſſa tota probe cognita definitiua ſententia proferenda ſit, idque ad imitationem relationis eum facere debere, quæ relatio ſolum audiendi mandat officium.* quæ poſtrema verba Accurſium & alios in errorem induxere, ſed eorum ſenſus clariſſime apparet ex iure relationis, expoſita in l.1. C. de relation. vbi ſancitum eſt, ſi iudex relationem fecerit ad principem in eum ſcilicet finem, vt ab eo informetur de cauſſa, interim pendente relatione, id eſt, antequam Princeps reſcripſerit, non poſſe iudicem aliquid pronunciare, vel de cauſſa ſtatuere. Sic igitur & is, qui de crimine falſi cognoſcit, non debet interim, id eſt, antequam ſententiæ definitiuæ ferendæ tempus ſit, animi ſui ſententiam vlla ex parte euulgare. Atque hactenus procedit illa comparatio relationis, cum cognitione falſi. At in eo non comparatur, quod ſententiam definitiuam is, qui retulit ad Principem, non poteſt ferre ante reſcriptum à Principe adceptum. At Iudex falſi nullum reſcriptum expectat, & ſine eo ſententiam de-

finitiuam proferre poteſt, vt rectiſſime explicauit etiam Iac. Menoch. lib. 1. de arb. iudic. quæſt. vbi & aliis argumentis Dd. quæ ipſe infirmiſſima & indigna relatu vocat, reſpōdet: quamuis ipſe communem, quam dixi, opinionem ſequatur: nullo tamē allato, quod miror, nouo argumento, aut quod vllius momenti ſit, hoc enim duntaxat ait, cognoſcere & pronunciare diuerſa eſſe, & licet alterum alteri conſequens, vel connexum ſit: tamen non propterea ſequi, non poſſe ea à diuerſis & duabus perſonis expediri, id eſt, cognitionem ab vno, definitionem ab altero. ſed quid hoc ad rē? Immo vero regula iuris ciuilis eſt, de qua re Iudex aliquis cognouit, de eadem & pronunciare cogi l. qua de re. ff. de iud. & cognitionis verbum etiam definitiuā ſentētiam comprehendit, vt cum dicimus iudices ſpeciales habere cognitionem ſiue notionem l. ait Prætor 5. ff. de re iud. l. notionis. ff. de V. S. Non itē executionem, hanc enim ſolus habet magiſtratus, vel qui Iuriſdictionem & imperium habet. l. vl. C. vbi & ap. quos in int. reſt. Sane in cauſſis meri imperii, de quibus hic non quærimus, verum eſſe cōceſſerim, vt data cognitione, puta, Legato, non intelligatur poteſtas pronūciandi conceſſa. Ratio eſt, quia cauſſæ capitales, & imperii meri ſua natura nō poſſunt mandari, nec quod ad cognitionem plane l. 1. ff. de off. eius. l. ſolent. in pr. ff. de offic. Proconſ. Accedit ad hanc ſententiam & l. 1. C. ſi contra ius, & vtilit. publ. cuius hæc ſunt verba: *non idcirco minus, cui ex noſtro reſcripto cognitio delata eſt, iudicare poteſt: Quod in geſtis quædam omiſſa proponis.* Vbi videmus cognitionis omiſſæ nomine iudicationem, hoc eſt, ſentētiam quoque eſſe commiſſam. Iudex enim

enim à iudicando dicitur. c. forus. ext. de V. S. Res autem iudicata dicitur, quæ finem controuerſiarũ pronunciatione iudicis adcipit, quod vel condemnando vel abſoluendo contingit, ait l. 1. ff. de re iud. Quod autem aduerſarii dicunt d. l. 1. in delegato principis loqui, nec extendi ad alium delegatũ, id eſt magiſtratus debere; id futile eſt, cum non ſit in d. l. controuerſia, quid commiſſum tali iudici videatur, ſed an ob omiſſa quædã in precibus, poſſit iudex in cauſſa procedere? deinde cur in principe aliter, quam in magiſtratu verbum cognitionis illic interpretemur, cauſſa non eſt. Quare doctiſſimus Iaſon in d. l. à Diuo. dubitare ſe dicit, an in iudice à principe delegato, aliud dicendũ, quã in delegato magiſtratus, licet ille communem illam ſententiã adgnoſcit. Pro eadem ſententia noſtra adferuntur & alia quædam à Iaſ. ad d. l. à Diuo, ſed leuiora. Illud nolim omiſſum. Quod ſi princeps magiſtratui ſcribat, vt æſtimet, an ipſe de aliqua cauſſa cognoſcat, an iudicem in ea dare debeat l. ſæpe, & l. ſeq. ff. de of. Præt. apertiſſime æquiparatur cognitioni magiſtratus cognitio iudicis à magiſtratu dati. Atqui nemo negat magiſtratũ pronũciare debere. Ergo idẽ de iudice ab eo dato dicendum eſt. Poſtremo, nullum locũ iuris video extare, vel adferri, quo probetur iudicẽ, qui de cauſſa aliqua cognoſcere iuſſus ſit, nõ poſſe etiã de ea pronũciare: alioquin nõ ſit iudex, niſi is qui iudicẽ dedit cognitionẽ cauſſæ & examinationẽ teſtiũ dũtaxat ei cõmiſerit, reſeruata ſibi ſententia vt in ca. ita te cõſulẽte 18. ext. de off. deleg. Hoc tantũ in iure noſtro ſcriptum eſt, iudices datos non poſſe exequi ſentẽtias ſuas, quia ſcilicet iuriſdictione careat d. l. à D. Pio.

Euidenti argumento, poſſe ac debere ſententiam ferre. Nam executio ſententiæ pertinet aperte ad imperium mixtum l.3.l.4.ff.de iuriſd.dict.l. C. vbi & ap.quos. Ex quo illa etiam inepta videtur Doctorum noſtrorum quæſtio, an iudex ad cognoſcendum, & pronunciandum datus, idem & ad exequendum datus intelligi debeat; in qua primum confundunt ſuo more eum, cui mandata eſt iuriſdictio, cum iudice ſpeciali & dato, qui notionẽ tantum habet ſine iuriſdictione. Nã ille ſententias ſuas exequi poteſt, cũ & imperiũ iuriſdictioni mixtum habeat l.1.in fi.l. vlt.ff.de off.eius.c. paſtoralis.& c.ex literis.ext.de off.deleg. At iudex à magiſtratu datus non poteſt, ſed magiſtratus exequitur, qui eũ dedit d.l.à D.Pio. Nunc argumẽta quædam in contrarium prolata videamus, iudicẽ datũ exequi ſententiam ſuam poſſe, quidam colligũt ex §.ſi vero. Auth.de exhib.reis, qui §. potius cõtrariũ probat, nõ iudicem ſcilicet datum, ſed ordinariũ, id eſt, magiſtratum in poſſeſſionem mittere, quod clarius adhuc patet ex Auth. & qui iurat. C.de bonis auth.iud.poſſid.fideliter deſumpta ex d.§.ſi vero. Secundo idem colligunt ea ratione, quod executio ſententiæ in cauſſis ciuilib. ſit mixti imperii, quod imperiũ delegari poteſt.l.iubere.ff. de iuriſd. l.vl.ff.de of.eius Reſpondeo id vere dici de eo, cui mãdata iuriſdictio eſt, non autem de iudice dato, qui nullam omnino iuriſdictionem habet, neque ſuam, neq; alienam, ſed notionẽ duntaxat l.5.ff. de re iud. cũ ſimilib. Eademq; reſponſio valet ad d.l. cognitio.§.bonorum.ff. de of. eius. Tertio adfertur l.4.etſi non cognitio. C.ſi contra ius vel vtilit. publ. Reſp. eam l. loqui de eo, cui executio mandata

data eſt: Hic poteſt cognoſcere etiam de veritate precum, ad quas reſcriptum principis impetratum eſt, vt pluribus infra dicetur: ſed non propterea ſequitur vice verſa, cui cognitio mandata eſt, ei etiam executionem ſentētiæ cōpetere, quia plus eſt exequi quam cognoſcere. Quarto non obſtat l. 1. & l. 4. §. duos. ff. de damn. infect. Nam loquuntur de magiſtratu municipali. falſum eſt, poſſe eum in poſſeſſionē mittere, excepta cauſſa damni infecti ob rationem poſitam d. l. 1. l. ea quæ. ff. ad municipal. Quinto, ita argumētamur, in poſſeſſionem mittere, eſt mixti imperii, & ad exequendas ſententias in ciuilibus cauſſis comparatum; quod verū eſt toto tit. de re iud. & de bon. auth. iud. poſſid. At iudex delegatus, inquiūt, poteſt in poſſeſſionem mittere ex primo decreto. Ergo poteſt exſequi ſententias ſuas. Sed neganda eſt adſumptio. nam iudex datus nullo modo poteſt in poſſeſſionem mittere, nec ex primo quidem decreto: licet hæc miſſio nullū ius in re tribuat, ſed ad coercendam tātum contumaciam introducta ſit l. 3. §. vlt. ff. de adquir. poſſ. At is cui mandata eſt iuriſdictio, ex omnibus cauſſis poteſt in poſſeſſionem mittere, cum imperium quod iuriſdictioni cohæret, habeat d. l. cognitio. & d. l. 1. §. vlt. & l. vlt. ff. de off. eius. hæc ſi ſentiunt Decius Alciat. Baro, & alii, quos adlegat Menoch. lib. 1. de arb. caſ. 74. num. 19. & ſeqq. adſentior, non etiam ſi de iudice delegato & pedaneo. Neq; obſtat illa ratio, quod ea omnia permiſſa iudici dato videantur, per quæ expediri iudicium poſſit. l. 2. ff. de iuriſd. Nam iudicium etiam ſine hoc expediri poteſt, cum iudicium nō conſiſtat in iis, quæ ſunt imperii. Quare ad magiſtratum qui iudicem dedit,

referri debet, idque certiſſimum eſt antequam lis apud iudicem conteſtata ſit: Iudex enim ante litis conteſtationem nullam prorſus habet poteſtatem d.§ ſi vero. Nou. de exhib. reis. Sed & lite conteſtata idem dicendum eſt in iis ſcilicet reb. quæ ad imperium pertinent, vt non poſſit ea Iudex datus facere. Neque obſtat d. Nou. ſi quis à contrario ſenſu argumentari velit ex ea hoc modo: Iuſtin. ibi dicit, non poſſe iudicem datum mittere in poſſeſſionem ante litem conteſtatam: Ergo lite conteſtata id facere poteſt. Nam argumentum à cõtrario ſenſu, quamuis fortiſſimum à Papin. vocetur in l. 1. in pr. ff. de of. eius. tamen non habet locum, vbi vel alia lex, vel ratio repugnat, vel aliquid abſurdi ex eo ſequitur, vt Dd. tradunt in l. conuenticula. C. de epiſc & Cler. Item argumentũ ab vnius incluſione ad alterius excluſionem non valet, ſi id alibi incluſum reperiatur, ſed contra magis procedit. l. cum prætor in pr. ff. de iud. c. nonne. ex. de præſumptionibus. Nec autem verum eſt, ſed repugnat euidentiſſime verbis d. ∮. ſi vero. quod Menoch. ibidem ſcribit, cum ∮. in fin. loqui vel intelligi poſſe etiam de Iudice delegato, non ſolum de magiſtratu. Rectiſſime igitur Cuiacius ad d. Nou. reprehendit interpretes, qui ſcribunt Iudicem delegatum pronũciare poſſe de actore mittendo in poſſeſſionẽ bonorum, cum hoc ſit imperii ſiue Iuriſdictionis, & ob id prætorium pignus dicitur, maleque confundi delegatum cum eo cui mandata eſt Iuriſdictio. Atq; hęc de iure ciuili certiſſima ſunt, nõ poſſe ſcilicet iudicem datũ exequi ſententias ſuas. l. à D. Pio. & ibi Bart. atque alii. ff. de re iud. Nec coercere igitur contumaces remediis vllis imperii vel iuriſdi-

ctionis propriis, quæ ob id prætoria remedia appellantur.l.1.de vent.inſpic.De iure can.ſunt variæ ſententiæ;ſed dicendum eſt, non diſſentire à iure ciuili:nullum enim textum, vel argumētum ex eo iure proferri video,quod nos mouere debeat. Maior eſt quæſtio de iudice à Principe dato, non tam iure pontificio,quod certum fere habetur, poſſe eū ſententias ſuas exequi.c.ex literis.c.paſtoralis. c. ſignificaſti.ext.de offi.delegati. quam iure ciuili. Plures tamen ſunt, qui & iure ciuili idem adfirmant, quibus omnino non conſentio. Ratio eſt enim illa inuicta,quod Iudex à Principe delegatus non ſolū notionem habet,ſed etiam iuriſdictionem & imperium l.à iudice.C.de iudic.l.vn.C.pro ſua iuriſd. Item apparitores ſuos.Nou. de teſtibus,& Nou.de duobus reis.ex quo concluditur, eum exequi ſuas ſententias poſſe,vt cōtra iudex à magiſtratu datus ideo exequi non poteſt, quia iuriſdictione & imperio caret,vt ſupra dictum.ſed Dd. maxime nitūtur verbis l.vlt.C.de Iudic.illis ſcilicet, *Exſecutore negocii, cui mandata eſt huiuſmodi cauſſæ examinatio, imminente & ſtatuta ab arbitriis effectui mancipante*; quæ nihil ad rem faciunt,ſed potius contra faciunt. Nā ſi ea verba intelligamus de iudice dato, qui illic proponitur à litigatorib. recuſatus fuiſſe, illud incommodum conſequetur,quod & de iudice à magiſtratu dato intelligi neceſſe ſit. Nam d.l.ſcripta eſt de iudice nō ſolum quem Princeps dederit, ſed etiam quem magiſtratus: atqui Iudex à magiſtratu datus non poteſt exequi ſententias ſuas etiam ipſis cōcedentibus,vt ſupra docuimus. Verius itaque eſt,eam legem de iudice ad exequēdū proprie dato,id eſt,de exſecutore;nō dico ſententiæ ſolius,

vel poſt ſentētiam dato, vt Duarenus putat in d.l. à D.Pio.& Menoch. lib. 1. de arb. c.74. ſed de executore, qui ab initio datus eſt vna cum iudice, qui iudex de cauſſa cognoſcere deberet, vt Cuiacius exponit libr.9. obſeru. cap. 23. in fin. dummodo pro *examinatio*, legatur, *actio*, ſiue *exactio*, vt eſt in editione Gregorii Haloādri. Male etiam quibuſdam videtur pro hac ſententia noſtra adferri, textus in Authen. de exhib. reis. §. ſi vero. Nam Duarenus eum §. aduerſus nos retorquet; ait enim eum loqui, de iudice non ſolum à magiſtratu, ſed etiam à principe dato. Et tamen illic ſcriptum eſt, debere eum referre ad illum, à quo iudex datus eſt. Ergo inquit, Duarenus etiam delegatus principis ad principem referre debet, non ipſe exequi, ſiue in poſſeſſionem bonorum mittere, ſed diligentius pendenti verba dict. §. ſi vero, in quibus ſe mirifice torſerunt Fulgoſ. & alii veteres interpretes, teſte eodem Iac. Menochio, apparebit recte hanc ſententiam ibi probari. Nam illa verba: *ſed datus ſit à quodam iudice, ſiue ex ſacra forma, aut iuſſione, aut etiam ab aliquo adminiſtratore*, ſic omnino intelligenda eſſe dico, vt priori loco intelligatur delegatus iudex à delegato principis: poſteriore autem delegatus à magiſtratu, quem adminiſtratorem adpellāt, non autem de delegato ab ipſo principe, vt valde mirer, tot & tam erudita ingenia in re tam facili ſudauiſſe. Delegatus igitur à delegato principis (poteſt enim delegatus principis alterum delegare) non poteſt ſententiam ſuam exequi, vtpote cum iuriſdictionem nullam habeat: quare ſicut delegatus à magiſtratu debet recurrere & referre ad ipſum magiſtratum, qui eum dedit: ſic delegatus

gatus à delegato principis debet referre nõ ad principem,ſed ad principis delegatum,qui eum dedit. Habet enim iudex à principe datus iuriſdictionẽ, & exſequendi poteſtatem, cum à magiſtratu datus don habeat l. à iudice. Cod. de iud. l. à D. Pio. ff. de re iudic. Cum principem dico,intelligo ſummum,id eſt, Cæſarem. Aliorum enim inferiorum principum delegati non idem ius habent, de qua re pluribus Panorm. in cap. ſi quis contra. ext. de foro compet. Sed quid dicendum de delegatis ſiue commiſſariis Cameræ Imperialis? Et videtur omnino poſſe eos exequi ſententias ſuas, quia Camera æqualem & concurrentem cum Imperio iuriſdictionem habet. Imperatoris autem delegatus, vt diximus, exſequi ſententias ſuas poteſt, ſed contrarium receptum eſt, in delegatis Cameræ, idque vigore ordinationis, vt ſcribit Gail. libro primo obſer. cap. 7. num. 53. Quare mandata exſecutorialia, non ab ipſis Commiſſariis, ſiue iudicibus vigore dictæ ordinationis datis, vel electis, ſed immediate ab ipſa Camera decerni, id eſt, ab iudice Cameræ Imperialis debẽt. Quod autẽ Duaren⁹ eod. loco ſcribit, vnicã ſcilicet differẽtiã in iure ciuili reperiri, qua iudex à principe dat⁹ diſtinguatur à iudice quem magiſtratus dedit, nimirum quod ille alium iudicem dare poſſit, hic autem non poſſit: id verum non eſt, cum iudex delegatus à principe etiam apparitores proprios habeat, & vice ſacra, id eſt, imperiali iudicare dicatur, l. 3. C. ſi aduerſ. rem iudic. l. prima, Codic. de offic. vicarii. l. vltim. Codic. vbi & ap. quos. & imaginem principalis, id eſt, Cæſareæ diſceptationis accipere l. eos Codic. de appellat. Quibus iungenda ſunt ea, quæ

ſupra de Iudice à Principe dato ſingulari capite expoſui.

CAPVT XXXI.

An iudex ad exequendum datus, poßit etiam de ea ipſa cognoſcere.

De hac quæſtione quę ſuperiori reciproca eſt, nõ minus Interpretes concertant, quę vt recte intelligatur, primum nobis conſtituendum eſt, interdum alicui committi exſecutionem cauſſæ, interdum ſententiæ: ſi cui exſecutio alicuius cauſſę mandata ſit, intelligitur etiam cognitio ei mãdata eſſe, immo cognoſcere eum de negocio ſiue cauſſa oportet. ita diſerte cautum eſt in l. Etſi non cognitio. C. ſi contra ius vel vtil. publ. quo facit illud vulgatum, Non eſſe ſcilicet ab Executione incipiendum l. 1. C. de Execu. rei iud. l. ſi cum nulla. ff. de re iud. Quare nec reſcripta quidẽ Principum aduerſus hanc regulam & æquitatem valere dicuntur l. 2. C. de precib. Imp. of. Sane ſi ſimul cum executore datus eſt iudex alius, qui de cauſſa cognoſcat & iudicet, nihil eſt, cur executor ſeſe cognitioni immiſceat, ſed rem tantum iudicatã exſequi debet, item ſi is iudex in locum recuſati ſurrogetur l. apertiſſimi & l. vl. C. de iud. Neq; enim remoto iudice etiam exſecutor remouetur, licet vna cum iudice eidem liti addictus ſit, vt eleganter Cuiac. docet. li. 10 obſeru. c. 23. in fin. Quod ſi de cauſſa cognita iam & iudicatum ſit, & ad eam exequendam iudex detur, hic demum exiſtit illa difficilis quæſtio, de qua in Camera Imperii variantibus ſententiis diſceptatum eſſe Mynſing. ſcribit c. 3. obſeru. 69. An

videlicet

videlicet ei etiam cognitio præſertim de Exceptionibus condemnati competat. Hac in parte duplex adhibenda diſtinctio eſt. Vna eſt in varietate iudicum, ſiue Exſecutorum: altera eſt in rebus ipſis poſita, de qua poſteriori duntaxat ſupra dicta Mynſingeri obſeruatio loquitur. Quare & nos de ea prius dicemus. Igitur vel de bonis ſiue reb. in quas executio fieri debet, quærimus, vel de Exceptionib. quæ ſententiæ vel Executioni opponūtur: Si de rebus, certi Iuris eſt, poſſe Executorem de iis cognoſcere, & ſtatuere, iuxta formam tamen, quæ præſcripta eſt in §. in venditione. d. l. à Diuo Pio. Neq; enim pro arbitrio & libidine ſua quaſuis res debitoris condemnati ſtatim pignori capere, vel diſtrahere poteſt, ſed ciuili modo, qui modus ſi ab eo nō reſeruetur, poteſt ab eo appellari, quamuis alias dici ſoleat, contra Executorem rei iudicatæ adpellationem non admitti. ca. 15. ext. de ſentent. & re iud. l. ab Executore. C. de exſec. rei iud. Paulus li. 5. ſent. tit. 35. Si vero exceptiones aliquæ contra ſententiam opponuntur; intereſt, vtrum negetur iudicatum eſſe, an non. deinde cuiuſnam generis eæ exceptiones ſint. ſi negetur iudicatum, id eſt, ſententia prolata, dubium non eſt, quin exſecutor de ea re cognoſcere debeat. ſicut in actione de iureiurādo dicimus, nihil aliud ſolere quæri, niſi an iuratum ſit, falſo ne, an vere, nihil ad rem pertinet. §. in perſonam. Inſtit. de action. l. poſt rem iudicatam. ff. de re iud. De Exceptionibus autem ita ius eſt: aliæ enim de meritis cauſſæ diſceptant, aliæ ſententiam oppugnant, aliæ deniq; contra exſecutionem ſolam inferuntur. De priorib. illis, quorum fit mētio in l. 1. C. de iur. & fact. ignor. non poteſt execu-

tor vllo modo cognoſcere, puta, an debeatur id, de quo Iudex pronunciauit, vel reus in iure confeſſus eſt l. pen. ff. de confeſſ. quo in loco Africanus ſcribit, arbitrum ſiue iudicem datum ad reſtitutionẽ fideicommiſſi, de quo hæres confeſſus erat, non poſſe ab eo hęredem abſoluere: quamuis hæres errore facti confeſſus fuerit falſum, id eſt, quod non debebat, quia ſcilicet fideicommiſſum nullum eſſet à teſtatore relictum, idq; etiam ipſe arbiter cōpererit; neque enim poteſt hæredem, vt dixi, abſoluere, ſed remittere eum ad Prætorem debet, à quo ipſe arbiter datus eſt. Contra eſſe dicit, ſi non reſtitutioni, ſed computationi duntaxat patrimonii arbiter datus ſit. Nam ſi in ea cōputatione hæres errauerit, abſolui ab arbitro poteſt: puta, quia hæres fideicommiſſum deberi dixerat, vel omne æs alienum defuncti ſolutum eſſe, cum contra cōtenderent creditores defuncti, id eſt, fideicomiſſum non deberi, quia ſcilicet ære alieno exhauſtũ eſſet arbiter ad hanc rem, id eſt ad quantitatem patrimonii ineundam datus poteſt abſoluere, & pronunciare hæredem non debere fideicommiſſum, de quo per errorem & ignorantiam æris alieni cōfeſſus fuerat. Hæc eſt vera d. l. pen. interpretatio. Secundum genus Exceptionum eſt, quæ ſententiam oppugnant. qualis eſt exceptio nullitatis, vel falſorum inſtrumentorum, vel iudicis corrupti, & ſimiles. Ac de his ita ius eſt, vt ſi exſecutor reperiat eas exceptiones manifeſto falſas atque inanes eſſe, repudiet, ac reiiciat, ſententiamque exequatur. l. ſi Prætor. §. Marcell⁹. ff. de iudic. l. ſatis. C. ad L. Corn. de falſ. Quod ſi de iis exceptionibus merito dubitet an locum habeant & ſententiã euertant, atq; ita

exſe-

exſecutionem impedire poſſint, tunc exſecutor ad magiſtratum remittere debet, non ipſe cognoſcere c. de cæteris. ext. de re iud. Bart. ad l. à Diuo Pio, quem alii ſequuntur. Quod & in capitalibus cauſſis locum habet. v. Iul. Clar. libro 5. ſent. quæſt. 92. Quo pertinet etiam d. l. ſi Prætor. de Iudic. Nam vt difficilem illam, & in primis à Dd. vexatam l. explicemus, tria illic proponuntur, ſententia Iuliana, & notæ duæ, vna Marcelli, Pauli altera. Species hæc eſt: Prætor reum, à quo debitum petebatur, adeſſe iuſſit, & ordine edictorum, id eſt, citationum peracto pronunciauit, abſentem debere. In hac ſpecie Iulianus ſic ſcripſerat indiſtincte: Iudicem qui de iudicato cognoſcit, id eſt, qui ad rem iudicatam exequendam datus eſt (in qua quæritur hoc tantum, an iudicatum ſcilicet fuerit, vt ſupra dictum, vel quomodo res iudicata exequenda ſit in bonis debitoris) hunc, inquam, iudicem nō poſſe etiam de Prætoris ſententia, quam conſtet ab eo latam eſſe, cognoſcere, & iudicare: ſed exequi eam omnino debere, ne ſcilicet, vt illic adiectū eſt, prætorum edicta, & decreta luſoria fiant. Hanc Iuliani ſententiam notat Marcellus in notis ad eum ſuis: notat, inquam, vt nimis generaliter, & indiſtincte ſcriptam, non vt penitus falſam. temperat enim eã hoc modo, ſi videlicet, petitor falſis adlegationibus, vel inſtrumentis vſus, prætoris ſententiam cõtra reum abſentem conſecutus ſit, idq; liquido ei adprobatum fuerit, poſſe hūc iudicem, qui de iudicato cognoſcit, hanc querelam admittere. ſed an & iudicare poterit de ea, ſiue potius de ſententia prętoris? querelam quidem poteſt admittere, & de ea etiã cognoſcere an vera ſit: ait enim Marcellus, *li-*

quido fuerit adprobatum, &c. ſed non propterea, & de ſententia Prætoris pronunciare, poterit id eſt, debitorem abſoluere, quē prætor condemnauit: ſed rem tantum iudicatam non exſequitur, atque ita in hoc caſu reprehenditur ſententia Iuliani. Nam de ſententia Prætoris quodāmodo cognoſcit, qui eam non exequitur; licet de cauſſa non pronūciet, ſed remittat ad Prætorem qui eam tulit, vel à quo ipſe datus Iudex eſt. Sequitur altera nota Pauli reprehendentis itidem Iulianum, non Marcellum. Reprehendit autem in eo ſi ex falſa contumacia ſit condemnatus abſens à Prætore, puta, ſi is qui Reip. cauſſa aberat, vel morbo impeditus erat, damnatus ſit, quaſi ex volūtaria cauſſa abeſſet, vel ex cauſſa turpi aliqua & improbata. Et hoc igitur caſu, ſi de ea re conſtet, Iudex ad exequendum datus debet querelam & exceptionem rei admittere; neque debet Prætor, qui ſententiam tulit, talem ſententiam exequi, vel exequi iubere, neq; actionem vllam iudicati ex ea dare. Sed hoc loco magna eſt inter Dd. controuerſia, an ſi hic exſecutor idem ſit & magiſtratus, vel alius, qui ordinariam habeat iuriſdictionem à iure communi vel à ſtatuto, poſſit de his exceptionibus non modo cognoſcere, ſed etiam iudicare? Quod quidem Bartol. & Alex. recte negant, ſed ad iudicem qui ſententiam tulit, remittere debere aiūt. Et ratio eſt; quia neq; minor, neq; par in maiorē vel in parē habet imperiū. Is autem qui iudicauit in illa cauſſa, certe eſt maior eo cui exſecutio mandata eſt. Quapropter etiā ei parere hic exſecutor tenetur d. l. à D. Pio. §. 1. De re iud. & pulchre Cynus in l. properandū. §. ſin autē reus. C. de iudic. Qua ratione refellitur tota illa

Imo-

Imolæ aduerſus Bartolum diſputatio. Nam quod ille ex d.§.1.adfert, nimis leue eſt, cum is §.& §. ſi ſuper rebus,eadem l.loquatur diſerte de exceptionibus,quæ in ipſis rebus,in quas executio fieri debet, obiiciuntur, non autem de iis, quæ ad merita cauſſæ vel ſententiæ latæ pertineant. Sequitur tertium genus exceptionum, nimirum earum, quæ ſententiam non oppugnant, quaſi nullam, aut iniuſtam,ſed executori obiiciuntur, vel quia in reb. capiendis,in quas executio fit male executor verſetur; vel quia formam executionis non ſeruet,vt ſupra dictum;vel etiam quia tertius aliquis executioni intercedit,quod dicat, ſe rerum vendendarum eſſe dominum, non autem debitorem qui condemnatus eſt. Nam quoties id adcidit,iubetur ipſe exſecutor cognoſcere: ſed cognitione tamen duntaxat ſummaria,qua habita iudicet, vtrũ pergere in iis rebus,quarũ cõtrouerſia ſit,vendẽdis debebat,an deſiſtere,& ad alias res debitoris vendendas adcedere. Plena autẽ cognitio de proprietate ſcilicet,& iure earum rerum, non pertinet vllo modo ad hunc exſecutorẽ, ſed remitti ad magiſtratum debet, neque enim per ſummariam illam cognitionem cognitioni plenariæ præiudiciũ fieri potuit.l.8.ff.de his qui ſui. Vel denique, quia beneficium aliquod damnato competens per executionem adimatur,puta, ſi fideiuſſor, qui cum aliis fideiuſſit,condemnatus ſit,&beneficiũ epiſtolę D. Hadriani exſecutori opponat;non oppugnat quidẽ ille ſententiam,qua in ſolidũ condemnatus eſt, ſed ne in ſolidũ exigatur,opponit beneficium epiſtolæ, & diuiſionis, quod etiam condemnatis in ſolidum fideiuſſoribus dari placuit.Inſtitution.de

fideiuſſ.& Nouell.4. Idem ius eſt, ſi duo pluresve rei eadem ſententia in ſolidũ ſint condemnati l. 1. C.ſi plures vna ſentẽtia &c.talis eſt & exceptio vel beneficium , quod conſtitutione D,Antonini tributum eſt donatori , & aliis quibuſdam perſonis, ne videlicet condemnati in plus conueniantur & exigantur,quam in quãtum facere poſſunt, quod intelligitur deductis alimentis, ne videlicet egeãt, l.Neſennius, cum ſimil. ff.de re iud. In huiuſmodi igitur exceptionibus iudex ad exequendam ſentẽtiam datus vere & plene iudex eſt: ita vt de his exceptionibus poſſit cognoſcere, & ſtatuere, cum ipſius officium ea res primario contingat, vt recte Bart.ſcribit in d.l.à D. Pio. Sed excipienda tamen &hic ſunt ea,quæ altiorem indaginem requirunt. arg.l.4.§. ſi condemnat. ff.de re iud. & l. ille à quo.§,ſi de teſtamento.ff.ad Trebellian.

Libri II. Finis.

SCIP. GENTILIS IVRISCONSVLTI

DE IVRISDICTIONE

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Imperium, Magiſtratus, Militare, Regium.

PRimum hoc nomine ſignificatur Magiſtratus: vt in illa lege M. Tullii: *Imperia iuſta ſunto*: & in epiſtola Bruti, *omnia imperia concupiſcere.* Vlpianus poteſtatis verbo in perſona magiſtratuum ſignificari imperium, in perſona liberorum patriam poteſtatem, in perſona ſerui, dominium l. poteſtatis 215. ff. de verb. ſign. Sed non omnes magiſtratus imperium habent, vel in imperio eſſe dicuntur, ſed maiores. l. nec magiſtratibus 32. ff. de iniur. vbi minores magiſtratus Vlpianus definit, qui neque imperium, neque poteſtatem habent. De quo dixi ſuperiori volumine. Proprie autem imperia vocantur, præfecti rei militari, eaque ratione cum ab aliis eos diſtingui, tum à magiſtratibus videas. vt in Agraria contra Rullum, *ſacerdotia, magiſtratus, imperia, curationes.* Et in ea pro Archia: *Imperante Lucullo, Pontum, &c.* Quare magiſtratus etiã ſummus, vt Cõſul, quamuis ſummum imperium habeat, tamen ſi bellum ei mãde-

Google

tur,tum demum & imperium ei dari dicitur, & cũ imperio miſſus in prouinciam: nam hoc militare imperium ſpecialiter lege Curiata magiſtratui dari ſolebat. Sicut & merum imperium, vt eſt ius gladii, ſpecialiter lege datur. l.1.ff.de off.ei. Hinc illud Ciceronis in Philippicis: *Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt.* Et alibi in Epiſtolis: *Quid eſt enim ſine imperio exercitus?* Verius eſt enim quod Sigonius contra Gruelium ſcribit nõ eſſe hoc imperium in magiſtratu inſitum, ſed aduentitium, & aliunde delatum. Quare in libris noſtris Digeſtorum cum tam multis titulis officia magiſtratuum exponantur, nuſpiam, quod ſciam, fit huius militaris imperii mentio. Hinc *ius imperatorium,* pro iure victoriæ ſumitur. Quia imperatoris nomen nemo olim niſi ex victoria adipiſceretur & acclamatione militum. Cic. Verrina 3. *Belli lege atq; imperatorio iure.* Summum vero imperium in iiſdem libris atque aliis cum dicitur, non merum ſignificat, vt Hotomannus putauit, (in quo & P. Ramum reprehẽdi à Turnebo memini) ſed regiũ. Ait enim Pomponius in l.2. De orig. iur. Conſulũ fuiſſe ſummum imperium, id eſt, regium: Vt Cicero de Legibus, *Duo regio imperio ſunto.* At idem Põponius eodem loco negat, & recte habuiſſe merũ imperium, id eſt, ius gladii Conſules. Quod tamen Reges habuerunt. Sed an prouocare ab Regibus licuit? Quod quidem dicẽdum videtur ante L. Tarquinium, de omnibus. idque Seneca lib.19. Epiſtolarum ad Lucilium ex ipſius M. Tullii lib.1.de Repub. refert. Et extat exemplum de Tullo Hoſtilio, qui Horatio perduellionis, ob occiſam ſororem reo, prouocationem conceſſit. De quo tamen conſideranda

ſideranda ſunt nobis verba Liuii lib. I. *Atrox viſum id facinus patribus plebique: ſed recens meritum facto obſtabat. tamen raptus in ius ad regem. Rex ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus iudicii, ac ſecundum iudicium ſupplicii author eſſet: concilio populi aduocato: Duumuiros, inquit, qui Horatio perduellionem iudicent, ſecundum legem facio.* Lex horrendi carminis erat: DVVMVIRI PERDVELLIONEM IVDICENT. SI A DVVMVIRIS PROVOCARIT, PROVOCATIONE CERTATO. SI VINCENT, & cætera. Prouocauit igitur Horatius, authore, inquit Liuius, Tullo clemente legis interprete. Sed hoc quo pertinet? Nam & lex clara erat, vt interprete non egeret; & ipſa prouocationem verbis concedebat, vt clementia Regis opus nō eſſet. Ego exiſtimo id Liuium velle, in eo clementem legis interpretem fuiſſe Tullum, quod cùm lex generaliter eſſet de prouocatione ſcripta, ad quem autem prouocādum eſſet, non exprimeret; Rex vt ad populū prouocaret, author Horatio fuerit: quaſi nō ad Regem ſolum prouocare liceret, ſed & ad populum: idq; eo conſilio fecit, quia abſolutum illum iri à populo intelligebat, quod & ipſe cupiebat. Cur igitur nō abſoluit ipſe? timebat enim optimus rex parricidii manifeſtum abſoluere, ne vltrices diras in ſuam familiam immitteret, vt Dionyſius ſcribit. Habuit Tullus ex inſtitutis legibuſque regiis eam poteſtatem, vt poſſet de rebus capitalibus cognoſcere ac iudicare: non tamen ſine conſilio cognoſcebat, at certe ſi indicaſſet pœnamque decreuiſſet, id omnino puto ſine prouocatione fuiſſe: neque aliter veriſimile eſt. Quod autem lex de prouocatione erat, pertinuit ea apertiſſime ad Duum-

uiros, quos Rex faciebat, cum liberet, (neq; enim cogebatur facere:) à quib. Duumuiris prouocatio ad Regem, qui eos dederat, fuit: non ad populum, qui neque creabat eos, neque cognitionem rerum capitalium habebat. Quare Dionyſius tunc demũ populum Romanum θανατηφόρυ κρίσεως κύριον factum eſſe ſcribit: De Duumuiris reticet. Apparet idem, ſi quis attendat; ex oratione M. Fabii cum Papirio Dictatore altercantis, pro filio, & ad populum prouocantis. *Videro*, inquit, *ceſſuruſne prouocationi ſis, cui Rex Romanus Tullus Hoſtilius ceſſit*: Liuii libr. 8. Nam iudicium illud Horatianum intelligit, & ex clementia Regis Hoſtilii inuidiam Dictatori creare conatur. Ex clementia, inquam. Nam ſi prouocatio lege fuiſſet à Regibus, cur ſolum Hoſtilium nominaret, ac non legem potius? Sed lege erat à Duumuiris prouocatio ad Regem: Hoſtilii clementi interpretatione, & in illo facto, ad populum fuit, quaſi concedentib. legis verbis. Vnde coniicio in illa prouocatione Horatiana fuiſſe populum appellatum: atque ita apud Liuium eſſe legendum, PROVOCO AD POPVLVM. Quo modo ſcriptum eſt, & in citato exemplo Q. Fabii lib. 8. & in Voleronis lib. 2. Sed quid M. Tullio faciemus, qui teſte, vt dixi, Seneca, ſcripſit, prouocationem ad populum etiam à Regibus fuiſſe? Idemque libro quarto Tuſculanarum quæſtionum indicat, ſtatim initio; cum inquit: *Nam cum à primo vrbis orta, regis inſtitutis, partim etiam legibus, auſpicia, ceremoniæ, comitia, prouocationes, patrum conſilium, equitum peditumque deſcriptio, tota res militaris diuinitus eſſet inſtituta.* Ecce prouocationes temporibus atque inſtitutis regum. Neque enim au-

audiendus eſt doctiſſimus Vrſinus, qui prenſationes, reponendum cenſuit. Ratio quidem vera, qua mouetur, quia non putet à regibus prouocationẽ fuiſſe: ſed emendatio falſa atque inepta, non fuit à regibus: at fuit ab aliis ad reges. De Seneca idem quod ſupra reſpondeo, fuiſſe quidem prouocationes, ſed vel à Duumuiris à rege datis ad ipſum, vel ad populum, vel etiam ab ipſo rege ad populum, benigna ſcilicet & clementi Seruii conceſſione, qui etiam ſe legibus ſuis, quibus ſolutus erat vltro adſtringeret. Quod & reliqui deinceps ſecuti reges ſunt, vt Auguſti inſtituta principes. Corn. Tacitus huc facit lib. 3. Annal. *Sed præcipuus*, inquit, *Seruius Tullius ſanctor legum fuit, queis etiam reges obtemperarent.* De imperatoribus notæ in iure noſtro ſententiæ.

CAPVT II.

Merum imperium, ius gladii, ſecuris, alia.

MEri & mixti imperii nomina, quibus temporibus, & qua occaſione in vſum venerint, primo volumine demonſtrauimus. Iiſdem prope temporibus ius gladii, ſi non antiquioribus, dici cœpiſſe exiſtimo. Quintilianus, niſi fallor, vſurpat, & ſimpliciter gladium pro iure huius imperii multi & vetuſti ſcriptores. Seneca ita intellexit, cum de Nerone ſic loquitur, *nulli vnquam citius gladium commiſſum fuiſſe*, id eſt, ius vitæ & necis, cuius iuris inſigne, gladius. Quare eum ſtatim præfecto prætorio tradebat Imperator. Quod notum ex illa Traiani generoſiſſima voce. Ipſi autem

Imperatores pugionem ad hoc ipſum ius oſtentandum geſtare ſoliti, Cornel. Tacitus li. 3. Hiſtor. de Vitellio, *ſolutum à latere pugionem Conſuli in concione reddidiſſe, tanquam ius vitæ & necis in ciues.* Non ſolus igitur gladius, ſed & pugio index imperii huius. Quare C. Cæſar (Caligulam dico) duos habuiſſe libros dicitur; quorum alteri, Gladius, alteri Pugio nomen fecerat: in vtroque annotati ii, quos occidere conſtituerat. Sed gladium, vt dixit, pręfectus prætorio ferebat, pugionem ipſe Princeps: ſicut apud Thebanos magiſtratus ſiue Archon haſtā ſemper ferebat, vt eſt apud Plutarchum lib. extremo de Socratis genio. Forte & magiſtratibus præferebatur olim gladius. Huc enim verba illa Pauli Apoſtoli ducas, *non ſine cauſa magiſtratum gladium ferre.* Quamuis ſciam in prouinciis Præſidibus tantum, id eſt, Legatis Cæſaris tributum fuiſſe ius gladii geſtandi, ſiue eo ſe adcingendi: non aliis, non etiam Proconſulibus, teſte Dione. Præſides enim in prouinciis Cæſarianis erant, & rem militarem tractabant, Procoſſ. in publicis, & pacatis. Idem ius dixere Papirius & Lucanus *ius ferri*, quod & Cuiacio notatum, reperi ego & *ius fori* in eandem ſignificationem apud Aurel. Prudentium lib. 2. contra Symmachum:

Et ſub iure fori non noxia colla ſecare.

Item *ius prætorium*, Hymno in Vincentium Martyrem. Sed ſatis de gladio: & quędam capite proximo dicenda erunt. Securis etiam ius imperii non ſolum ſummi illius & vniuerſi, vt cum dicimus prouinciam aliquam faſcibus & ſecuribus ſubiectam, ſed huius proprie, de quo loquimur, meri, quod in facinorum coercitionę conſiſtit, ſignificat: quamuis non

uis non ſecuris ipſum inſtrumentum adhiberetur. Sic enim Seruius in illud Vergilii libro 6. Æneid. —Sæuumq; ſecuri Aſpice Torquatum. *Hic ad vrbem pergens*, inquit, *præcepit filio, vt tantum caſtra metaretur* (lego, *tueretur.*) *Ille prouocatus ab hoſtibus nacta occaſione victoriam conſecutus eſt. Reuerſus poſtea pater laudauit fortunam populi Romani: ſed filium, vt dicit Liuius; Fuſtuario ſupplicio necauit. Ergo ſæuum ſecuri, ſæuum iure occidendi, non ferri genere. Nam ſecuri non animaduertit in filium.* Hæc Seruius. Quibus oppido quam conſentiant illa elegantiſſimi, vt illo ſæculo, poetæ Gũtheri, Ligurini libro 3.

Et nunc ille Comes concors, & regius aulæ
Ille potens Princeps, ſub quo Romana ſecuris
Italiæ punire reos de more vetuſto
Debuit.

Ait, Italiæ: Nam Germanis gladius hac in re magis vſitatus: qui etiam poſtremis Caroli 5. Conſtitutionibus ſolus fere in ſuppliciis ſancitur: neque id mutare Iudici liceat. Ait, de more vetuſto: id eſt, Reipub. temporibus, nam poſtea etiam gladius magis adhiberi cœpit. Quare Vlpianus in l. aut damnum § 1 ff. de pœn. *Vita adimitur*, inquit, *puta, ſi damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur. Sed animaduerti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo*, Et hoc eſt quod Guntherus ait, *Debuit*: Suſpicor Vlpianum ſic ſcripſiſſe, *ſi damnatur aliquis, vt animaduertatur, ſed animaduerti gladio oportet.* Nam ſi in damnatione expreſſa ſit gladii appellatio, vt eſt vulgata lectio, quid opus fuit tam religioſe monere, non oportere alio genere quam gladio puniri? Aut quis ſententiam præ-

ſidis mutaret? Sed illa verba, *gladio in eum,* ſine dubio ab imperito interprete aliquo vel ſtudioſo adiecta ſunt. quod mirum ei videbatur, cur animaduertẽdi verbũ de ſolo gladio accipi deberet, quod tamen eruditis non eſt mirum. non Iac. Cuiac. qui veriſſime (vt puto) docuit, ideo Caracallam obiurgaſſe eum, qui Papinianum ſecuri percuſſerat, cum diceret ei, *Gladio te meum iuſſum exequi oportuit*: quia ſcilicet vocabulo erat Animaduertendi ſolo vſus Caracalla, cum ſupplicium illud iuberet. Plerumq; tamen dubitationis tollendæ cauſſa adiectum exiſtimo in ſententiis & genus inſtrumenti veluti in vita B. Cypriani ſcriptum eſt. *Proconſul Galenus Maximus dictauit ſententiam, dicens, Statium Cyprianum diis libamina offerre renuentem gladio animaduerti placet.* Et ſupra ibidem : *Qui hoc facit, gladio animaduertatur.* Retinuit religioſe, quantum per rationem metri licuit, eadem verba Prudentius in eiuſdem hymno,

> *Ille* (proconſul) *ſub hæc, Satis eſt iam criminis. ipſe confitetur,*
> *Thaſcius; ipſe Iouis fulmen negat: expedite ferrum,*
> *Carnificis gladio pœnam luat hoſtis idolorum.*

Idq; etiam hodieque vſus ſic obſeruat. Quod autem ſupra dixi, poſterioribus temporibus gladium magis adhiberi cœpiſſe, non excluſi ſecurim, qua certe Italia ſemper vſa. Liber hoc loco elegantiſſimam hiſtoriam & grauiſſimi exempli commemorare, ſed verbis ipſius authoris, id eſt, Alberti Krantzii libr. 3. Metropol. ca. 12. de Imp. Ottone. I. *Quum rex expeditionem militarem crebrius duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier querula, quod vim paſſa eſſet ad ſtuprum: rogans iuſtam legum vindictam.*

dictam. Quum ille feſtinans educere, polliceretur in reditu ſe iuſtitiam facturum: eiulans mulier, Quis tum, inquit, faciet dominum meum atrocis iniuriæ memorem? Tum ille ſuſpiciens in proximam Eccleſiam: Hæc, inquit, erit teſtis inter me & te, & in ſignum iuſtæ vltionis. Ibat ille itinere, & proxima vice per interpoſitos reuerſus, vbi vidit Eccleſiam, rrcordatur delatæ quæſtionis. Iuſſit aduocari mulierem. Vbi aderat, præueniens mulier, Sereniſſime, inquit, Rex, vir de quo ſum olim queſta, nunc meus eſt maritus, peperiq́; ex eo, & iniuriam aboleui. Non ſic, inquit, Rex: per Ottonis barbam ſentiet dolabrum. Nam inter vos facta colluſio ſacris legibus non imperat: iuſſitq́; virum ſecuri percuti. Quod exemplum ſingulariter notandum cẽſeo. ad cõfirmandam enim opinionem Andreæ de Iſernia valet in Conſtitut. Regni, *Si quis non dicam rapere*: vbi probat raptorem, eumque qui ſtuprum inuitæ mulieri intulit, etiamſi inter eos poſtea matrimonium conuentum ſit, mortis ſupplicio adficiendum eſſe.

CAPVT III.

Meri imperii definitio.

HIs ita præmunitis, facilius intelligetur à nobis meri imperii definitio, quàm Vlpianus in lib. de officio quæſtoris talem tradidit: *Merum imperium eſt, habere gladii poteſtatem ad animaduertendum facinoroſos homines, quod etiam poteſtas adpellatur.* l. imperium. 3. ff. de iuriſdict. Hanc eſſe vt ſimplicem ac breuem, ſic perfectam definitionem, mihi perſuaſi. Cum enim merum imperium in criminibus coercendis omne verſetur; quænam pars

eius hac definitione excluſa ſit, non video. Nam quod gladii adiectum eſt, ad vehementiam ſignificandam huius imperii atque horum iudiciorum factum eſt:& quia in re omnium oculis prope expoſita vſus etiam fuit demōſtrandus. Merum imperium enim ius gladii vulgo dicitur. Etiam temporibus Reipub.(quod notandū eſt) gladius pro iure occidendi, vt Seruius Honoratus loquitur, accipiebatur. hoc enim ſignificant illa verba C. Cæſaris apud Salluſtium de coniuratis, *vbi ſemel gladiū Conſul eduxerit*. Cum tamen gladio non vterentur in ſuppliciis, niſi forte militiæ: & poſterioribus tēporibus. Et Cicero SC. illud vltimæ neceſſitatis, *darent operam Coſſ. ne quid Reſpub. detrimenti capiat*, gladium in prima Catilinaria vocat. quo Senatuſconſulto ius omnibus modis coercendi more Romano magiſtratui permitti, Salluſtius & alii ſcribunt. Cur autem gladius tam celebris ſit, etiam in ſuppliciis, ne ſolum ad nobilitatem inſtrumenti referas, ſed magis ad acumen. D. Hilarius Epiſcopus Pictauenſium Commentario in Matthæum: *Gladius*, inquit, *telorum omnium acutiſſimum eſt, in quo ſit ius poteſtatis, & iudicii ſeueritas, & animaduerſio peccatorum*. Putes Hilarium, cum hæc ſcriberet, ante oculos habuiſſe ſuperiorem Vlpiani definitionem. Propoſitum quoque tanquam ſignum in iudiciis rerum capitalium, gladium, vt in pecuniariis haſtam, Sigonius ſcribit, allegans illum Cypriani locum, qui eſt lib. 2. Epiſtol. 2. *Et inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. Haſta illic, & gladius, & carnifex præſto eſt, vngula effodiens*. ſed de hoc alibi dixi. Similiter poteſtas, vt Ius gladii de eodem imperio dicitur κατ᾽ ἐξοχὴν: Ideoque Vlpia-

Vlpianus eodem in loco coniunxit,& diſcipulus eius Imp. Alexander Seuerus. Sic enim de eo Lampridius: *Honores iuris gladii nunquam vendi paſſus eſt, dicens: Neceſſe eſt, qui emit vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim punire illum hominem qui emit & vendit.* Sed & verbũ, animaduertẽdi, quo Vlpianus in hac definitione vſus eſt, ſignate apud omnes ſcriptores vſurpatur in ſummo ſupplicio. Vnde & ſententia Catonis de animaduerſione dicitur M. Tullio in Epiſtolis ad Atticum, id eſt, de necandis coniuratis. Idem tamen verbum & ad minores pœnas ſignificandas poni ſolet. Hinc maior animaduerſio dicitur Venuleio, quod poſtea ſimpliciter animaduerſio: *ſi quid erit*, inquit, *quod maiorem animaduerſionem exigat, reiicere legatus apud proconſulẽ debet: neq; enim animaduertendi, coercendi, vel atrociter verberandi ius habet.* l.15.ff.de offi. Procõſ. Diſtinctionis igitur & diſciplinæ cauſſa putandus eſt Paulus feciſſe, qui ad illa verba Papiniani: *Nemo dicit, animaduerſionẽ legatũ Proconſulis habere mandata iuriſdictione*, hãc notam adiecit: *Et imperiũ, quod iuriſdictioni cohæret, mãdata iuriſdictione tranſire verius eſt*, id eſt, modicã animaduerſionẽ, ſiue coercitionẽ, vt idem Paulus alibi locutus eſt. l.1. §.fi. l. vlt. §.1 ff. de offi. eius. Sed Papinianus animaduerſionẽ ſignanter acceperat pro maiori ſcilicet, quod Apuleius l.5. Metamorphoſ. ita extulit, *& corpus eius acriorib. remediis coerceat.* Alia ſunt q̃ remedia prætoria Vlpiano dicũtur, id eſt, modica & leuiora in l.1.ff. de ven. inſpi. hæc ſunt mixti imperii, illa meri. Doctores noſtri, vt Odofredus, ſuauiſſime nugãtur de verbis huius definitionis Vlpiani, veluti, ꝙ animaduertere di-

catur ex eo, quod animam vertat, id eſt, à corpore ſegreget: quod meri imperii definitio à bonis cõpotoribus petenda ſit: neq; enim minor apud noſtros Interpretes quæſtio eſt de vocabulo iſto Meri, quam apud interpretes Homeri vel Ariſtotelis doctiſſimos, quid apud illum poetã ſit Ζωρότερον, quod alii, merum, alii calidum, alii temperatum vinum interpretantur, alii aliter. Similiter quod Vlpianus cum magno myſterio dixerit, Merum imperium eſt, Habere gladii poteſtatem: non autem eſt poteſtas, idque ita explicant nonnulli, quaſi imperium quod in Principe ſolo reſidet, definire Vlpianus voluerit. Mihi contra videtur, Magiſtratuum potius (quod & inſcriptio indicat, de officio quæſtoris) & aliorum definire voluiſſe, qui omnes merum imperium non habent. niſi à lege vel principe conceſſum ſpecialiter. l.1.ff. de offic. eius. & exercitionem potius meri imperii, quam ipſum imperiũ. d.l.1 Eſt enim hoc ſolius principis propriũ ac ſuũ: vt mihi Henricus Imperator non ſolũ equum donauiſſe Lothario videatur, ſed & æquum iudicauiſſe aduerſus Azonem. Supereſt in definitione Vlpiani vocabulum, *Facinoroſos*, quod etiam grauitate cæteris reſpondet, vt conquiſita hæc omnia verba Vlpiano putẽ ad ſummum illud meri imperii genus oſtendendum. Plus enim, facinoroſus, quam maleficus: quo peculiariter verbo in Mathematicos & veneficos poſterior ætas vſa eſt. Generale tamen eſt, & omnia complectens delictorum genera, quæ legibus puniantur. Tacitus lib.3. Annal. *Nam ſecutæ leges etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamen &c. latæ ſunt.* Improbi autem etiam ii ſunt, quos legib. tamen punire non poſſis,

vrba-

Vrbanarum tantum maledicta litium, Cicero ait, improbos & audaces dici. Maleficus nemo eſt, qui non crimen aliquod legibus vindicandum admiſerit. Deniq; ſic Impp. Seuerus & Antoninus Torquato reſcripſere: *A præſidib. prouinciarum, vel qui coercendorum maleficiorum poteſtatem habent.* ex quibus poſteriorib. verbis definitionem generalem, & ad omnes meri imperii partes ex æquo pertinentem conſtituere poſſumus. Similiterq; Claudius in l. bona fides. ff. depoſ. *Male meritus publice, vt aliis exemplo ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet.* Atq; hæc Vlpianus libro de officio Quæſtoris ita tradiderat. Quod & ipſum notandum eſt, vel propterea quod Cuiacius lib. 21. obſer. 30. id notandũ duxit, his verbis: *Qui magiſtratus etſi olim non habuit imperium merum, quia nec lictorem, aut viatorem, vt ex Varrone & Capitone Gellius refert, tamen non fuit ſine imperio mixto.* Miror vero ex eo probare, nõ habuiſſe Quæſtorem merum imperum, quod lictorem, & viatorem non haberet. Quorum illud ineptum: (alioquin omnes prætores ac magiſtratus, qui lictorem vel viatorem haberent, merum imperium habuiſſe dicendum fuerit:) alterum dubium, etſi Plutarcho doctiſſimo credimus, falſum. Ita enim in libro περὶ δυσωπίας ſcribit: ὁ γὰρ Κάτλος ἦν μὲν ἐν ἀξιώματι τῶν Ῥωμαίων μεγίστῳ, καὶ τότε τὴν τιμιτικὴν ἀρχὴν εἶχεν. ἀνέβη δὲ πρὸς τὸν Κάτωνα τεταγμένον ἐπὶ τοῦ δημοσίου ταμείου παραιτησόμενός τινα τῶν ἐπιτιμωμένων ὑπ᾽ αὐτοῦ, καὶ λιπαρὴς ἐγίνετο ταῖς δεήσεσι προσβιαζόμενος. ἄχρις οὗ δυσανασχετήσας ἐκεῖνος, Αἰσχρὸν ἐστὶν (ἔφη) Κάτλε σὲ τὸν τιμητὴν ἀπαλλαγῆναι μὴ βουλόμενον ἐντεῦθεν ὑπὸ τῶν ἐμῶν ὑπηρετῶν ἕλκεσθαι. καὶ ὁ Κάτλος αἰσχυνθεὶς, πρὸς ὀργὴν ἀπῆχθεν. Ex

quibus

quib.cognoſcimus etiã mulctæ dicendæ ius habu iſſe Quæſtores, & in carcerẽ duci iubere potuiſſe etiam ipſos Cenſores, vel certe eos per lictores rapi ac trahi. Quod repugnat iis, quæ cum aliis tum à Gellio ſcribuntur. Niſi dicamus, Catonem non ærarii fuiſſe, ſed iudiciorum capitalium Quæſtorem: qui Iudex queſtionis poſtea dictus. vt in l. 1. ff. ad. L. Corn. de Sicar. quemq; magiſtratum fuiſſe, ſupra lib. 2. demonſtrauimus. Certe non vnus aliquis fuit vel in vnam quæſtionem, prout res quæque incidiſſet, creatus, vt olim parricidii quæſtores creabantur. Sed certum & ordinarium magiſtratum hunc plures gerebant, vt opinor. Ita in veteribus inſcriptionibus, Ivdex Qvæstionis, cum aliis magiſtratibus curationibuſque publicis coniungitur. & quæſtorum tribunal, qui de capitalibus cognoſcerẽt, apud Suetonium in Tiberio legimus. De huius igitur officio Quæſtoris Vlpianus quoque in illo libro egit, & Plutarchi forte intelligenda illa narratio eſt: quamuis ærarii publici meminerit, Quæſtoris vocaculo forte deceptus. De quæſtoribus Procoſſ. & Prætorum in prouinciis, quin lictores & faſces & imperium habuerint, dubitari non poteſt. Quod ſi Quæſtor ærarii tũ Cato fuit, ὑπηρετὰς quos ille nominat, nõ lictores, ſed miniſtros alios eius (inter quos & Scribas habere cœpiſſe Cato dicitur cum antea dominorum loco eſſent) interpretari debemus, nec iure imperii Catonẽ vſum, ſed ira elatum ea dixiſſe, nec de in carcerẽ ducendo, ſed ſummouendo intellexiſſe Catulo. quod ius etiam minoribus magiſtratibus fuit, qui neq; vocationis neq; prehenſionis habuerunt. Varro lib. 21. Ret. humanarum, de Ædilibus:

Nunc

Nunc ſtipati ſeruis publicis non modo prehendi nõ poſſunt, ſed etiam vltro ſummouent populum.

CAPVT IIII.

Meri imperii quædam eſſe, quæ eius definitione contineri non videantur.

MVltis modis exerceri merum imperium poteſt, in quibus non modo nulla coercitio hominum maleficorum, ſed ne hominum quidẽ ſit. Mitto hic totum genus abſoluendi ſcilicet capitalium criminum reos poteſtatem, de quo ſequẽti capite dicam: etiam in mortuos homines, etiam in bruta, etiam in res ipſas anima carẽtes animaduerti poteſt, & quidem pro iure iſto ſolo, de quo agimus, gladii atq; imperii. In defunctos tribus modis pœnam ſtatui poſſe video, vel in nomen & inſignia, puta, ſtatuas ipſorum, vel in corpora, vel in liberos. In nomen, cum memoria mortui damnatur, quod etiam Imperatorib. quibuſdam adcidiſſe ſcimus. De quo tradit Dio & alii. Sed iure ciuili rerum criminis lęſę maieſtatis hęc pœna ſequitur etiã mortuum, & vt eius criminis adcuſari poſſit, & damnari tanquam ſi viueret: damnatusque ignominia adficiatur, bonaq; publicentur, erepta etiam liberis: imo & fama liberi multantur ſua l. quiſquis Cod. ad l. Iul. maieſt. Suppliciũ illis remittitur miſericordia potius quam iure, vt videri eius conſtitutionis authores voluerunt, nõ incolorata ratione, quia paterni ſceleris exemplũ in iis metui debeat. Et ſane ſic puniũtur ipſi parentes: bene enim apud Plutarchum quidam irridet, & damnat eos, qui in ſtatuas & cadauera defunctorum ſæuiunt. Iuſtius eorum liberos pœnas luere: vtpote, quibus

parentum portio ingenita ſit, atque hæreat, per quam viuunt, aluntur, & ſentiunt; nec iniquum eſſe, cum ſint illorum, etiam habere ea, quæ ſunt illorũ: Lib. de Sera. num. vind. vbi tamẽ poſtea hæc ſentẽtia ſic temperatur, vt cuſtodia & medicina nõ pœna adhiberi ſceleratorũ liberis debeat. Hoc igitur genus puniendi defunctos licet verbis definitionis Vlpianeæ non videatur contineri, ad eam tamẽ optime referri poteſt: ac verbis d. l. 1. C. qui ad lib. ſane continetur. Coercetur enim hoc genere maleficium. Iam de brutis & rebus inanimis, quod dixi, rariſſimum eſt, & ſingularis cuiuſdam exempli, vt comprehendi definitione non debuerit. Neque ſemper cum ſupplicium animalibus infertur, tam ipſis infertur, quam hominibus, vt in pœna parricidarum, cani, gallo, ſimiæ, viperę ſimul incluſis, vel ad ignominiam, vt hodie Iudęo ſuſpẽſo iuxtim canis adpenditur quibuſdam in locis. Et ſcribit Albertus Krantzius li. 1. Vandaliæ ca. 14. De Iarmenio rege Daniæ, elapſo è cuſtodia Vandalorum: *captos ex his viros 40. totidem lupis adiunctis vno ſuſpendio conſumpſit, vt regii ſanguinis carcerem, & ſeruilem in agris operam compenſarent.* Quod ſi quando ipſa animalia principaliter puniuntur, id potius ad memoriam facinoris ab iis perpetrati abolendã fit, quam ad pœnam eorum. c. mulier. 15. qu. 1. Atq; in Deciſionibus Delphin. legi, porcum, qui puerum deuoraſſet, iudicio damnatum & furca ſuſpenſum fuiſſe. Guido Papius Deciſ. 338. At contra Delphinis piſcibus, inquit, in Sympoſio Plutarchus, propter charitatem hominum, *νόμος ἀδείας ἄγραφος ἐστὶν αὐτοῖς· θηρᾷ γὰρ οὐδεὶς οὔτε λυμαίνεται, πλὴν ὅταν ἐν δικτύοις γενόμενοι κακουργῶσι περὶ τὴν ἄγραν, πλη-*

γαῖς

γαῖς κολάζονται, καθάπερ παῖδες ἁμαρτάνοντες. Capturam vero eorundem Diis hominibuſque inuiſam & abominandam eſſe ſcribit Oppianus in 5. Halieutic. Idem exiſtimandum de Theogenis illius ſtatua, quæ cum hominem caſu oppreſſiſſet, adcuſantibus occiſi liberis, à Thaſiis dānata & in mare abiecta eſt, ex legibus Solonis & Draconis capitalibus, inquit Pauſanias in Eliac. 2. quæ leges etiā inanima comprehendebant, εἴγε ἐμπεσόντι ἐξ αὐτῶν ἀποκτείνειεν ἄνθρωπον. Sicut & legibus Perſarū tiaras & veſtes eorum qui puniebantur, flagellari ſolitas legimus, illis plorātibus, &, vt finis fieret deprecantib. De ſtatuis deiectis vulgata res. illud non ita, quod Lampridius in Heliogabalo refert: *Miſit, qui & in caſtris ſtatuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri ſolet de Tyrannis.* Romani quoque ad delenda veſtigia & memoriam ſceleris dominorum ſæpe ipſas domos euerterunt, vt Sp. Caſſii, M. Vacci, Sp. Melii, M. Manlii, M. Flacci: quanquam Cicero cōtra in oratione pro Domo ad memoriam potius pœnę publice conſtitutæ id factum dicat, ſiue vt illorum facinus memoria & nomine loci notaretur. In legibus Friderici I. apud Guntherum lib. 8. hæc pœna imponitur ei, qui in formulam pacis publicæ iurare, eamq; ſeruare recuſauerit. Deniq; in pœnis etiam quæ viuis infliguntur, non tam eorum cruciatus ſpectatur, quàm exemplum in alios publicum. l. bona. ff. depoſit. Tertullianus lib. de anima ca. 32. *Quis non præferat ſæculi iuſtitiam quam & Apoſtolus non fruſtra gladio armatam conteſtatur, quæ pro homine ſæuiendo religioſa eſt?* Sed hic intelligit, quod eſt apud Platonem non vno in loco, delinquenti vtile eſſe, puniri, noxium contra impune abire.

CAPVT V.

De iure reos abſoluendi.

HOc etiam meri imperii eſt, vt damnare & punire: non tam ob eam cauſſam quod contrariorum eadem ſit diſciplina, quam quia id ipſum poteſtate meri imperii, & definitione contineatur. neque enim punire niſi facinoroſos & conuictos vel manifeſtos confeſſoſque debemus: innocentes autem abſoluere, quod ex illo ſequitur. Quin etiã præſtat nocentem abſoluere, quam innocentem damnare, vt eſt in reſcripto Traiani l. abſentem. ff. de pœn. Auguſtinus li. 7. de ciuit. Dei. *Atque omnes* (deos Varro) *ita bonos dicit, vt facilius ſit, eos nocentibus parcere, quam lædere quemquam innocentem.* Quod maxime inter homines in re dubia valere debet. Sanctiſſime enim hoc ſcripſit Chryſoſto. in Matth. homil. 1. Iuſtius eſt iniuſtum iuſte euadere, quam iuſtum iniuſte perire: quia etſi reus ſemel euaſerit, iterum poteſt perire: innocens autem ſi ſemel perierit, iam non poteſt reuocari. Denique id Vlpianus demonſtrat, cum ait lib. 1. De officio Proconſ. Solere Procoſſ. cuſtodiarum cognitionem mandare legatis: ſcilicet, vt præauditas cuſtodias ad ſe remittat, vt innocentem ipſe liberet. *Sed hoc genus mandati extraordinarium eſt*: inquit, *nec enim poteſt quis gladii poteſtatem ſibi datam, vel cuius alterius coercitionis ad alium transferre: nec liberandi igitur reos ius, cum adcuſari apud eum non poſſint.* l. ſolent. ff. de off. proconſ. Abſolute igitur eſt meri imperii: idque ita Doctores omnes ſentire, ſcribit Nicol. Bellonus lib. 3. ſupput. cap. 17. Sed vt

hæc

hæc quæſtio tota melius intelligatur, duas eius facio partes. Vna eſt: Quænā poteſtas in abſoluendo ſit eius, qui merum imperium habet. Altera, num Iudex ad condemnandum, ſi ita oportuerit, datus, poteſtatem etiam abſoluendi habeat: comperto, innocentem, vel non debitorē eſſe? In priori quæſtione tria genera reorum ſunt diſtinguēda; adcuſati tantum, conuicti ſiue confeſſi, & damnati, de quibus ſigillatim dicendum eſt. Adcuſatus vel inter reos relatus poteſt à Iudice, cuius cognitio eſt, iuſtis de cauſſis dimitti, ex reis eximi: veluti ſi adcuſator ad diem non adſit, vt Cicero in 3. Verrina ſcribit. Hodie ob hanc cauſſam non eximitur. poteſt enim Iudex ac debet etiam adcuſatore abſente de crimine cognoſcere, & ad ſententiam definitiuam vſq; progredi, de quo videndus eſt Iulius Clarus libr. 5. ſentent. recept. §. fin. quæſt. 3. & quæſt. 45. & 51. & 58. Dimitti quoque reus poteſt, ſi ab adcuſatore petatur abolitio. Sed ea tamen non temere conceditur, ſed certis magniſque de cauſis, & pro tribunali. Principem adire opus non eſt. l. 2. in pr. C. de abol. l. 1. §. abolitio. ff. ad SC. Turpill. Illa hic notanda, Non dari à magiſtratu abolitiones criminum capitalium, ſed leuiorum fere l. 3. in fin. C. de abol. Item, abolitione crimen non extingui: nam licet alii eundem reum repetere, qua in re abolitio facta à magiſtratu diſtinguitur ab ea, quæ fit per Principis annotationem, & Indulgentia proprie dicitur. nam hæc crimen omne prorſus extinguit, nec repeti reum permittit l. 2 & 3 C. de gener. abolit. l. ſi docueris. C. ad L. Corn. de falſ. Diuus Hieronymus li 2. aduerſus Iouinianum. *Quomodo ad indulgentiam principalem diuerſorum criminum rei*

dimittuntur de carcere, & vnuſquiſq; pro labore vel operibus ſuis in hoc vel illo ſtatu vitæ eſt; ita & denarius(de quo Matthæi 20.) *quaſi indulgentia veri principis, omnes per Baptiſmum emittit de carcere,&c.* Corippus de laudib.Iuſtini Iunioris extremo lib.2.

——precibusq; dolentum
Annuit,& ſolui cunctos à crimine iuſsit
More Dei.Deus eſt,cui verbo competit vno
Iuſtificare malos,mediaq; à morte leuare.

De altero videamus,qui reus ſit legitime cōuictus, vel confeſſus. Hunc magiſtratus abſoluere nullo modo poteſt, non magis quam condemnatum reſtituere,vt mox dicam: ſed condemnare eum debet de quo idem Clarus videndus li.5.§.fin.ca.65.& ſeq.Ambroſius lib.5.Epiſt.20.*Iudex conuictum & deprecantem non poteſt abſoluere* , & alia in ea Epiſtola præclare.Quid tamen ſi iudex ipſe ſciat eum innocentem eſſe?Pertinet hoc ad nobilem illam cōtrouerſiam, an iudex acta tantum & probata in iudicando ſequi,ſepoſita conſcientia, debeat ? de qua plurima interpretes noſtri in l.illicitas.§.veritas De off.præſ.& in c.paſtoralis §.quia vero.extra de offi. deleg. & aliis in locis paſſim. Theologi etiam,inter quos excellit Dominicus à Soto, qui l.5.de iuſt. & iur.quæſt.4. artic.2. de hac re ſubtiliter, accurateque diſputat.Nos ea nunc in medio relicta,illud potius dicamus,videri eum,qui ius gladii à populo vel principe Romano habet,abſoluere poſſe quēuis nocentem , & inuito adcuſatore, ſi id criminis ſit,quod legibus Romanis nullam pœnam mereatur,vt vt capitale ſit in ea gēte,cui præeſt.Cuius rei exemplum illuſtre profero ex Actis Apoſtol. vbi Paulum Procōſul à Iudæis adcuſatū abſoluit,quod

pro

pro crimine non admitteret, contra legem Moyſis dicere vel agere. Idemq; in eodem Paulo iudicauit Feſtus procurator Cæſaris, qui eum plene abſoluturus erat, niſi Paulus Cæſarem prius adpellaſſet. Quo in facto duo ſunt notanda, Primum quod interpoſita à reo appellatione nō licuit Præſidi reum abſoluere : vt ita in abſolutione quoque valeat illa regula iuris ciuilis: Pendente appellatione nihil innouandum. Alterum, quod Pauli appellatio recepta eſt ante ſententiam diffinitiuam, quod alienum eſt à iure ciuili , Pontificio congruit. l. pen. C. quorum adpell. non recip. niſi dicamus, & iure ciuili licuiſſe tum Paulo adpellare propter iminēs à Iudæis periculum, & ſtructas inſidias. Act. Apoſt. 23 & 25. Erat igitur hoc grauamen irreparabile: qua cauſſa etiam iure ciuili adpellare permittitur. l. 2. ff. de adpell, recip. Poſtremo de reo iam condemnato dicendum eſt: & conſtat eum abſolui à pœna, vel reſtitui nullo modo poſſe, niſi à Principe, vel populo, qui quidē iura maieſtatis habeat, vt recte cum alii, tum Bodinus ſcribit lib. 1. de Republ. cap. 10. Denique Principi ſoli conuenit illa vox, quæ eſt in Epiſtolis Imp. Iuliani ſcripta Ecdicio, Ἐπάρχῳ Αἰγυπτίων, *Scis, quam ſim lentus ad condemnandum, & quanto lentior poſtquam condemnaui, ad ignoſcendum.* Neque id in pœnis duntaxat ſummis & capitalibus verum eſt , ſed etiam in aliis leuioribus. Iudex enim quantauis poteſtate præditus, vt proconſul vel præſes, non poteſt à ſe relegatum reſtituere. l. relegati. ff. de pœnis. vel alia pœna damnatum. l. prima , §. vltim. ff. de quæſtion. Plinius lib. 10. ad Traianum Epiſt. 64. *Nam ſicut mandatis tuis cautum eſt , ne reſtituam ab alio , aut*

à me relegatos: ita de iis quos alius & relegauerit & reſtituerit, nihil comprehenſum eſt. ſecundum quæ Imp. Traianus requiſiturum ſe cauſſas à Caluo reſcribit, quod à ſe relegatos reſtituiſſet. Amplius dico, non modo pœnam remittere magiſtratus non poteſt, ſed nec minuere eam vel mutare: ſed de his omnibus ad Principem referre debet. d. §. vlt. & l. 4. ff. de re iud. & d. l. relegati. Atque hæc ita ſunt, etiamſi iniuſte præſes iudicauerit. Principi enim ſcribere debet, vt ipſe ſi ei videatur reum abſoluat, vel alia pœna puniat. d. ll. & l. Diui. §. 1. ff. de pœn. l. cũ quærebatur. ff. de re iud. Ipſe iudex ideo nõ poteſt, quia ſemel partibus ſuis iudicãdo functus eſt. l. iudex. ff. de re iud. Hoc caſu igitur, cũ innocentẽ à ſe damnatum magiſtratus deprehendit, apparet debere ſuppliciũ ſuſtineri ac differri. Quod alioquin fieri nõ debet. nã etſi reus, cũ ad ſuppliciũ ducitur, clamet, ſe aliquid habere, quod ad ſalutem Reip. vel principis pertineat, nihilo magis tamen ſupplicium differetur, quia videtur, id eluendæ pœnæ cauſa facere, inquit Vlpianus. l. ſi quis forte in princ. ff. de pœn. & elegantiſſimus ſcriptor Heliodorus lib. 10. Æthiopic. Δῆλον μὲν εἶπεν, ὡς οὐδὲν ἐρεῖ σπουδαῖον, ἀλλ' ὅπερ ἴδιον τῶν τελευταῖα κινδυνευόντων, λόγων ματαίων ἔσται πλάσματα πρὸς ὑπέρθεσιν. Quare Vlpianus reprehendit eos magiſtratus, qui pœnam propterea differunt: ſed addit, *vt mea fert opinio*, & ſane non ita ſtricte hæc opinio ſeruanda eſt, ſi res & circumſtantiæ aliud ſuadeant. Exemplum extat longe clariſſimũ in hiſtoria Philippi Cominæi li. 7. de Carolo illo Burgundiæ Duce, qui ſi nobilem quemdam, qui eius iuſſu ad ſupplicium trahebatur, audire voluiſſet, ſe & fortunas

ſuas

ſuas conſeruauiſſet. Sed è contrario interdum licet vera dicat is qui ducitur, boni tamen publici cauſſa audiri non debet. Sic enim ſcribit Appianus li. 1. De bell. ciuil. Perpennam deprehenſum è dumeto retraxerunt vociferantem, habere ſe multa Pompeio indicanda ad ſeditiones vrbanas pertinētia ſiue ex animo ſiue fingentem, vt ſaluus ad eum perduceretur. At ille priuſquam in conſpectum veniret, iuſſit occidi hominem, veritus ne nomen aliquod indicās nouatum calamitatum populo Ro. initium fieret. Id quod admodum prudenter factum magnam ei laudem attulit. De altera illa parte quæſtionis noſtræ, an condemnandi poteſtate alicui conceſſa, etiam abſoluendi conceſſa videatur, & vice verſa, de ea generaliter tractat eruditiſſimus Menochius li. 1. De arbitrar. iudic. qu. 43. Nos in libro de iudicibus & Adſeſſoribus diximus.

CAPVT VI.

Partes ſiue gradus meri imperii.

ETſi apud veteres nulla fuerit meri vel mixti imperii diuiſio: diſciplinæ tamen cauſſa & vſus commodioris recipi poteſt. Certe veteres ipſi pœnarum gradus dixere, vt Calliſtratus in l. capitalium ff. de pœnis. In pœnis autem atque in animaduerſione merum imperium omne cōſumi, manifeſtum eſt. l. 3. ff. de iuriſdict. Quare non inepte meo iudirio Bartolus aliique Interpretes ex hac pœnarum differentia gradus illos ſuos meri imperii exædificarunt, alii plures, alii pauciores. Zaſius vero tres tantum fecit, quos adpellat

Digitized by Google

magnum, medium & paruum imperium. quo modo Paulum Iuriſconſultum video pœnas diuiſiſſe, vt aliæ ſint ſummæ, aliæ mediocres, aliæ infimæ, lib. 5. ſententiarum tit. 17. de abolition. Hi ſunt gradus pœnarum: at ſpecies pœnarum ſiue formæ innumerabiles ſunt, & apud varias gentes variæ, adeo vt nemo facile *omnia pœnarum comprehendere nomina poſſit.* vt ait Virgilius: ingenia pœnarum mille, vt Tertullianus Romani octo genera pœnarum vſurpauere, quæ ita ex M. Tullio refert Iſidorus lib. 5. Originum cap. 27. & D. Auguſtinus lib. 21 De Ciuit. Dei cap. 11. Damnum ſiue mulctam, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, ſeruitutem. Ponit vltimo loco ſeruitutem, quia grauior morte, nec irrogari ciui Romano potuit, niſi pauciſſimis ex cauſſis. Quare eam in enumeratione pœnarum omiſit ipſe idem Cicero lib. 1. de Oratore cum ait: *Vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur.* niſi verbum, ſeruitute, excidiſſe librario putes: quod ego non puto: loquitur enim illic Cicero de Legibus 12. Tabularum, in quibus nulla propoſi a, quod ſciam, pœna ſeruitutis, ſed vſurparunt eam Conſules in Tenebriones (vt Varro nominat) qui ad delectum non reſpond ſſent. qua de re plura in libro ad L. Porciam dixi. Video apud eundem Calliſtratum pœnarum gradus etiam aliter paullo vſurpari in eodem homine, qui ſæpius punitur & grauius. Ait enim: *In exulibus gradus pœnarum conſtituti ſunt edicto D. Adriani, vt qui ad tempus relegatus eſt, ſi redeat, in inſulam relegetur: qui relegatus in inſulam exceſſerit, in inſulam deportetur: qui deportatus euaſerit, capite puniatur.*

puniatur. Ita & in cuſtodiis gradum ſeruandum eſſe idem Princeps reſcripſit. &c. d. l. capitalium §. 13. & 14. Idem & in Epiſtolis Traiani legas ad Plinium Procoſ. *neque enim*, inquit, *ſufficit eum pœnæ ſuæ reſtitui, quam contumacia eluſit*: Epiſt. 65. quid in perſonam. lib. 10. *Eludere pœnas contumacia*, eſt id quod in eadem re Iulianus Imperator in Edicto ad Alexandrinos dixit, τόλμῃ καὶ ἀπονοίᾳ χρησάμενον, ὥσπερ οὐκ οὖσιν ἐνυβρίζειν τοῖς νόμοις. Quare Athanaſio, qui ſic Alexandriam redierat, in fine minatur his verbis, μένοντι δὲ αὐτῷ τῆς πόλεως εἴσω, μείζους πολὺ καὶ χαλεπωτέρας προαγορεύομεν τιμωρίας. Qui non per contumaciam ipſi pœnas effugerunt, ſed alias ſine idoneo authore liberati ſunt, pœnæ ſuæ reddi Traianus alia in Epiſtola iubet; ſed eleganti adhibita diſtinctione. Gradus autem, de quibus dicere inſtituimus, ſunt ordines & genera pœnarum, vt Vlpianus vocat. l. ſi quis 6. §. vlt. iuncta l. 8. in pr. ff. de pœn. ex quo colligas octo genera pœnarum, ſed alia paullo quam à Cicerone illa itidem octo, conſtituta. Hæc autem cognitio eo prodeſt, vt ſciamus, quibus pœnis Præſides vel alii, qui merum imperium habēt, adficere quēquā poſſint, vt in d. §. vl. ſcriptū eſt. Sic gradus reorum ab Aurelio dicūtur pro dignitate & cōditione reorum, ex qua gradus pœnarum ſumi debet. Hymno, in Romanum:

Perſona quæque competenter plectitur.
Magnique refert, vilis an ſit nobilis:
Gradu reorum, forma tormentis datur.

Inepte illi, qui idem probant ex Auth. de nupt. §. quod autem prius. vbi ſupplicium adpellatur, pro pœna, inquiunt: ſed Græca vox eſt τιμωρία. Neque illum interpretem ſic ſequi & citare debemus in

Latino ſermone, vt Budæus Politianum interpretem Herodiani ſolet.

CAPVT VII.

Primus meri imperii gradus.

BArtolus in primo imperii meri gradu plane abſurda quædam collocauit, veluti legem cōdere. quod eſt quidem imperii, ſed illius ſummi, & à maieſtate non diſiuncti, non huius, de quo loquimur, & quod merum ab Vlpiano dicitur, & in animaduerſione ponitur. Primus ergo gradus grauiſſimas pœnas continebit, & ſummum, ſiue vt ſemel dicam, vltimum ſupplicium, quo verbo mors ſignificatur. l. capitalium ff. de pœn. nam irriſus olim Iun. Syllanus, qui ſummum ſupplicium de carcere interpretatus eſt, cum id ſua ſententia decreuiſſet in cōiuratos Catilinarios, poſteaque permotus oratione C. Cæſaris, qui cuſtodiendos per municipia cenſuerat, in eius ſententiam concederet. Tametſi non ignoro perpetuum carcerem (hunc enim Cæſar intelligebat, cum referri de coniuratis poſtea vetaret) etiam à doctiſſimus interpretibus inter genera vltimi ſupplicii poni, præſertim iure Canonico. c. quamuis. de pœnis lib. 6. Vnde & ab Innocētio hæc pœna morti comparatur, in c. qualiter & quando, ext. de adcuſat. nam iure ciuili interdicta eſt talis pœna. l. aut damnum. §. ſolent. ff. de pœn. ſicut & aliæ multæ, quibus vita adimitur, puta, inedia, crux, venenum. de quibus Cuiacius libris obſeruationum expoſuit, & P. Faber L. ſemeſt. quanquam & inedia necare hodie iure Pontificio permiſ-

permiſſum videatur, cum captum tenuiſſimo cibo exanimant. quod merito Iulius Clarus ita temperat, vt in Clericos ſolos ea pœna permiſſa videatur, non etiam in laicos, quamuis ob delicti genus ſint forum Eccleſiaſticum ſortiti. Illa quæſtio huc pertinet, ſi quis ſentẽtia Iudicis, vel lege ita damnatus ſit, vt capitali pœna adficiatur, (quomodo eſt in cõſtitutione Friderici Primi de pace tenenda, in vſibus Feud. & in veterib. Legibus, capital. eſto,) quænam pœna ſumi debeat? Et verius eſt, infimam capitalium, puta, exilium, vt communiter etiam Dd. ſentiunt teſte eodem Claro lib. 5. ſentent. quæſt. 49. Idemque dicendum eſt ſi ſupplicium nominetur, nec adiiciatur vltimum, vel ſimile verbum. l. vltimum. ff. de pœnis. l. præſenti. Cod. de his qui ad Eccleſ. confug. in verb. capitalis & vltimi ſupplicii.

CAPVT VIII.

Secundus gradus.

IN hoc gradu colloco grauiores omnes, excepta morte, pœnas. Ac primum veluti quędam mors particularis eſt, mẽbri alicuius ex corpore abſciſſio. quam propterea in primo meri imperii gradu ponunt, & inter capitales numerant, vt Bartolus. ſed hoc tamen minus proprie, vt idem agnoſcit in l. 2. ff. de publ. iud. cum per hanc pœnam caput de ciuitate non eximatur. & qui manus amiſit, non ſolum caſu, ſed etiam ſententia Iudicis, teſtamentum facere poteſt, & ſi quod antea fecit, per hoc poſterius infirmatur. l. 6. §. irritum. Digeſt. de iniuſt. rupt. irrit. Atque hæc ſententia vera eſt: nec

moueri debemus, vel capit. 1. §. ſi quis alium.de pac.tenenda, in vſiſibus Feudor. ex quo nihil tale colligitur: nec illo argumento, quod hæc pœna cõparetur cũ vltimo ſupplicio. Nouell. 128.c. ad hæc prohibemus. nam non comparatur, ſed neutrius pœnæ ius mandari poſſe dicitur, ſicut neque aliud ius ſeuerioris animaduerſionis. l. ſolent. ff. de offic. Proconſ. Sed de manus vel aliorum membrorum abſciſſione moderanda ac minuenda præclara extat Iuſtiniani noſtri ſanctio in Auth. Vt nulli iudicum. cap. vlt. & tradunt Doctores noſtri ad l. ſi fugitiui 3. Cod. de fur. Dixi ego ad Orationem D. Marci de fugitiuis. In legib. caſtrenſib. Friderici I. apud Guntherum lib. 7. & manus & naſi mutilatio certis delictis irrogatur, ſed & aduſtio frontis, ſi quis ſeruus in caſtris rixetur, aut ſignum belli dederit, aut furtum fecerit.

Armiger exuſta candenti fronte metallo
Detonſaq; coma, poſt verbera pulſus, abibit.

Et alibi infra, quod tamen vetuerat Imp. Cõſtantinus. l. ſi quis in metallum. C. de pœn. Sicut & pœnam illam Talionis pro membro rupto per deſuetudinem abrogatam eſſe, Iuſtinianus ſcribit in ti. Inſti. de iniur. quod nomen Talionis inter ea refert doctiſſ. Iul. Scaliger, quæ Græci exprimere nõ poſſunt, quamuis ἀντιπέπονθος Pythagorei dixerint. Sed hoc generalius eſt, illud Talionis magis proprium, nec omnibus etiam in maleficiis vſurpatum, ſed in membro rupto tantum, vel in oſſe etiam fracto, vt Cato Priſciani lib. 6. ſcribit, cum Iuſtinianus nummariam tantum pœnam in oſſe fracto nominet. Sed hæc moribus populorum variantur.

antur. Aliæ pœnæ atroces, & capitales ſunt eæ, quibus libertas adimitur, veluti, damnatio in metallum, vel opus metalli, itemque ad ludum. Nec quis miretur me hæc in ſecundum gradum meri imperii reiicere, cum ſeruitus morti cōparetur, grauioreſque etiam hæ pœnæ ciui Romano videantur, quam ipſa mors, ſicut de ſtupro ſcribit Hircius, quod morte grauius, inquit, ciues Romani in Pōto tuliſſent, Pharnacis cōtumelia ac ſcelere: nam hæc non ex dignitate & opinione hominum, ſed magis ex natura & veritate æſtimatur, & Paulus IC. quem in hac re ſequi potius libuit, quam Zaſium vel alios interpretes, aperte ſic diſtinxit, cum ait: *Summa ſupplicia ſunt, crux, crematio, decollatio. Mediocrium autem (lego mediocres) delictorum pœnæ ſunt, Metallum, ludus, deportatio. Minimæ, Relegatio, exilium, opus publicum, vincula.* lib. 5. ſent. tit. 17. Deportatione libertatem amitti ſaltem ciuilem, ſiue Quiritium, alibi diximus. Opus autem publicum diſtinguitur à metallo non re ſolum & notione, ſed etiam gradu atque ordine pœnarum, quamuis generale vocabulum ſit, in opus publicum: tamen cum ſpecialiter accipitur, gradatio quædam eſt: nam in opus publicum damnati libertatem retinent, ciuitatem amittunt: in metallum, vel in opus metalli damnati, vtrumque amittunt. l. quidam. ff. de pœnis. & grauius eſt in metallum damnari, quam in opus metalli; quod ex eo adparet, quia refugæ operis metalli in metallum damnari ſolent. l. aut damnum. §. inter. ff. eod. l. 5. in fi. Digeſt. de extraord. cognit. Qua de re extat doctiſſimorum Gallorum diſputatio, Roberti, in quam, Aurelianenſis & Cuiacii maxime de ſcriptu-

ra.l.capitalium.§.1.verſicu.in miniſterium.Digeſt. de pœn.

CAPVT IX.

Tertius gradus.

PAulus inter infimas ſiue, vt ipſe vocat, minimas pœnas, relegationem numerat & exilium & opus publicum,& vincula d.tit.17.lib.5.ſenten. Vlpianus lib.9. De officio Proconſulis: *Et ſunt pœnæ,quæ aut vitam adimant(*quas nos in primo gradu ſupra locauimus) *aut ſeruitutem iniungunt, aut ciuitatem auferunt*(quas ſecundi gradus fecimus) *aut exilium,aut coercitionem corporis contineant*,quibus Vlpiani verbis hæc Calliſtrati ſubiiciuntur: *veluti. fuſtium admonitio, flagellorum caſtigatio, vinculorum verberatio.*Has pœnas in tertium gradum omnes reiicimus,quem infimum Paulus vocat. Nam exilium,quod nominant, non illud intelligere debemus,quo ciuitas amittitur,nec interdictionẽ ignis & aquæ,quæ exilii loco eſt.l.2.ff.de publ. iudic.vnde Ouid.edicto D.Auguſti:

Quippe relegatus non exul dicor in illo.

Sed neque de relegatione, quam ab exilio aperte ſeparat,ſed de interdictione,cum aliquis ſcilicet alicuius prouinciæ, vel certi alicuius loci ingreſſu arcetur.Nam & hæc interdictio exilii ſpecies eſt. l. exilium.ff.de interd. & releg.vbi & inſulæ vinculum inter eas ſpecies refertur, id eſt, relegatio in Inſulam,vt ibi exponitur. quo modo vincula fortaſſe intellexerit ſuperiori loco Paulus. Exilium igitur commune ac generale nomen eſt: Relega-

tionis

tionis etiam commune : cum & interdictionem contineat: & plures relegandi modi ſint. l. 7. ff. eod. tit pro Deportatione quod ſciam, nunquam ponitur in libris noſtris. Alb. Krantzius non ineleganter, bannitum imperii, *exilio relegatum* dixit lib. 4. Metropol. cap. 40. *Comes*, inquit, *ſecundum iudicium palatii exilio relegatus, poſt annum clementia regis abſolutus eſt.* Exulibus enim vel potius deportatis hodie banniti comparantur, præſertim in Germania: de quo A. Gail. in lib. De pace publ. Quid ſit autem apud Calliſtratum, *vinculorum verberatio*, ſcio à Doctis quæſitum. Fuit, cum exiſtimarem legendum, vincula, verberatio, quod nunc diſplicet. Tria enim illa verberum genera diſtinguit Calliſtratus ex iis rebus, quibus illa infliguntur, fuſtibus ſcilicet, flagellis ſiue loris & vinculis: niſi quis malit virgarum verberatio legere. virgæ enim ſic ab illis duobus generibus aliis diſtinguuntur, de quo in libro ad L. Porciam dixi. Quia vero vinctos dũtaxat virgis cædi mos fuit, hoc innuere Calliſtratum exiſtimemus, Fuſtium admonitionem nõ de fuſtuario militari intelligendam eſſe, quo mors irrogabatur, ſed de leuiori fuſtium vel bacillorum verberatione: quales bacillos ferre etiam viatores Proconſulum & Prætorum ſolebant, quibus interdum tundebãt irreuerentius in iure agentes, & contumaces in conſpectu prætoris, vt alibi docui. Apud Horatium in illa pœna poetarum

——*Vertere modum formidine fuſtis,*

interpretatus olim ſum vindictam priuatam eius qui læſus eſſet, neque nunc muto. Et frequẽtiſſima hodieque apud Italos hæc vltio: ſed & apud alias gẽtes pro re nata vſurpari video. Idẽ Krantzius eo-

dem loco, de Ordulpho Duce Saxoniæ, *Alios etiam ad ſe Legatos pro pace directos publice verberari, & debaculari iuſſit.* Subiicit eodem loco Vlpianus: *Aut damnum cum infamia, aut dignitatis aliquam depoſitionem, aut alicuius actus prohibitionem.* Cur autem damnum cum infamia dicit, vt Iuſtinianus infamiam cum damno pecuniario. §. 1. Inſt. de publ. iu. ac non potius ea ſeparat, vt Cicero fecit, qui damnum & ignominiam ſeparata genera pœnarum conſtituit? Exiſtimo, quia Vlpianus de mero imperio tantum agebat, & pœnis delictorum ſiue criminum: (id enim eum egiſſe illis libris, de off Proconſ. etiam Lactantii teſtimonio didicimus) nulla autem pœna pecuniaria, nullumque damnum in cauſſa criminali irrogatur, quod non adiunctam habeat & infamiam aliquam, præſertim ſi publici iudicii cauſſam habeat. Publico iudicio damnatos infames fieri conſtat. l. infamem. ff. de pub. iud. vt iudicia publica, quæ non capitalia ſunt, ea Paulus eſſe dicit, ex quib. pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio, pœna eſt. l. 2. ff. eod. tit. At in priuatis iudiciis mulcta vel damnum ſine infamia eſſe ſolet, exceptis paucis ſiue criminalibus, ex quibus infamia damnato irrogatur, veluti, furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, item tutelæ, mandati, pro ſocio d. l. infamem & l. 1. ff. de his qui not. infam. In publicis autem iudiciis, quib. quidem bonorum omnium, vel partis publicatio infligitur, damnum cum infamia pœnam recte dixeris. quãuis infamię nulla mentio in ſententia fiat: ſicut neque in deportatione fit vlla bonorum publicationis mẽtio, ſed ſequitur ipſa tacite deportationem. l. deportatorum. C. de pœn. l. moris. ff. eod. ti. Tacitus lib. 3.

Annal.

Annal. *Aquaque & igni interdictam: bona cum publicari deberent, ne publicarentur Scauri gratia factum eſt.* Quod ius hodie ſublatum eſt Iuſtiniani conſtitutione, Auth. bon. damnatorum C. de bon. proſcript. Si lex autem aliqua deportationem nominatim irroget, in eo nihil ea conſtitutio mutauit, vt recte Bellaperticanus & alii docuerunt. Cæterum quibuſdam in criminibus ab ipſis legibus pœna infamiæ nominatim irrogatur cum mulcta atque damno, qualis pœna legum Iuliarum, repetũdarum, & ambitus, legiſq; Viſelliæ fuere: vt bene Cuiacius notat in paratitlis C. lib. 9. tit. 27. & ſeq.

CAPVT X.

De pœnis communibus meri & mixti imperii.

SÆPE miratus ſum, quænam ratio Paulum mouerit, vt infimas minimaſq; pœnas dixerit, quæ videri merito poſſunt grauiſſimæ, puta, Relegationem, exilium, opus publicum, vincula, vt ſuperiori capite expoſui, præſertim cũ multæ aliæ ſint pœnę his leuiores, quibus in delictis coercendis, quod eſt meri imperii, vtimur. quas tamen ille nullas nominat. Sed animaduerti prudentiſſime id Paulum feciſſe. nam eas pœnas ſolum commemorare inſtituerat, quarum ius nemo haberet, niſi qui merum imperium haberet, quod ſpecialiter & nominatim concedi ſolet, nec iure magiſtratus competit l. 1. ff. de offic. eius. Agebat enim eo loco de criminibus iudiciiſque publicis, quæ exerceri illo imperio diximus. l. 3. ff. de iuriſd. Aliæ pœnæ, quas multas re-

perire eſt, infimis illis Pauli inferiores, tales ſunt, vt etiam à magiſtratu merum imperium non habente irrogari pro iure magiſtratus ſui poſſint. Deniq; illæ Paulianæ pœnæ ſunt ſolius meri & vehementioris imperii. Aliæ ſunt & imperio mero & mixto ſiue Iuriſdictioni communes. Quod hoc capite planum faciam. Et primum pœna pecuniaria, nūc meri imperii eſt, nūc mixti, ſi quis damnatur principaliter ob delictum aliquod, ea pœna ad merum imperium pertinet, nemoque eius infligendæ ius habet, niſi qui merum imperium habet ſiue is magiſtratus ſit, ſiue priuatus. Quod ita, ſed obſcurius ſcriptum eſt in l. aliud fraus. in fin. ff. de verb ſignif. *Pœnam vnuſquiſq; irrogare poteſt, ſiue ea capitalis, ſiue pecuniaria, cui huius criminis ſiue delicti executio competit*, id eſt, quicunque habet merum imperium, quod ſpecialiter lex defert non magiſtratui ſolum, ſed & priuato. Quod ſi pœna pecuniaria non infligatur principaliter, & propter certum aliquod crimen ſiue delictum, ſed exequendæ Iuriſdictionis cauſſa, puta, aduerſus contumaces vel abſentes & latitantes, hæc proprie dicitur mulcta competitque eius infligendæ ius magiſtratibus, licet merum imperium nullum habeant. Eſt igitur imperii mixti. l. 2. §. fin. ff. de iudic. & d. l. aliud fraus, l. vn. ff. ſi quis ius dic. à qua diſtinctione non longe abeunt quæ Lud. Romanus ſcribit in l. magiſtratibus. ff. de iuriſdict. probatiſſimus cum aliis, tum in primis Hottomanno Iuriſconſultus. Quare quod in l. 2. ff. quis & à quo appell. ſcriptum eſt, appellari à legatis Proconſulem poſſe: etſi mulctam dixerit poſſe de iniquitate eius Proconſulem cognoſcere, & quod optimum putauerit, ſtatuere: id non de mul-

cta ob crimen aliquod impoſita(vt ſæpe legitur apud Liuium,& alios) ſed de ea, quæ ob tuendā iuriſdictionem irrogatur,intelligendum eſt. Legatus enim mero imperio caret, nec iudicat de cauſſis capitalibus,vel alias criminalibus l. ſolent. ff.de off.Proconſ.Sed huic interpretationi obſtat,quod ob contumaciam damnatus non poſſit adpellare. l.1.C.quorum appel non recip. Atqui in d.l. 2. adpellatur à legato Proconſulis,niſi quis dicat cū Goueano d.l.2. cum de mulcta loquitur, non dicere adpellari ab ea , ſed cognoſcere de eius iniquitate Proconſulē, quod certe in ſententiis legatorum à procōſule fieri receptum eſt.l.arbitro.ff. qui ſatiſd. cog.quamuis ſciam hanc Goueani explicationem non probari Iac.Menochio li.1.de arbit.iud.quęſt. 24.Illud hoc loco prætermittēdum non eſt, quod in d.l.aliud fraus.dicitur,*criminis ſiue delicti executio*, recte id ita accipi, vt criminis vocabulo publica, delicti priuata contineantur. Sed in priuatis delictis diſtinctio adhibenda eſt:neque enim pœna pecuniaria in iis impoſita ſemper pertinet ad merū, ſed ita ſi criminaliter actū ſit,vt ſi in cauſſa iniuriarum quis petat non æſtimationem iniuriæ ſuæ, ſed pœnam ſiue mulctam fiſco, ad vindictam nō modo ſuam,ſed publicam,vel etiam ſi pœnā corporalem infligi reo petat:vel ſi arbitrio iudicis eum puniri,tūc egiſſe criminaliter dicitur. gl.in §. ſumma. Inſtit.de iniur.gl.in l.3.ff.de ſepul.viol.l.fi.ff.de iniuriis.neque apud alium igitur, quam qui merum imperium habet,ſic intentari hæc actio poteſt. At ciuilis iniuriarum actio recte inſtituitur apud Prætorem,aliumue mero carentem imperio,& ad pœnam pecuniariam tantum agitur, quæ applicatur

læſo : quo pertinet illa A. Gellii narratiuncula de Neratio quodam, quem ſcribit adeo delectatum fuiſſe os hominis liberi verberare, vt ſecum ducere ſeruum ſolitus ſit cum crumena, vnde 25. aſſes ex l. 12. Tabul. pulſato numeraret. Similiter & de furto ciuiliter agitur apud Prætorem; ſed ſi criminalis actio intenderetur, apud Præſidem vel Præfectum vigilum agi oportuit. l. 15. De cond. ob turp. cauſ. l. 13. De offi. præſid. l. 3. ſ. 2. De off. præf. vig. l. interdũ ſ. 1 ff. de furt. quæ criminalis actio ciuilem conſumit. Idem quod de mulcta iudicium eſt de tormẽtis & verberibus, quæ licet regulariter in cauſſis ciuilibus adhiberi non poſſint, interdum tamen iure adhibentur, puta, aduerſus teſtes vilioris conditionis, & vacillantes, quibus tortura pro iureiurando iniungitur. §. ſi vero ignoti. Nou. de teſtib. quod & iure veteri obtinuit. l. ob carmen. §. 1. ff. de teſtibus. Et viceuerſa liberis hominibus iuſiurandum torturæ loco eſt. Plutarchus in quæſtionibus Romanis, vbi quærit, Cur Flamini Diali iurare non liceat? *πότερον*, inquit: *ὅτι βάσανός τίς ἐλευθέρων, ὁ ὅρκός ἐστι: δεῖ δ' ἀβασάνιστον εἶναι, καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν τοῦ ἱερέως*: Hoc caſu non abſurde dicitur, meri imperii eſſe tortura, cum ad tuendam & expediendam iuriſdictionem conferatur, modicaque coercitio videri poſſit, ob infamiam perſonæ & humilitatem. Alioquin hoc totum ius torquẽdi ad merũ imperium, & cauſarum criminalium executionẽ pertinet, vt pluribus exponit Cynus in l. fin. C. de quæſtion. Sed obiicitur nobis L. nullum C. de teſtibus. vbi ſcriptum eſt, iudices cauſſarum ciuilium habere poteſtatem animaduertẽdi in falſos teſtes, quaſi hoc iure magiſtratus, & ſimplicis iuriſdictionis com-

nis competat. Sed reſpondendum eſt, quod etiam in d.l. ſignificatur, ita licere iudici animaduertere, *dum tamen non excedat coercitio formam iuriſdictionis.* Quare ſi iudex is ſit, qui etiam merum imperium habeat, poterit pro qualitate delicti, & perſonarũ conditione imponere corporalem, atq; etiam grauiſſimam falſo teſti pœnam. Quod ſi iudex ſit ſine mero imperio, & grauiore coercitione coercendus teſtis videatur, non infliget ipſe eam pœnam, ſed maiori magiſtratui vel principi ſcribet, vt ipſe de pœna eius ſtatuat. l. Diuus. ff. ad L. Corn. de falſ. Eademq; iudicum diſtinctio animaduertenda in d. §. ſi vero ignoti. καὶ τοῖς δικασταῖς, εἰ μὲν ἄρχοντες εἶεν, αὐτοὺς τοῦτο πράττειν. εἰ δὲ ἕτεροι παρὰ τοὺς τὰς ἀρχὰς ἔχοντας, ἐνταῦθα μὲν παραλαμβάνειν τὸ ὑπεργοῦντα τῶν μεγαλοπρεπεστάτων πραίτωρι τῶν δήμων, καὶ χώραν δὲ τὸν τῶν τόπων ἔκδικον. καὶ δι' αὐτῶν προσάγειν αὐτοῖς τὴν ἐκ τῶν βασάνων πεῖραν. Vbi ſerua, etiam viles & ignobiles non poſſe torturæ ſubiici & verberib. niſi à magiſtratu adminiſtrationem atq; imperium habente: atq; ad hoc eos remitti debere ab aliis iudicib. Adeo quæ ad coercitionem criminum pertinent, communicari non poſſunt, ſed perſonæ hærent, de quo infra. Græca conſtitutio à Cuiacio refertur lib. 13. obſeru. ca. 38. In qua pedaneis etiam iudicib. poteſtas datur falſos teſtes corrigendi & verberandi: ſed duabus hiſce cõditionibus, ſi idiotæ ſint; & leuiore animaduerſione res egeat σωφρονισμῷ τῷ δέοντι. quo modica & ciuilis coercitio ſignificatur elegantiſſime: ſicut Plato carcerem quemdam correctionis conſtituit, temperantiæ & bonæ frugis cauſſa, quem σωφρονιστήριον appellat li. 10. de legib. Quod ſi coercitione ſeueriori egeat (αὐστηροτέρας

κολάσεως) vel perſona ſit alicuius loci ac dignitatis, puta, Decurio, adhiberi præfectum vigilum iubet, vel Prætorem populi, vt in d. Nou. 90. & Nou. 13. Quod autem Bartolus in l. ſicut. falſi. C. ad L. Cor. de falſ. & Cynus in l. ſicut. & l. quotiens. C. de qu. notant, quoties ageretur de falſo ciuiliter ad id quod intereſt, id eſt, priuato iudicio, vt loquitur d. l. ſicut. vel ſi, vt ait l. de fide. C. de falſ. præcederent iudicia, locum tormentis eſſe; minime probo, nec probatur dictis legibus. Multo minus recipiendũ puto, quod vulgo tradunt in c. 1. ext. de Depoſ. & reſpondit Alexander in Conſ. 77. in cauſſa accuſationis, etiam cum ciuiliter depoſiti agitur, eum, qui depoſitum inficiatur, torqueri poſſe. Nam d. c. 1. de improbiori fure loquitur, & nequam homine ac ſacrilego, in quem extra ordinem ſpeciali Põtificis mandato ſic procedi poſſe, ſi interuerſa non reſtituat, præſertim magiſtratui vel Epiſcopo, conſentaneum eſt: nec tamen ſine moderatione hoc permiſſum. Ait enim Pontifex, *ſub quæſtionib. ad rationem eum ponere etiam (ſi oportuerit) vinculis alligatũ.* Alia capitula & loca iuris Canonici, quæ à Tancredo illic allegantur, etiam de criminibus loquuntur. Refertur etiam à Dd. noſtris, præſertim, Baldo, Alberico Roſato, Salyceto inter pœnas mixtas ſiue communes incarceratio, item excommunicatio. Nam incarceratio iure Canonico, & hodie cõſuetudine omnium gentium, ſæpe ad pœnam delicti imponitur. Et ea re meri imperii eſt, iure ciuili etiam eatenus eſt meri imperii meo iudicio dicenda, quatenus cuſtodia eſt facinoroſorum, non pœna. Mixti autem imperii & iuriſdictionis eſt, cum debitoribus variis de cauſis irrogatur, vt primo libro

bro dictum eſt. Excommunicatio quoq; nunc eſt mixti, nunc meri imperii, vt docet Panormitanus in c.cum contingat. ext. de foro compet. & Innocentius in c.tranſmiſſa.extra de Elect.

CAPVT XI.

Qui non habet in are, luat in corpore.

ELeganter Guntherus hanc ſententiam vulgarem expreſſit in conſtit. Friderici I. de pace lib. 8.extremo,

——Cuius fortuna laborans
Non potis eſt auro pœnales ſoluere noxas
Arctatur vinclis, grauioraq; verbera paſſum,
Sedibus à patriis, &c.

Quibus in verbis videmus adprobari receptam illam Dd.ſententiam, vt pœna pecuniaria propter egeſtatem debitoris in corporalem conuertatur. Sichardus in l.nec emere. C. de iur.deliber. Cum corruptiſſimum, vt vocat, iudiciorum morem cōdemnaſſet, quod in criminalibus tantum abeſt, vt alius pro damnato appellare poſſit, iuxta l. non tā-tum, ff. de appellat. vt nec ipſe appellans audiatur; ſubiicit hæc verba : *ſic etiam ſi aliquis condemnaretur ad centum, & ſi non haberet, lueret in corpore (quia forte amputaretur ei manus) ſi iſte condemnatus non vellet ſoluere centū, ſed potius amittere manum, aut aliā iniuriam corporalē ferre, tūc poteſt per alium offerri iſta ſumma, & ſic beneficium fieri inuito. quia etiam hoc ad Remp. pertinet: præſertim cum ille liber homo non ſit dominus membrorū ſuorum*, l.liber homo. Digeſt. ad l. Aquil. & pulcher tex. in cap. contingit. ext. de ſentent. excommunic. Hæc ille vir doctiſſimus. Reprehendit

autem tacite conſuetudinem Germaniæ, in qua nullus eſt appellationi in publicis,vel criminalibus cauſſis locus, niſi quid ratione nullitatis proceſſus interdum cauſſæ criminales ad Cameram imperii deuoluantur per appellationem. de quo Andr. Geil. lib.1.obſeru.c.1.Et Mynſingerus lib.4.obſ.c. 41. Certe adpellationum origo ab iis cauſſis olim cœpit. nã & à regibus licuit appellari in cauſſis capitalibus.de quo dixi ſupra c.1. multæq; leges populi Rom. fuerunt de prouocatione, vt Valeriæ, Portiæ, Iuliæ, aliæ. cum tamen nulla lex reperiatur antiqua,qua appellatio in cauſis ciuilib. permittatur.Sed de hoc quidẽ obiter.Illud mirum eſt,quod Sichard⁹ quaſi pro legitimo & vſitato ponit,licere ſcilicet talem ſententiam ferri à Iudice, vt quis cõdemnetur in amputationẽ manus, vel etiam pœnam corporalem, niſi centum vel aliam ſummam pecuniæ ſoluerit. neque enim vlli iudici rerum ciuilium permiſſum puto ſic aliquem damnare. Nec me mouet decantata illa Doctorũ noſtrorum ſententia, *Qui non habet in ære, luat in corpore.* nam ea vel abſurda eſt,vel in ſolis cauſſis criminum locum habet. Atque ita loquuntur leges,quæ in eam ſententiam allegari ſolent.l.ſi quis.ff.de iuriſdict.l.vlt. ff. de in ius voc.l.1. in fin. ff. de pœn. l. qui ædes. ff. de incend. naufrag. Eodemque pertinet, quod de tutore ſcriptum eſt ſi ſoluendo non ſit, extra ordinem coerceri,& quod fraudator creditorum conuentus pœnam ſubire dicitur l. ob fœnus ff. de admin. tut. l.vl. in fin. ff. quæ in fraud. cred. De pœnis obæratorum, addictorum,ſimilium,corporalibus, & remedio ceſſionis bonorum, alibi à nobis dictũ eſt,Quicquid ſit,nec ex Doctorum quidem vulgarium

rium ſententia, ſi pœna pecuniaria in corporalem forte mutanda ſit, poſſe iudicem cauſſarum ciuilium id facere dicimus, ſed ad eum remittere reum debere, qui mero præſit imperio; is de hac mutatione pœnæ ſtatuet. l. 1. §. ſolent. ff. de off. pr. vrb. l. vlt. ff. de in ius voc. d. l. 1. §. fin. de pœn. l. ſi quis iniuriam. 35. ff. de iniur. Vbi prætor dicitur debere acriter exequi atrocem iniuriā in eum, qui ob infamiam, & egeſtatem contemnere iudicium iniuriarum poſſit. Quod notandum, quia Prætores non habuere imperium merum: ſed coercitio tamen, corporalis, puta, verberum eis conceſſa fuit in homines, præſertim tenues vel infames, atq; egenos. coniunctim enim d. l. ſi quis. hæc requirit; neque ſolam egeſtatem ſufficere putandum eſt, vt id iuris prætor vſurpet: ſed ad præfectum vrbi remittere debet. Sicut & tutores ob facta atrocia in tutela admiſſa non quilibet, ſed plebei, vel liberti remittuntur, vt eſt in l. 1. §. fin. & l. ſeq. ff. de ſuſpect. tutor. Sed obſeruandum eſt, quod & ſupra monui, hanc caſtigationem corporalē ſeu pœnæ mutationem nō in contractibus (in quibus proprie locum habet illa ſententia Caii, *inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit.* l. nam ff. de dolo) ſed in delictis locum habere, & in perſonas viliores, & vbi egeſtate pœnam pecuniariam eludunt d. l. 1. §. fin. & ibi Bartol. & competenti iudici tantum hoc ius eſſe, vt dicitur in l. quicunque. & ibi Caſtr. C. de fur. & ſer. & l. vlt. C. de ſepulc. viol. id eſt, ei qui merum imperium habet, cui criminis ſiue delicti executio cōpetit, vt ait Vlp. in l. aliud fraus in fin. ff. de verb. ſig. Neque ſolum principaliter, ſed neq; incidenter, vel acceſſorie iudex ciuilium cauſſarum poteſt

pœnam corporalem irrogare loco pecuniariæ, quã principaliter inflixit: licet Cynus contra ſcripſerit in dict.l. quicunque: & nimis inepte huc adfertur illud vulgatum, continentiam cauſſæ non eſſe diuidendam: Item exemplum iuris Pontificii; quo iure ſi in cauſſam ſpiritualem incidat mere ciuilis, iudex Eccleſiaſticus & de ciuili cognoſcet. Nam vt alia taceam, cauſſæ meri imperii eiuſmodi ſunt, vt locus hiſce argumentatiunculis nõ ſit, cum ſpecialiter & nominatim lege, vel Conſtitutione Principum tribuantur l.1.ff.de offic. eius, cui mand. Illud quæritur, An pœna capitalis, vel ſimilis lege impoſita verti in pecuniariã poſſit, ab eo, qui merum imperium habet. Et extat de hac re inſignis gloſſa in c.licet.ext.de pœnis. quæ ait, id neminem poſſe, niſi eum qui etiam de criminibus diſpenſare poteſt. Plura vide apud Hoſtienſem in tit. de offic. ordinarii. & Lucam de Penna in l.1.C. de deſertor. lib. 12. vbi de Homicidio, quatenus iudex de eo componere poſſit. Et notabilis eſt ad hanc rem gloſſ. in c.2. De delict. puer. quæ ait, ex conſuetudine præſcripta poſſe quem habere ius, vt pro homicidio pœnam pecuniariam exigat, quod intelligendum eſt tamen ſaluo iure partis, id eſt hæredũ & conſanguineorum. quorum ipſorum quatenus trãſactio, vel compoſitio valear, late diſputat Ant. Gomeſius de delictis cap. 11. His addenda ſunt, quæ ſubtiliter ſcribit de hac pœnarum mutatione Iohannes Igneus ad l.lege.§. ex hoc edicto. nu. 54. & ſeqq.ff.de SC.Syllan. & in l. fideicommiſſum.eod.tit.num.144.

CA-

CAPVT XII.

De perſonis merum imperium haben-tibus.

ATque hæc de natura & partibus meri imperii. Sequitur vt de perſonis cognoſcamus, quib. illud tributum ſit,& quo iure exerceatur, & an alteri mandari poſſit. Initium autem faciemus ab ordine Eccleſiaſtico. Cuius tria tempora facio. Primum eſt à Chriſti, ſecundum à Iuſtiniani, tertium à Caroli Magni temporibus. Quæ diſtinctio atque tractatio non exiguam eſt lucem etiam iuri Romano allatura. Mihi certe veniam dabunt homines ſtudioſi ſi de his rebus paulo vberius,& nouo fortaſſe more quædam expoſuero; vt cum aliquo fructu inuẽtutis, prouectiorum vero delectatione id à me fiat, ipſe dabo operam.

CAPVT XIII.

De iuriſdictione Iudæorum temporibus Chriſti.

SI de Iudæis quærimus, ea fuit temporibus Chriſti ratio, vt penes reges vel Tetrarchas à Romanis impoſitos ius gladii eſſet. Deinde apud Procuratores Cæſaris, qualis fuit Tit. Pontius Pilatus, qui vice prȩſidis Iudæam rexit, vt & alii poſtea multi. Quare ἡγεμὼν, id eſt, prætor à Ioſepho Pilatus vocatur, ab Hilario Pictauenſi prætor, & Gentiũ iudex. commentario in Matthæum & explanatione in Pſalmum II. An vero penes Eccleſiaſticum Iudæorũ conſeſſum, quod συνέδριον proprie voca-

tur vlla fuerit talis poteſtas, ſcio inter doctiſſimos dubitari? Et puto, nullam fuiſſe, niſi leuiorem aliquam coercitionem & prehenſionem, neque hanc quidem in omnibus criminibus, ſed in religionis rebus, inter Iudæos. Romani enim Religionem ipſis ſuam integram reliquerunt. Atque eatenus verum eſt, quod veteres ſcriptores dicunt, *αὐτονομίαν* ipſis relictam eſſe. Qua de re, & Caii Cæſaris, & Auguſti & aliorum Principum edicta & reſcripta proferuntur. Imo nego militem Romanum quod in religionem Iudaicam contumelioſus fuiſſet, Iudæis deditum & punitum fuiſſe, ſed hoc factum eſt ad tumultum ſedandū. Alioquin Romani eam religionē adeo contempſerunt, vt Veſpaſ. Imperator etiam SS. Teſtamētum vetus in triumpho tulerit. Crimina quidē ea, quæ Iudæi pro capitalibus habuerunt ex Lege Moyſis, nec pro criminib. quidem Romani habuerūt. Hinc eſt, quod Seruatorem Chriſtū, quod ipſi ob blaſphemiam, vt imputabant, libenter lapidibus ex lege obruiſſent, non blaſphemiæ apud Pilatum demum accuſauerunt, vt antea, quia id nō curare Pilatū ſciebāt: ſed reū læſæ Maieſt. Cæſaris, & ſeditionis in populo motæ fecerūt. Vnde etiā ſupplicium crucis ei irrogatum more Romano: id enim proprie ſeditioſorū erat. l. ſi quis aliquid. §. authores. ff. de pœn. Vbi crucis vocabulum à Tribon. mutatum eſt in vocabulū furcæ, quia crucis ſupplicium à Conſtantino Imp. ſublatum eſſet. Nunc argumenta breuiter videamus, quib. exiſtimari poteſt *συνέδριον*, vel Pōtifices & ſacerdotes ius gladii habuiſſe. I. Ducitur ex vetuſtioribus exemplis, vt Moſis, Heli, Samueis, deniq; Macchabæorum: qui & ſacerdotes, & Iu-

dices

dices ſummi fuerunt, de quibus recte doctiſſimus Theologus reſpondet: extraordinaria ea fuiſſe, & à Deo iniuncta, quæ non debent in conſequentiā trahi, vel quædam poſterioribus temporibus orta eſſe ex cōfuſione diſciplinæ Politicæ, & Eccleſiaſticæ. II. Argumentum eſt ex actione & iudicio aduerſus Chriſtum, idque multiplex; ſed præcipue, quod Pilatus ipſe iudicare, de eo ſacerdotes non ſolum permiſit, ſed iuſſit, etiamque pœnam ab iis irrogari voluit, cū diceret: *Crucifigite eum.* Sed hunc ſarcaſmum Pilati fuiſſe conſtat, quod & Iudæi intellexerunt; cum ſibi id non licere reſponderunt. Neq; vero id potuit Pilatus illis concedere vllo modo: quia regula eſt iuris Romani, merum imperium & ius gladii nec transferri in alterum poſſe, nec alteri mandari, cum non competat iure magiſtratus, ſed ſpeciali legis coceſſu. l. 1. ff. de off. eius cui mād. eſt iur. l. nemo i⁹ gladii. de R, I. l. ſolēt. de of. Procōſ. De quo ita d. Pictauienſ. Epiſcop. in *Pſalm.2. Communi & Pratoris, & Tetrarchæ iudicio in Dominū confirmata damnationis paſſio eſt.* & infra: *Reges terræ cognominati ſunt Herodes Tetrarcha, & Pilatus Prætor, quia iure terreni imperii adſtiterunt. Cæteri autem, qui in vnum conuenerunt, neq; principes terræ ſunt, neq; principes ſacerdotum: quia nec ius regni ſui, Prætori Rom. & Tetrarchæ ſubditi obtinebant: neq; vltra iam principes ſacerdotum, &c.* III. eſt, quod Phariſæi Chriſto offerunt adulteram, quæ ex lege Moyſis iudicari ab iis deberet: neque vel ipſi, vel Chriſtus eam cognitionē ad Pilatum pertinere dicunt. Sed facilis reſponſio eſt: Nō fuit illud Chriſti iudicium, vel cognitio, ſicut nec Phariſæorum, ſed tentatio aduerſus Chriſtum, eiuſq; diuina reſponſio. IIII. ex Pauli dicto:

Is enim ſe perſecutorem Chriſtianorum fuiſſe cum gloriaretur apud Feſtum Procuratorem Cæſaris & Agrippam regẽ, addit ea verba: τε *ἀναιρουμένων αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον*. id eſt, ſuffragiũ in ipſorum ſupplicio tuli. Ergo ſententiæ capitales in Synedrio ferebantur. Sed ſuffragium ferre illic eſt, approbare, & cõſentire, vt doctiſſimi Theologi exponunt; vel vt ego puto, ſic dictũ eſt, vt ſolet dici actor vel accuſator reum cõdemnaſſe, quia effecit, vt à iudice condemnaretur. Quin etiam quod plus eſt, accuſator dicitur iudicare, vt illo loco Liuii, perduellionẽ alicui iudicare, quod pro ſingulari notauit Anton. Muretus in poſtremis lectionum libris. V. Ex ſupplicio Stephani Martyris decreto, & ſententia Synedrii. Sed hoc in Stephano & in aliis, vt in Iacobo Chriſti fratre, de quo Ioſeph. lib. 20. antiquit. c. 8. per tumultum & furorem potius factũ eſſe, quã iudicio; vel iudicio furioſorum, & ſceleratiſſimorũ hominum, qui Zeloſi appellabantur, quæ ſecta & audacia ſeueriſſimis pœnis ab Imp. Romanis coercita eſt. l. 3. C. de Iudæis. VI. Ex eo, quod Paulus, ſe virgis cum Sila cæſum ſcribit, ictuſque quadraginta vno minus accepiſſe Epiſt. 2. ad Cor. ca. 11. & alibi. Ad hoc dicam, verberum coercitionem eſſe leuiſſimam & minimam meri imperii partem, adeo vt etiam magiſtratibus, qui merum imperium non habent, concedatur, vt tradit eruditiſſimus Gouean. libr. 2. De iuriſdict. Talem autem coercitionem minimam, iam antea diximus nõ denegatam Synedrio Iudæorum fuiſſe, conniuentibus Romanis: *apud quos*, vt Tacitus ait, *ius imperii valet, inania tranſmittuntur.* VII. & poſtremum argum. eſt ex eo, quod Tertullus apud Felicem Procuratorem

Cæ-

Cæſaris Iudæorum nomine conqueritur, de Lyſia Trib. militum, quod is Paulum vi eripuiſſet è manibus Iudæorum, qui de eo iuxta legem Moyſis iudicare volebāt. Reſpōdeo primum, Tertulli & Iudæorum eam impudentiam fuiſſe: deinde non dicitur, quod ſuppliciū de Paulo eſſent ipſi ſumpturi, ſed de eo tantum in cauſſa religionis, quam liberam eis Romani reliquerant, cognituri. Atq; hæc de Chriſti ætate, ex quibus apparet, quam non diligenter in hac quæſtione verſati fuerint tum alii, tum Bodinus de Repub. c. 6. Et Carolus Sigonius lib. 6. de Repub. Hebræorum cap. 4.

CAPVT XIV.

De Presbyterio Chriſtianorum & perſonis Eccleſiaſticis.

VIdeamus de Chriſtianis ſacerdotibus veterib. Quorum Presbyterium olim dictus fuit cōſeſſus, vt Iudæorum Synedriū. In hoc igitur Preſbyterio, nullam fuiſſe poteſtatem gladii vel meri imperii dicimus, ne minimam quidem: tātum eorum poteſtas in rebus ad religionem pertinentib. verſata eſt: in quibus ne ipſorum iudicium plane vanum eſſet, vſi ſunt excommunicatione ſiue anathemate, quod totū non in corpus, ſed in animam & ſpiritum directum eſt. Eiuſque non vna ſpecies, ſiue non vnus gradus eſt, qua de re extat polixa diſputatio doctiſſimi & clariſſimi Theologi aduerſus Thomam Eraſtum Medicum. Atque huc pertinet, quæ litigandi & ſoluendi poteſtas dicitur, in qua omnis fundatur Eccleſiaſtici iuriſdictio, æque immediata eſt à Chriſto, vt notat Innocent. in c. 1. de renunc. lib. 6. Et probat Nicolaus Cardinal.

de Cuſa lib.2.de concordant.Catholica.In temporalibus autem etiam ipſe Chriſtus profeſſus eſt, ſe magiſtratui & poteſtati ciuili ſubiacere, atq; ita D. Auguſtinus c.19. in Iohannem, poteſtatem Pilati in Perſonam Chriſti à Deo fuiſſe demonſtrat. Et S. Bernhardus in Epiſt. ad Archiepiſc. Sozonenſem. Nec minus verũ eſt, in cauſis etiam pecuniariis, & ciuilibus, nullam olim Eccleſiæ iuriſdictionẽ fuiſſe; quare Chriſtus aditus familiæ herciſcundæ Iudex, repudiauit cognitionem, & remiſit ad magiſtratũ. Hoc loco animaduerti, duo nobis obiici poſſe, quorũ altero merum imperiũ, & ius gladii in corpora exercuiſſe Apoſtolos ipſos, altero iuriſdictionem in ciuilibus & forenſibus controuerſiis, probari videtur. Scimus enim Ananiam, & Saphiram Petri voce & execratione occiſos fuiſſe, excæcatum à Paulo Elymam. Sed profecto hæc extraordinaria fuerunt, & ſolius Dei inſtinctu ac ſpiritu adminiſtrata; ita vt non debeant in argumentum duci, & ad alios homines. Non magis quam factũ Phinees, qui Iudæos cum externis mulieribus fornicantes interfecit. De iuriſdictione autem & cauſis ciuilibus eſt ille Pauli inſignis locus in epiſt.1.ad Corinth. Vbi in Eccleſia ille conſtituit, non ſolum ſeniores, qui de cauſis Eccleſiaſticis & religione iudicarẽt, ſed etiã qui περὶ τῶν βιωτικῶν, id eſt, de cauſis ſecularibus & forenſibus. Ad hoc ita dicam, non Iudices aliquos ibi Paulum conſtituere, id eſt, cum imperio & poteſtate iuriſdicundi, quam nemo priuatus, ac ne ipſi quidem litigatores ex cõſenſu dare vlli poſſunt. l. priuatorum. C. de iudic. ſed arbitros quoſdam & diſceptatores domeſticos, qui amice ea negotia inter Chriſtianos componerent, ſi poſſent,

poſſent,etſi illi paterentur. Idque ideo Paulus præcepit, quod indecorum Chriſtianis duceret, litibus conflictari: & ne ad Ethnicos magiſtratus de iis rebus adire cogerentur, quo pertinet elegans & doctiſſima Epiſtola D. Ambroſii lib. 5. Epiſt. 64. ad Marcellum.

CAPVT XV.

De Iure Iuſtinianeo quatenus Eccleſiaſtici habeant Iuriſdictionem.

NVnc de iure Iuſtinianeo videamus: in quo leges etiam priorum Principum Chriſtianorum, vt Conſtantini, continentur. Primum igitur quod ad ciuiles cauſas attinet, Epiſcopi nullam habent iuriſdictionem, id eſt, poteſtatem iudicandi cum imperio, reſque iudicatas exequendi, id enim proprie eſt iuriſdictio. l. vlt. C. vbi & apud quē in integ. reſtit. Quare in lib. 1. C. Titulus eſt inſcriptus, *De Epiſcopali audientia*, non de iuriſdictione. Audientia eſt ſimplex notio ſine poteſtate & imperio l. notionem. de V. S. l. ait prætor. ff. de re iudic. epiſcoporum autem ſententias, Magiſtratus ciuiles exequuntur, vt bene notat Cuiac. ex li. 1. Sozomeni, ſicut & iudicum priuatorum, id eſt, qui à magiſtratibus iudices dati ſunt in ſingularib. cauſſis. l. à D. Pio. ff. de re iud. Quare nec forum nec lictores, vel apparitores Epiſcopi vnquam habuerunt. Et eleganter Ruffinus lib. 1. Hiſtor. Sacræ, de Georgio quodam Epiſcopo Alexandrino: *ſatis procaciter* (inquit) *vi raptum Epiſcopatum gerebat, ita vt magis ſibi iuriſdicundi faſces: quam ſacerdotium adminiſtrandū religioſis officiis æſtimaret.* Neque obſtat, quod

in c.cum veniſſet.ex.de teſtibus,ſcriptum eſt, *à ſatellitibus*. Id enim non de ſatellitibus Epiſcopi, vt vulgo Canoniſtæ putāt,ſed de Regis Bohemiæ intelligendum,vt recte Cardinalis Oſtienſis,& Cuiacius ibi obſeruarunt. Atque ita Principes Chriſtiani cauerunt, vt in cauſis ciuilibus clerici iudicem haberent, ac magiſtratum politicum, non autem Epiſcopum niſi aduerſarius in Epiſcopum conſenſiſſet l.cum clericis l. omnes,& l.iubemus.C.de Epiſc.& Cler.vel niſi aliqua de fide & religione quęſtio incidiſſet.Hæc enim omnis pertinet ad Eccleſiam l.omni innouatione. C. de SS.Eccleſ. c.conuenior. 23. quæſt. 8. Sed Imperator Iuſtin. de hoc iure aliquid relaxauit in Nouell. 83. & 123. permiſitque vt in quibuſdam ciuilibus cauſis clericorum Epiſcopus iudicaret,ſed ita tamen vt ab Epiſcopo poſſit appellari ad præſidem.Cæterum in criminalibus nullo excepto crimine olim ex Chriſtianorū Principum conſtitutionibus Clerici etiam ſubiecti fuere ciuilibus,& magiſtratibus,& legib.Quod etiam ex Epiſtola Gregorii M.Pontificis apparet lib. 1.Epiſt.41.li.7. Epiſtol. 11.li.11.Epiſt.54. Imo & de ipſis reb.Eccleſiaſticis ius ſępe Pontifices petierunt ex C.Iuſtinianeo c. quis aut leges. diſtinct. 54.ca. quis principali. diſt. 63. c. quis in primis. 2.quæſt. 67.Et diſerte quod cautum de hac re eſt in Auth. Clericus quoq;. C. de Epiſc. & Cler. id translatum eſt in ius Canonicum in c. ſi quis clerico. quæſt. 1. Sane verum eſt,Iuſtinianum primum clericis multa indulſiſſe, vt in hac re facta diſtinctione inter crimina Eccleſiaſtica & ciuilia. Quib.alii addidere & communia,teſte Iul.Claro li.5.ſent. In Eccleſiaſticis igitur criminib. clericorum Iuſtinianus Epi-

ſcopum

ſcopum cognoſcere & iudicare voluit, in ciuilibus Præſidem d. Nouell. 83. & 123. Vbi autem de Clerico ſententia capitalis lata eſt, non prius ſumi ſupplicium à præſide debet, quam Clericus ab Epiſcopo degradatus fuerit: id eſt, exautoratus, & ordine atq; habitu Eccleſiaſtico ſpoliatus, vt pluribus hęc res explicatur. in c. ſi quis contra aliquem, & dict. Nou. 123. Veteres Romani exaugurari dicebant; idemque vſurpabant cum aliis, tum in virginibus Veſtalib. ſtupri damnatis, vt docet Feſtus in verbo, *Probrum*, ex lib. M. Catonis de Auguribus. Chriſtiani Pontifices hoc ritu degradationis vtuntur etiam tum, cum ipſi vel Epiſcopi iudicarunt de Clericis in Eccleſiaſticis, vel aliis criminibus. Nam eos prius degradare ſolent, deinde magiſtratui Politico puniendos tradere, quem morem tradendi probat quidem Duar. lib. 1. De Eccleſ. c. 3. Sed ait vix eſſe antiquum, imo eſſe ortum ex errore quorundam Pontificum, qui cum legiſſent, Clericos interdum ob delicta adſcribi & tradi curiæ: Curiam interpretati ſunt Magiſtratum Politicum, qui ſcilicet in eos animaduerteret. c. degradati. De pœnis lib. 6. cum ſignificet aliquem ordini & oneribus curialiũ in municipiis adſcribi, quod pro pœna olim vſurpatum in Clericis. l. 12. & l. 18. C. de Epiſc. & Cler. c. Clericus. 3. quæſt. 4. Dicet aliquis: Quid refert à quo quis puniatur? Imo vero multum. Primum propter ius, & diſciplinam publicam, vt nemo niſi à legitimo & competēte iudice puniatur. Deinde, quia longe alia ratio eſt cognitionis Eccleſiaſticæ, alia Politicæ. E. G. iure çiuili in criminalibus fœminæ poſſunt eſſe teſtes, non etiam iure Canonico. Imo neque maſculi laici aduerſus Clericos admit-

tuntur, vt pulchre docet Thom. Grammaticus cõſil. 42. Deinde pœnæ, & coercitiones Eccleſiaſticæ ſunt multo mitiores: præſertim cum à ſanguine in vniuerſum abhorreat Eccleſia. ca. His 33. quæſt. 8. Atq; hæc nobis dicta ſunt de ciuilibus negotiis & criminalibus ex iure Iuſtinianeo. Cæterum in articulis fidei & rebus Eccleſ. ſummum iudicium habent Pontifices, & Epiſcopi; adeo vt ne Imperatores quidem ea in re ipſis præſcribere voluerint, qua de re non eſt inſtituti mei diſſerere. Illud prætermittere non poſſum, inepte illos probare, ſacerdotes nec apud Imperatorẽ adcuſari debere, vel poſſe, exemplo, vt aiunt Imper. Conſtantini: qui libellos adcuſatorios ſibi de iis oblatos concremauit ca. ſacerdotibus. § Eccleſiaſtica quoque 2. quæſt. 1. Concordiæ enim & pacis ergo id Imperator optimus fecit. Quod etiam Ethnicos Impp. quoſdam in ſimili re feciſſe legimus, vt Iulium Cæſarem qui literas omnes & libellos ad Pompeium ſcriptos exuſſit poſt victoriam.

CAPVT XVI.

De Caroli Magni, & deinceps temporibus.

NOn diſputo hic de poteſtate & dominatu Pōtificum, vel de opib. Eccleſiaſticis, quę in immenſum à Carolo Magno, & Regib. in primis Galliæ auctæ fuerunt; quod hæc ſit ab inſtituto noſtro alienior, & à ſummis antea viris diligenter tractata. De iuriſdictione & Imperio Eccleſiaſtico dicam. Et primum occurrit nobis ipſius Caroli Magni nobiliſſima pro Clericis lata conſtitutio, vel potius lex Imper. Theodoſii vetus à Carolo Magno

reno-

renouata,&diligentius ſancita,vt refertur in c.nouit ille.ext.de Iud. *Vt quacunque lis & controuerſia ſi vterq; vel alter tantum litigatorum id poſtulet,etiam altero recuſante, ad Epiſcopi iudicium ſine vlla exceptione introduci poßit & debeat.* Nec refert,vtrum apud Iudicem ſæcularem cœpta lis ſit, an non cœpta d.c.nouit. Quod poſtremum à Carolo adiectum puto, cum ſit contra iuris regulas,quibus efficitur, vt vbi lis cœpta eſt,ibi terminari debeat. l.vbi ff.de iudic. Sed ea lex abrogata poſtea eſt.vt gl.ad d. c. nouit in verbo,*quacunq;*,annotauit.Eam tamen Pontifex ibi allegat pro ſe, quia ſublato iure maneat etiam ratio iuris. Et quia ibidem gl. & Iohan.de Pariſiis Monachus in egregio ſuo tractatu, de poteſtate Regum & Papali cap.17.ſcribunt,rationis illius L. Theodoſianæ ſiue Carolinæ notitiam vtilẽ & neceſſariam eſſe, vt ſciatur quantam deuotionem habuerit legislator erga Eccleſiam,ſed nō propterea inquit ille Monachus,cōcludi inde poteſt, conuenire hanc Iuriſdictionem Epiſcopis ſecūdum ſe, id eſt,pro vt ſunt Epiſcopi:ſed ex priuilegio & indulgentia Principum.Sed quicquid ſit tota hæc cōſtitutio abrogata eſt,vel obliterata tacito populi cōſenſu.Quare etiam in Decreto Gratiani in c. quæcunque. 2. quæſt. 1. relata eſt ſub inſcriptione Paleæ.neq; erret,qui eam παλέαν dixerit optimas leges.Sane Clericorum cauſæ, etiam de bonis & iurib.Eccleſiaſticis,non immerito ad iudicium Pontificum, & Epiſcoporum omnes ſunt delatæ, non ſolum iure Canonico,ſed & ciuili. Atque in eo recte Eccleſiaſtici poſſunt dici Magiſtratus.ſed magiſtratus, vt ſic vtar,quod Luc.22.cap.dicitur,στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ,id eſt,Prætores tēpli,non curiæ aut fori;

quod etiam nullum habere Eccleſiaſticas perſonas Imp. Valentinianus in quadam Nouel. dicit. Idemque & de aliis cauſis piis recte ab Impp. conſtitutũ puta de Legatis Eccleſiæ relictis, de orphanis, & ſimilibus perſonis. Item ſi quis in lite aliqua à magiſtratu Politico ſit læſus, vt detur auxilium appellationis ad Epiſcopum. Nou. 86. Idem denique iudicandum eſt de cauſis omnibus ad Laicos ſpectantibus; ſi qua in eis materia peccati verſetur, veluti, in vſuris, in iureiurando, in cõcubinatu, in omni matrimoniali cauſa. Tametſi non ignorem hæc mera ciuilia à doctiſſimis viris eſſe, defendi. Ideoque & de Iureiurando Camera Imperialis hodie cognoſcit, veniamque etiam iuriſiurandi facit teſte And. Geil. 1. obſer. Sicut olim Principes faciebant, ſed opinor, qua Põtifices erant. Illud nec mihi, nec aliis probatur, etiã quibuſdam veteribus, vt videre eſt in Diſputatione Clerici & militis ſcripta temporibus Bonifacii VIII. quod ratione neſcio cuius connexitatis, & colligantiæ, etiam cauſſas mere ciuiles & pecuniarias Laicorum ad ſuum iudicium Eccleſiaſtici reuocarũt, veluti de dote. tot. tit. ext. de donat. inter vir. & vxor. quia dos ſit matrimonio quiddam connexum, neque enim dos ſine nuptiis vlla intelligi poteſt. l. 3. ff. de iur. dot. Eadem ratione ſi in quæſtionem ſpiritualem, puta, an ſit quis filius legitimus, id eſt, ex matrimonio iuſto natus, inciderit quæſtio ſecularis de pecunia & hæreditate paterna: tamen Iudex Eccleſiaſticus de hæreditate etiam cognoſcet, vt notant in c. 5. ext. qui filii ſint legitimi. At viceuerſa ſi mota ſit principalis quæſtio de hæreditate apud Iudicẽ ſecularẽ, & in eã incidat queſtio ſpiritualis, nolunt hanc queſtionem à ſeculari poſſe decidi. Quamuis Cuiacius in

d.c.5.& c.1.& c.3. eod. tit. ſcribat ad iudicem ſecularem remittendam eſſe quæſtionem de hæreditate, quæ in quæſtionẽ ſpiritualem inciderit. ſed hæc ſatis de ciuili iuriſdictione. Videamus nunc de iure gladii, an id Eccleſiaſtici habeãt? Et ipſi quidẽ Pontifices veteres, illi pii & ſancti homines, gladiũ ſe habere, ſed ſpiritualẽ profeſſi ſunt, nec materiali, ſed ſpirituali gladio Eccleſiam velle vt criminoſi feriantur, & ad viuificandum non ad occidendũ, c. interfectores. 33. quæſt. 2. Talis eſt autem excommunicatio, & Anathema in primis, de quo ſupra monui, ſed eo res rediit, vt etiam ius gladii, quod Principes cæteriq; magiſtratus Ciuiles habent, ſibi proprie tributũ eſſe à Deo contenderint, vſi etiam verbis illis Domini, *Ecce duo gladii.* quod dictũ Theologi & Scholaſtici de gladio altero Papæ, altero Cæſaris interpretati ſunt. quod ferri poſſet ſi, vt dixi, in Pontificibus, & Eccleſiaſticis reliquis ſpiritualem gladiũ modo intelligerent. Nã & Frider. I. Imp. qui acerrimas cũ Pontificib. Romanis de iure imperii contentiones exercuit, non abborruit ab hac tamẽ interpretatione, apud Gunth. li. 6. Ligur.

Iam non ferre crucem Domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mauult, quam Præſul haberi.
Eccleſiæ faciem gladiis, quæ rite duobus
Vtitur, alterutro nunquam bene firma remoto.

Et paulo poſt:

Eccleſiam regat ille ſuam diuinaq; iura
Temperet: imperium nobis faſceſq; relinquat. i. iuriſdictionem, quo modo iuriſdicundi faſces ab Epiſ. pſona remouit Ruffin⁹, vt ſupra notauit. Sed Põtif. Romani etiã vtrũq; gladiũ ſibi adſciuerũt, de quo eſt illud S. Bernhardi ad Eugenium Papã, *Vtrumq;*

ſi habere voles, vtrumq; perdes. quod eleganter & vere de reb. natura ſua diuiſis dictũ eſt, vt idẽ Gũtherus:

Sunt diuiſa tamen, nec in vnum poſſe videntur
Iuncta coire caput, nec eodem ſæpe recurrunt
Inſtituenda modo.

Bonifacius tamẽ IIX. ita cõſtituit, atq; ita vulgo receptũ eſt, vt Põtifices dicãtur habere ius gladii etiã tẽporalis, ſed quo ad habitũ vt loquũtur, nõ quod ad vſum. Nã vſum eius & exercitationem politicis Magiſtratib. à Pontifice tanquã Chriſti vicario eſſe conceſſum c. 1. ext. de Mag. & obedient. vbi etiam illud additur ſpiritualem gladium & materialẽ eſſe ſub poteſtate Eccleſiæ. ſed illum pro Eccleſia, hunc, id eſt, ſpiritualem ab Eccleſia exercendum eſſe. Cæterum quamuis Eccleſia non vtatur veris illis gladiis materialibus: tamen aliis vtitur corporalib. & quidem grauib. puta, carceris etiam perpetui ſuppliciis c. quamuis ext. de feud. lib. 6. quã pœnam merito Innocentius morti comparat. ca. qualiter & quãdo. ext. de accuſat. Et ideo iure ciuili interdicta eſt l. aut damnum. §. ſolent. ff. de pœnis. Vtuntur etiam pœna inediæ, qua vſque ad mortem procedunt, idq; eos poſſe & ſolere facere Angelus ſcribit teſte Claro lib. 5. ſent. Denique pœna exilii & deportationis. c. 1. extr. de calumniat. Quod ſi aliquis ab Eccleſiaſtico iudice dãnatus ſit pœna capitis adficiendus, tum tradũt eum ciuili magiſtratui, quia ſcilicet à ſanguine abhorreat Eccleſia, vt ſupra dictum. Quem morem reperio etiam apud Ethnicos veteres Pontifices fuiſſe, vt apparet ex Epiſtola Symmachi 118. lib. 1. Vbi damnata à Pontif. collegio virgo Veſtalis ad præſidem mittitur puniẽnda & ante remiſſa ad Præfectum vrbi erat, ſed is reſpon-

reſpondit, non licere reum criminis huius, id eſt, qui virginem illam polluerat vrbem Romã ingredi. Denique quod ad Clericos attinet, generaliter conſtitutum eſt in omnib. criminib. vt Iudices dũtaxat habeant Eccleſiaſticos. c. Clerici. 8. ext. de benefic. Quod etiam confirmatum eſt Imp. Friderici II. conſtitut. quæ extat in extrau. de ſtatut. & conſuet. contra Eccleſ. libert. Eaque de re accurate & prolixe docet Tiberius Decianus tractatus criminal. lib. 4. c. 9. & ſeq. ſed hæc quidem de iure ſacro & iure ciuili ita ſe habent. Cæterum iure feudali, vel potius moribus & conſuetudine videmus hodie, in Germania præſertim, Epiſcopos eoſdem eſſe & Principes, ſicut & Abbates multos Imperii quos appellamus. De his igitur dubitatio nulla eſſe poteſt; quin ius gladii & merum imperium habeãt, vt habent Principes, & Magiſtratus ſeculares. talis olim fuit Iacobus quidam qui eiuſdem ciuitatis Epiſcopus & Princeps fuit, vt narrat Theodoretus li. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 30. Neque id improbat Duaren. d. li. de Eccl. c. 4. præſertim ſi Princeps aliquis ipſe ſe Eccleſiaſtico addicat miniſterio. Tales ſunt, vt dixi fere omnes Epiſcopi in Germania, qui ab Imperio Epiſcopatus & ditiones ſuas in feudum accipiunt, atq; vna etiam hoc ius gladii, & meri imperii, quod tamen initio ſolus videtur habuiſſe Epiſcop. Herbipolenſis. Vnde illud vulgatum *Herbipolis ſola iudicat enſe & ſtola*, vt ſcribit Munſter. li. 3. Coſmogr. c. 383. Ipſi etiam Pontifices atque Epiſcopi aliique prælati poſſunt alios ex conſuetudine antiqua inueſtire de feudis, & ſimul merum imperium in eos transferre lib. 1. tit. 1. De vſib. feud. ſed tamen non prius id poſſunt, quã ipſimet è manu Imperatoris

inueſtiturā ſuam acceperint, per ſceptrum vel an nulum vel chirothecā,&virgam,quamuis Epiſcop ſint antea creati. Qua de cauſſa mulctatum fuiſſ olim lego Hardiuicū Ratiſpon. Epiſcopum vt ſcri bit Otto Friſingenſis lib.1.de rebus geſtis Frideric I.c.29.Nec ſolum ipſum Epiſcopū,ſed etiam vaſal los eius ab eo inueſtitos,licet ignorātia peccaſſen quod notandum eſt.Hoc igitur ius eſt Cæſaris feu da Eccleſiaſticis etiam dandi,quod ius olim Hēri cus V.Imp.coactus anathemate ſummi Pontificis ſcripto in comitiis Wormatienſib. reſignauit Ro mano Pōtifici,vt videlicet epiſcopi omnes nō pri us ordinarentur epiſcopi,quā regalia eius de man accepiſſent,vt ſcribit idem Otto lib.6. Chronic c.16.Sed hanc Henrici Conſtitutionem fruſtra fu iſſe, & exoleuiſſe exiſtimo. Nam feudum & ditio nes ab Imperatore & imperio,non à Papa &hodi accipiunt & olim acceperunt, quod teſtātur etiar Hiſtorici veteres allegati à Cuiac.li.1.c.1.& li.3.c. De feud.Quare etiam ab Imperatore deponūtu & ſpoliantur feudis ſuis & regalibus, vt olim à Fr derico I. Bremenſis & Halberſtad. quidam Ep ſcopi eodem auctore li.2. c.12. Et Radeuico lib. c.5 De Geſt.eiuſdem Frid.Concludam nunc ha quæſtionem cum eiuſdem Ottonis, optimi Ep ſcopi pia & graui querela in præfat.libro 7.Chro Cum enim dixiſſet, imperium amore Religion ſeipſum exhauſiſſe,& Eccleſiam exaltaſſe, adeo non ſolum ſpirituali gladio, ſed etiam materia & imperii ipſius proprio imperium deſtituatu ſic addit. *Quod iudicare, vel diſcutere ſupra noſtras vir eſt, videntur tamen* (inquit) *culpandi ſacerdotes per mnia qui regnum,id eſt,imperium Germanicū ſiue Rom*

nu

num ſuo gladio, quem ipſi ex regum, id eſt, Imperatorum habent gratia, ferire conantur, niſi forte Dauidem imitari cogitent, qui Philiſteum primo virtute Dei ſtrauit, poſtmodum proprio gladio iugulauit. Hæc Otto Friſingenſis.

CAPVT XVII.

De Rectoribus Academiarum. ad Auth. Habita. C. ne fil. pro pat.

MVlta priuilegia Scholarium Dd. iuris expoſuerunt; ſed ex hac nobiliſſ. Friderici Imp. conſtitutione quatuor tantum elici poſſe video. I. eſt vt Scholarib. tutus aditus in Academias, tutaq; illic permãſio præſtetur, quod ſic intelligendũ eſt, vt nullo prorſus obſtante impedimento, ſiue pacis, ſiue belli tempore, & quocunq; in loco hæc ſecuritas eis præſtetur. II. eſt: Ne vlli Scholari vlla omnino inferatur iniuria; quod etiam ita intelligendũ eſt, vt ſpeciali cura & protectione Magiſtratus omnes ſibi Scholares conſeruandos & tuendos putẽt, qui amore ſcientiæ, vt hic dicitur, exules ſponte facti ſunt. Similiter vt in libro Plutarchi de exilio: ὐ μεταςαθέντες, ἀλλὰ μεταςάντες, ὐδὲ φυγαδευθέντες, ἀλλὰ φυγόντες. Et addit, Muſas veterib. ſcriptorib. vt pulcherrima & nobiliſſima ſcripta cõponerẽt, exiliũ pro adiumento adſumſiſſe. Sic etiã M. Cicero exul L. Clodia, ſenat⁹ & cõſulũ literis omnibus magiſtratib. & ciuitatib. commẽdatus fuit. III. eſt: Ne quis Scholaris propter debitũ vel delictũ alibi cõtractum pignoretur, id eſt ne ipſe neue res eius detineantur vel occupentur. IV. eſt: Vt Scholaris proprios & peculiares iudices habeat, nimirũ Magiſtrum vel præceptorem ſuum, ſiue vt hodie

vocamus

vocamus Rectorem ſuum, vel Epiſcopũ loci. Atq; de hoc quarto priuilegio, quod noſtri inſtituti ratio poſtulat, accuratius dicendum eſt. Et in primis illa queſtio agitanda: An non modo in ciuilib. cauſis, de quo non dubitatur, ſed etiam in criminalib. locus ſit huius priuilegio fori ſiue an hęc conſtitutio tribuat Rectorib. non ſolum Iuriſdictionẽ ciuilẽ, ſed etiã criminalẽ, id eſt, imperiũ merũ, quod in maleficiorum coercitione conſiſtit. l. 3. ff. de iuriſdict. l. 1. C. quando non poſſunt ad lib. proclam. Et interpretes quidam plane negant; pleriq; adfirmãt ſecuti Accurſium & Bartolum. Alii diſtinctione rem temperant. Pro eorum ſententia, qui in criminalibus non eſſe iuriſdictionem Rectori tributam dicunt, hæc diſputari poſſunt. I. Primũ quod hæc Auth. Friderici loquitur diſerte de lite & negotio: quæ verba cauſas ciuiles & pecuniarias ſignificãt, vt verbum actionis. l. litis. ff. de V. S. l. 1. ff. de teſtib. l. Labeo ff. de V. S. II. Deinde natura eſt hæc meri imperii, vt nemini competat, niſi ſpecialiter & nominatim & lege vel SCto vel cõſtitutione Principum tributum ſit l. 1. ff. de off. eius. Sed in hac Auth. nihil exprimitur de mero imperio, ſed tantum de iuriſdictione, quæ accipitur in cauſis priuatis, & pecuniariis. vt alibi dixi. III. arg. Nam in criminalibus nullum priuilegium fori conceditur, & reatu omnis honor excluditur. l. 1. C. vbi ſenat. vel clariſs. IV. Quod profeſſores vel Rectores nullũ habẽt territoriũ, ſine quo nõ videtur iuriſdictio criminalis poſſe conſiſtere, & exerceri. l. pupillus. §. Territorium. ff. de V. S. Item nec Lictores, neque alia quæ neceſſaria ſunt ad meri imperii exercitationem. V. Iniquum & abſurdũ videtur, vt Scho-

lares,

lares, Magiſtratus vel Domini loci iuriſdictioni ſubtrahantur:ſicut de Clericis dici ſolet, qui vbiq; terrarũ ſe Principum ſuorum imperio exemerũt. VI.& poſtremo exſtat Friderici II. conſtitutio apud Petrum de Vineis lib.3.Epiſt.11.vbi de Academia Neapolitana, quam ipſe inſtituit, ſic ſanxit. *Omnes ſcholares in ciuilibus ſub eiſdem Doctoribus & Magiſtris debent conueniri.* Sed contra veriſſimum eſt, merum imperium ſiue cognitionem, & coercitionem in cauſis criminalibus hac conſtitutione Rectoribus conceſſam eſſe. Quod probatur I. ex verbis huius Conſtitutionis, illis nimirum *ob debitum, ſiue delictum.* Quibus reſpondent illa verba in fine, *ſi litem eis quiſpiam ſuper aliqao negotio mouere voluerit.* II. Ex tota Conſtitutione adparet, Imperatorem maxime & ampliſſime proſpectum voluiſſe Scholaribus, diligentiſſimeq; cauiſſe, ne vlla iniuria eis fieret, quod Imperatoris conſilium atque liberalitas, exitum non haberet, ſi in pecuniariis tantum cauſſis beneficium eis dediſſet, cum in criminalibus maius ſit periculum, & propterea etiam magis ſuccurrendum. l.1.§.ſed etſi quis. ff. de Carbon. Edict. III. Beneficia Principũ latiſſime ſunt interpretanda, vt & ſummorum Pontificum. l. vlt. ff. de cõſtit. Princip. c. cum dilecti. extra de donat. Eſſet autem hoc beneficium à Friderico datum ſtudioſis anguſtiſſimũ, ſi de pecunia tãtum & debitis apud Rectorem conueniri debeant. cum ſtudioſorum negotia, propter quæ conueniuntur, magis ſint crimina, quàm contractus. IV. Idem probatur iure Canonico, quo idem priuilegium fori clericis datum eſt. cap.1. ext. de iniur. lib. 6. Clerici autem ſine dubio etiam in criminalibus ſubiecti ſunt iuriſdi-

ctioni Eccleſiaſticæ. cap. clericis. ext. De iudic. V
Confirmatur idem ex conſtit. Imperat. Iuſtiniani
quæ eſt Epiſtola ſcripta ad Anteceſſores, vbi in fin
idem fere ſanxit, quod in hac conſtitutione ſua Fri
dericus, & vberius & diligentius ac ſeuerius. No
obſtant, quæ ſupra in contrariam ſententiam at
tuli argumenta. I. De litis & negotii & actioni
vocabulis. Nam & in criminali illa vſurpantu
Litis, vt l. iudiciorum. ff. de accuſation. Accurſiu
& Cuiac. ad dict. l. litis de V. S. *Negotii*, vt in l. i
criminalibus. Cod. de iuriſdict. Prudentius in Ro
mano, *Præfectus iſtis imminens negotiis. Actionis*, infini
tis locis. Sed ille locus eſt pulcherrimus in Epiſto
la quadam Vatinii, Propræt. ad Cicer. vbi de cæ
dibus, rapinis, aliiſque atrociſſimis criminibus lo
quens, ait eos, in quos illa admiſſa fuerat, *actione a
pud ſe expoſtulauiſſe*. II. Non obſtat ſecundum argu
mentum, ſed pro nobis facit. Nam dicimus ſpe
cialiter merum imperium hac conſtitutione tr
buni: ait enim, *quibus iuriſdictionem dedimus*, & ante
probaui de delictis etiam Imperat. loqui: Deind
verbo iuriſdictionis, ſi à Principe prolatum ſi
continetur etiam merum imperium, vt recte do
cet Iohan. Andreas in addit. ad Specul. titul. de iu
riſdict. quem plerique omnes ſequuntur, vt vide
re eſt apud Iaſon. in l. tertia, Digeſt. de iuriſdict.
Quamuis ipſe temere & futilibus argumentis a
ea ſententia diſcedat. Non obſtat III. arg. ex l. 1. C
vbi ſenat. &c. Id enim & nos admittimus, ſi ex
tra locum Academiæ Scholaris delinquat, ibi pu
niendum eſſe, vel vbi reperitur. l. prima, Codic. V
bi de crim. agi oportet. Don. 17. Comment. 16
Debent igitur & Scholares in loco delicti punir
ſe

ſed ſi in Academia deliquerint non coram omni magiſtratu, ſed coram ſuo, vt ait Accurſius in Nou. 69. in verbo, ſubiacet, ſicut ſenator, ſi Romæ deliquerit non coram quouis magiſtratu Romæ, ſed coram ſuo, id eſt, præfecto prætorio conuenitur. l. ſi gladius. C. de dignit. li. 11. Sed ſi alibi peccarent, coram magiſtratu eius loci conuenirentur, & ab eo punirentur. dict. l. 1. C. vbi Senat. Nec obſtat IV. arg. de territorio. quia & territorium ſine iuriſdictione, & iuriſdictio ſine territorio eſſe poteſt, vt tradit Menoch. lib, 3. præſumpt. 97. Hoſtienſis in c. cum contingat ex. de for. compet. Item licet quis ſit in territorio & loco alterius, tamen poteſt eſſe à territorio illo & iuriſdictione exemptus, vt notant Dd. in l. vlt. ff. de iuriſdict. V. Non obſtat, quod Academia careat lictoribus, & cæteris. Primum enim multæ ſunt pœnæ ſtudioſorum, quę ſine his exercentur, vt carceris, vt mulctæ, vt infamiæ, vt relegationis, vt annotationis bonorum, vt etiam excommunicationis, quod primus introduxit in Germaniã eruditiſſimus Zaſius in Academia Friburgenſi, cum ſtudioſi quidem carmina quædam famoſa ſcripſiſſent. Deinde merum imperiũ non conſiſtit in nudo exequẽdi actu: ſed magis in poteſtate cognoſcendi, & cõdemnandi, & iubẽdi, vt magiſtratus alius exequatur ſentẽtias l. Epiſcopale, & ibi gl. C. de Epiſc. aud. & ibi Accurſius notat de ſentẽtiis à Doctore vel Magiſtro latis in Scholares. VI. Non obſtat, quod de abſurditate dixi: Nã merum imperiũ, atq; omnis iuriſdictio eſt in poteſtate, & ditione ſummi principis, qui eam dat, adimitque, pro vt vult. Neque verendum eſt, ne in Academiis temere iudicetur, cum adſint Legis pe-

riti. Imo receptum eſt generali Germaniæ conſuetudine, ſancitumq; etiam Caroli V. conſtit. rerum capitalium, vt magiſtratus locorum de grauiorib. cauſis ad Academias mittant conſilii petendi cauſſa. VII. Non obſtat poſtremum quod de conſtit. Friderici II. ex Petro de Vineis attuli, quia ea conſtit. nõ eſt generalis, ſed de Academia tantum Neapolitana, deinde huius Authen. Habita, autor non eſt Fridericus II. vt Sichardus & alii putarunt: ſed Fridericus I. quod licet nemo tradat, tamen id colligitur ex ſubſcriptione, vbi ponitur numerus Anni M. C. LVIII. Concludendum eſt igitur, merum Imp. Rectoribus ex hac Auth. competere. Illud cauendum eſt, ne vniuerſum merum imperium eos habere putemus, niſi ſit ſpecialiter datum. Sunt enim multi gradus meri imperii, ſed præcipue tres; quorum in primo fere continentur pœnæ quibus mors infligitur. Altero quibus libertas vel ciuitas adimitur, vt deportatio, ſiue bannum. Tertio pœnæ leuiores, vt mulcta, verbera, carcer, relegatio. quorum graduum duos priores Rectores non habere ex hac conſtit. verius eſt. Et ita Cynus aliique interpretes hanc Auth. & ſententiam Accurſii tẽperant, vt non habeat locum in atrocioribus delictis, puta, homicidio. quod ex eo quoque colligitur, quod in hac Auth. Rectori adiungitur Epiſcopus, quaſi alter iudex Scholarium. Epiſcopos autẽ à ſanguine, & ſuppliciis vltimis abhorrere, ſupra demonſtratum eſt. Poſtremum autem & infimum gradum imperii apud omnes Rectores eſſe vulgo videmus, niſi ſit forte hoc ius iis initio, vel poſtea ademptum, vt Neapoli ex Conſtitutione Friderici II, vel niſi profeſſores & Scholares ipſi cõmuniter

huic

huic Priuilegio renunciauerint, vt hic teſtatur Accurſius, Doctores & Scholares Acad. Bononienſis, huius Auth. beneficio in criminalibus renunciaſſe. E contrario ſunt quędam Academiæ, quæ priuilegio ſingulari habent ſummũ etiam illud ius gladii, vt in Germania, de Ingolſtadiẽſi accepimus. In Anglia Oxonii, quæ eſt antiquiſſima Academia, & mater Academiæ Pariſienſis, duo ſunt Procuratores ex ordine Magiſtrorũ comitiis annuis à Magiſtris electi, qui imperium & coercitionem habent, non ſolum in ſtudioſos, ſed & in alias perſonas, noctu præſertim, quare & lictores habent. In Gallia idem ius videtur habere Academia Pariſienſis. Extat certe monumentum & inſcriptio Pariſiis duorum ſtudioſorum in monaſterio Maturinorum, quos ſtudioſos Anno M. CCCC. VIII. damnauerat & ſuſpenderat Præfectus vrbis. Coactus eſt enim (vt inſcriptio docet) Præfectus ipſemet eos de furca tollere, mortuoſque oſculari, & honorifice ſepelire. Ex conſtitutione Gregorii XI. Pontific. ſi Scholaſticus ſcelus admiſerit, Epiſcopi Pariſ. cognitio eſt teſte Bod. lib. 3. de Rep. 7. In Hiſpania neſcio an vlla Academia ius gladii habeat: ſed notabilia ſunt duo inprimis facinora, quæ tamen impune tulerunt ſtudioſi, in Academia Complutenſi, patrocinante Cardinale Ximenio eius fundatore: quæ leguntur in ipſius vita à Gomeſio ſcripta lib. 4. Elegans eſt illud, quod vir alioqui ſeueriſſimus, & rebus geſtis domi militiæque maximus, tutelaq; Caroli & Ferdinãdi regum admirabilis, dixiſſe fertur cum facinus apud Regem Ferdinandum ſapienter excuſaret, *Scholæ id eſſe ebullientis ſpumam, quæ illico eſſet feruorem repreſſura.* Iuuenilem ætatem intelli-

gens. Quo modo reperi elegantiſſimum poetam Alexidem hominem cum vino cõparaſſe, illis verſibus apud Athenæum lib.2. Dipnoſophiſt.

> Πολλὴ γ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι
> Πρώτιςον, ἀφεῖσαι τε καὶ ἀνθῆσαι, πάλιν
> Σκληρὸν γενέϑαι.——

His ita explicatis videamus, an iuriſdictionem hãc ſuam Rector alteri mandare poſſit? Et verius eſt, nõ poſſe, niſi caſu abſentiæ. Nam definitio eſt iuris ciuilis, quæcunque lege vel SCto vel conſtit. Principis tribuuntur ea mandari non poſſe. l. 1. ff. de of. eius. Talis autem eſt hæc iuriſdictio. Prorectori autem mandare, etiam præſenti, poteſt & ſolet. Imo prorector habet æquale imperium cum Rectore. vt apud Bartolum memini legere. Deinde quæritur; An cum electio Scholaribus tribuatur, coram quo conueniantur, poſſint eligere, vt coram præfecto vel præſide conueniantur? Et verior mihi videtur eorum ſententia, qui non poſſe dicunt. Datur enim quidem hac conſti. electio iudicis, ſed nominatim, vnius ex his nimirum Domini vel Magiſtri ſiue Rectoris, vel Epiſcopi, nõ autem præfecti, ſed an variare ſæpius poteſt is, qui conuentus eſt, ita vt nunc Epiſcopum, nunc Rectorem velit? Et verius eſt, non poſſe, ne ſit in poteſtate rei, ne vnquã conueniatur, vel lis cum eo non conteſtetur. l. 2. §. Scæuola. ff. quod cert. loc.

CAPVT XVIII.

De Politicis Magiſtratibus.

HActenus de Eccleſiaſtico ordine: Ad quem ordinem Rectores etiam Academiarum, c

con

conſuetudine notiſſima retuli. Vnde & Academiarũ cauſſa inter ſacras &pias refertur à Dd.hic,& ad Rubr. ff.ſol.mat.& ſcholares ipſi Clerici appellantur,tametſi non ignorem inter Scholares Eccleſiaſticos & Laicos differentiam eſſe ponendam. de quo videndus Hoſtienſis in titu.de for.compet.in ſ.quibus ex cauſis.num.8.vbi tenet, ſupra dictam conſtitutionem Friderici,quod ad electionem iudicis attinet, non habere locum in clericis ſtudioſis,eos enim præciſe cogi forum Epiſcopi ſequi,nec poſſe, vel in præfecti, vel in Domini,(quem Doctorem legis interpretatur) iuriſdictionem conſentire. Etiam Academiarum Cancellarii Epiſcopi ſunt;Et Scholares non ſolum Theologiæ,& iuris Canonici,ſed etiam aliarum ſcientiarum,&linguarum ſtudioſi dicuntur Eccleſiæ inſeruire, auctore Fulgoſio in l. qui ſub prætextu.C.de SS. Eccleſ. Quare & in aliquot Synodis ſancitum eſt, vt Epiſcopi dent operam,vt in Academ.Doctores idonei conſtituantur c.de quibuſdam. diſtinct. 37. Denique quod ſuperiori capite oblitus eram, magiſtri artium liberalium cum Epiſcopis in hoc iure coercendi coniunguntur ab Auguſtino Epiſtola 159.ad Marcellinum Comitem: *Quando, inquit, tantorum ſcelerum confeſſionem non extendente equuleo, non ſulcantib. vngulis,non vrentibus flammis: ſed virgarũ verberib.eruiſti;qui modus coercitionis & à magiſtris artiũ liberaliũ,& ab ipſis parentibus, & ſæpe etiã in iudiciis ſolet ab Epiſcopis adhiberi*;quæ ſententia relata eſt in c. 1.23.queſt.5.Sequitur nunc de Politico ordine,qua in re diſtinguendũ diligenter eſt inter magiſtratus, qui proprie ſic appellantur,i.quib. aliqua Reipub. curatio cõmiſſa eſt,& inter principes vel alios Do-

minos, vel Reſpub. quæ habent dominium & ditionem, & territorium. ſed iure Romano ſolus Cęſar Princeps eſt ac Dominus, in eoque omnis iuriſdictio, atq; imperium reſidet, à quo tāquam fonte deriuātur in Magiſtratus. Hodie autem multi ſunt Principes, multi Domini, imo, quod ad Iuriſdictionem attinet, multi Cæſares. Id enim ſignificat illa peruulgata Dd. noſtrorum ſententia, tantum hic vel ille Dux aut illa Reſpub. in ſua ditione & ducatu poteſt, quantū Imperator in ſuo imperio. Qua ex re multa confuſio, multaque ſæpe incommoda in Rempub. inuecta ſunt. Vt non abſurde quis dicere hodieque poſſit, quod olim Arius Philoſophus Auguſti Cæſaris familiaris, Auguſto dixit, de Cæſariore Cleopatræ, & Iulii Cæſaris filio conſultanti: *Non eſt bona Cæſarum multitudo.* Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρείη. Elegantiſſime & ſapientiſſime ſic illo mutato Homeri dicto, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Hinc illæ hodie, to: quæſt. in Republ. & iure Romano inauditæ de Iuriſdictione: veluti; An iuriſdictio & merum imperiū præſcriptione adquiri poſſint? Item an conſuetudine adquiri poſſit? Itē; An iuriſdictio & ius gladii habeatur iure territorii? Itē, An conceſſo aliquo caſtro, ſiue alio præſidio intelligatur etiam iuriſdictio & merum imperium eſſe conceſſum? Item, An merum imperium non ſolū mandari: ſed etiā prorogari in alterum poſſit? quæ omnes queſtiones, ſi ius Romanum ſpectes, abſurdiſſimæ ſunt, ſed noſtris moribus, & vtiles, & neceſſariæ. Igitur vt dixi diligenter hæc diſtinguēda ſunt vt intelligatur, quid nam hodie ex iure veteri maneat, quid abſoluerit, quid denique noui in Rempub. inductum ſit.

CA-

CAPVT XIX.

Ius gladii lege etiam ſpecialiter dari priuatis.

IN hac quæſtione perpetuo nobis intuenda eſt illa veterum definitio: Iuriſdictionem, id eſt ciuilium cauſſarum cognitionem magiſtratui competere iure Magiſtratus. At gladii ius ſiue merum imperiũ nemini competere, niſi cui id lege, vel SCto vel conſtitutione Principum tributum eſt, ſiue ſit Magiſtratus, ſiue priuatus. l. 1. de off. eius. l. aliud eſt fraus, in fi. ff. de V. S. Quod olim veteri Reip. frequentiſſimum erat, cum quæſtiones de ſingulis criminib. publicis ſæpe mandarentur à populo hominibus priuatis, qui vulgo Quæſtores parricidii dicebantur, quorum & L. 12. tab. meminit l. 2. §. & quia. ff. de or. iur. Quibus ſimiles regum temporibus erant Duumuiri perduellionis. De quibus Liuius & alii ſcribunt in iudicio illo nobili de capite M. Horatii, qui ſororẽ interfecerat. Parricidii autem & perduellionis nominibus ad terrorem vſi videntur, neque enim cædem ſolum, ſed omnia alia ſcelera ſic vocabãt. Vnde generaliter à Pomponio illi Quæſtores dicuntur, *rebus capitalibus præfuiſſe*: vel ſic per Excellentiam quandam appellabantur, ſicut merum imperium ab Vlpiano dicitur, eſſe *Ius gladii*, l. 3. ff. de iuriſdict. Nimirum à potiſſima & maxima parte meri imperii finitione ſumpta. Quo iure Romani vſi ſunt, vſque ad tempora L. Corn. Syllæ Dictatoris, qui primus vel certe poſt Piſonem quæſtiones rerum capitalium perpetuas fecit, Prætoribuſq; attribuit ſingulas fere ſingulis,

vt vnus eſſet Prætor, qui de ſicariis, alius qui de veneficiis, alius qui de parricidiis, alius qui de falſis quæreret l. 2. §. capta. ff. de orig. iur. Non ſolus tamen Prætor iudicabat, ſed cum conſilio, in quo i pſe prætor primum locum obtinebat, ſecundum i qui Iudex quæſtionis dicebatur, quaſi quidã Princeps iudicum: Tertium autem ipſi Iudices. peſſime Budæus in annot. ad Pand. iudicem quæſtioni cum prætore confundit. Male etiam Cuiacius noſter, Iudicem quæſtionis priuatum fuiſſe ſcribit Fuit enim Magiſtratus, vt docet Carol. Sigon. lib 3. De iud. c. 1. Neque obſtat, quod à magiſtratu diſtingui videatur in l. 1. ff. ad L. Corn. de falſis. Diſtinguitur enim à Prætore, qui per excellentiam, qui totius iudicii capitalis quidam moderator erat Magiſtratus dicitur. Quamquam autem quæſtiones vt dixi, perpetuæ à Sylla factæ fuerunt: non tamen minus propterea verum fuit, merum imperium lege ſpecialiter dari. Nam & illi prætores e Legibus Corneliis, ſortiebantur eas quæſtiones & iure earum legum eas exercebant. Vnde apud Tacitum *exercere leges* dicuntur. Quare nec mandar eas alteri exercendas poteſt is, cui obtigerunt iuxta definitionem Papiniani in l. 1. ff. de off. eius. Qu definitio & quod ius perpetuo manſit, & adhu manet noſtris temporib. ſicut & ille mos, quo pri uatis etiam hominibus merum imperium inter dum datur, prout Principi ſummo placet. Neq; i gitur in Repub. ſolũ Romana poſt leges illas Cornelias vſitatum fuit, vt apparet ex iudicio Miloni de cæde Clodii, cuius quæſtio non prætori, ſed ex tra ordinem Domitio data fuit à Pompeio Coſ. ſe et iam Repub. in vnius dominatum conuerſa ſæp

legimu

legimus ab Imperatore priuatis hominibus cauſas capitales delegatas eſſe, vt in Suetonii Tiberio, vt in Epiſtolis Plinii. Sed & poſtea Rom. imperio cadente idem mos retentus eſt: Iudices enim ab Imper. etiam in capitalib. dari conſueuerunt, priuati homines qui in legibus Caroli Magni appellãtur Miſſi, hodie vulgo Cæſarei commiſſarii, quorũ in cauſis ſibi commiſſis, maxima eſt poteſtas, maximaq; dignitas l. vnica. C. qui pro ſua iuriſd. l. minor autẽ §. ſi. d et ſi. ff. de minor. De quibus etiã multa Andr. Gail. lib. 1. obſeru. tradit. Nollem Zaſium cum Quæſtoribus illis parricidii, de quibus dixi, comparare Bariſellos noſtri temporis, viliſſimos homines ac lictorũ duces ac capitaneos; de quib. Baldus ſcribit, omnẽ arborem in mundo eſſe eorũ territorium, ſignificans eos in agris & ſolitudine repertos maleficos ſtatim de quauis arbore poſſe ſuſpẽdere. Melius comparauiſſet eos cũ Triũuiris capitalibus qui animaduerſionẽ habuerũt in viles perſonas & vagabundas, quorumq; opera ſuppliciũ de reis ſumebatur; vel cum iis qui Latrunculatores olim dicti, id eſt, perſecutores furũ & ſimilium perſonarũ, quos tamen Imperator Iuſtinianus Nou. 8. ſuſtulit: quod nimis graues eſſent hominib. prouincialib. dũ ab eis extorquent hoſpitia, & alia multa; quod idem Zaſius alio loco notandũ eſſe dicit propter nuntios & tabellarios Cam. Imperialis, qui eadem contra ius extorquere ſoleãt. Talis ab eodẽ Iuſtiniano in Nou. 80. creatus eſt in vrbe *Quæſtor plebis*, data ei poteſtate puniendi, non ſolum homines viliores, & vagos, ſed etiã otioſos, qua in re imitatus videtur Solonis & Draconis leges, quibus ἀργείας δίκη, id eſt, ignauiæ accuſatio conſtituta fuit, apud

Areopagitas non ſecus atque in aſotos & luxurioſos. Sed illa Iuſtiniani conſtitutio nō ad omnes otioſos pertinere exiſtimanda eſt, ſed ad pauperes tantum otioſos, & quos validos mendicantes Conſtitutiones Codicis vocant, ſicut vice verſa quod apud Athenæum eſt pœnas in Areopago luiſſe τοὺς μὴ ἐκ περιουσίας ζῶντας, recte doctiſſimus Caſaubonus adcipit de iis, qui ſimul & pauperes & otioſi eſſent: alioquin abſurdum & ſæuum eſſet, paupertatem ſolam puniri. Confectum eſt igitur merum imperium ſpecialiter dari etiam priuato, quod & de alio Imperio dicendū eſt, puta militari. Id enim Cn. Scipioni in Hiſpania, Pompeio contra Sertorium, Octauiano cōtra Antonium priuatis hominibus datum fuit. Atq; ita Feſtus etiam cum Imp. magiſtratum eſſe dici ſcribit, non qui magiſtratu fungitur, ſed cui nominatim populus imperium dedit, etiamſi ſit priuatus. Ordinariū imperiū eſt, militare, quod magiſtratui datur: Extraordinarium quod priuato, de quo videndus Cicero Philipp. 11.

CAPVT XX.

De magiſtratibus quomodo merum imperium ſpecialiter iis tribui aut dari dicatur.

POſtquam Reſpub. Cæſarum dominatu teneri cœpit, ſolus princeps vt aliarum rerum omnium arbitrium L. Regia adeptus l. 1. ff. de conſtit. ſic & hoc ius gladii. Quare Imp. Vitellius apud Tacitum li. 3. Hiſtoriarum, cum abire imperio metu Veſpaſiani vellet, *adſiſtenti Conſuli* (inquit Tacitus) *exolutum à latere pugionem, velut ius necis vitæque ci-*

uium

uium reddebat. Ita autem inſtitutum ab Imper.fuit, vt exceptis perſonis quibuſdam ſplendidioribus, de quibus fere ipſe vel ſenatus iudicabat, ius gladii & merum imperium præfecto vrbi tribuere, & in vrbe ipſa, & vſque ad centeſimum lapidem. l. 1. ff. de off. Præf. vrb. In prouinciis autem, earum præſidibus l. ſolent ff. de off. proc. l. illicitas. §. qui vniuerſas. ff. de off. præſid. Et ſupra omnes, & vbique præfecto prætorio, qui propterea etiam gladium ipſum Imp gerebat. Illud explicatione diligenti eget, qua ratione dicatur merum imperium ſpecialiter tribui lege vel conſtit. principis. Multis enim modis id intelligi poteſt, vel ſimpliciter merum imperium nominando, & deferendo, vel ratione criminum, vel pœnarum, quæ ſpecialiter nominantur, & exprimuntur, vel ratione Magiſtratus cui merum imperium, id eſt, criminum executio datur. Et hoc rurſum dupliciter, vel enim ſimulac creatus quis eſt magiſtratus, puta, præfectus vrbi, vel præſes, cenſetur etiam illi vna merum imperium eſſe conceſſum; vel in ſingulis perſonis, quibus is magiſtratus tribuitur, conſtitutionem ſpecialem de ea renouari oportet. Et animaduerto omnibus his modis verbum illud ſpecialiter in definitione Papiniani adcipi poſſe in d. l. 1. ff. de off. eius. Primum igitur ſi cui merũ imperium ſine vlla criminum expreſſione, defertur, omnium criminũ executionem ſibi vendicabit, niſi alicuius criminis executio ſpecialiter & nominatim alii Magiſtratui data ſit. Tunc enim is ſolus cognoſcet, & exequetur. Vt hic quoque locum habeat illa regula: In toto iure ciuili generi per ſpeciem derogatur. E. G. Conſtitutione D. Claudii poſterioris, cognitio ad-

uerſus patrocinia potentiorum, quibus tenuiores homines ſæpe opprimuntur, tributa eſt ſpecialiter Rectori, id eſt Præſidi prouinciæ. Quare ſolus ipſe de eo iudicabit, etiamq; aduerſus eos, qui alias ipſius iuriſdictioni & imperio exempti ſunt, puta, Senatores & clariſſimos viros. l. vnica. C. ne vit. pot. Nou. de mand. pr. §. patrocinii. *Nec metuas,* inquiũt Imperatores in d. l. vn. in fine. *ne præiudices clariſſimis viris: cum Diuus Claudius Rectorem prouinciæ huius rei diſceptatorem, &, ſi res poſtulat, punitorem ſpecialiter fecerit.* II. Ratione criminum poteſt intelligi ſpecialiter datum merum imperium, veluti ſi quis iubeatur de ſicariis, vel de veneficiis quærere, vt olim prætores. Similiter præfectus vigilum de criminibus nocturno tempore admiſſis iudicat. titul. de offic. præf. vigil. III. Ratione pœnarum. Nam etiam ſummis Magiſtratibus ſæpe interdicuntur certa genera pœnarum & animaduerſiones. E. G. præfectus vrbi omnia crimina ſibi vindicare dicitur ex Epiſtola D. Seueri l. 1. in pr. ff. de præf. vrb. Et tamẽ non omnes pœnas infligere poteſt, ſed eas tãtum, quæ ſunt ei ſpecialiter permiſſæ: quapropter poteſtatem in metallum damnandi, item deportandi nanciſci debuit, ſpeciali eiuſdẽ Seueri conſtitutione. l. aut damnum. §. præf. ff. de pœn. l. 1. §. à præfectis. ff. de leg. lib 3. Cum tamen antea haberet ius mortis irrogandæ. Sed notandum eſt in his, quæ lege ſpecialiter deferuntur, vt eſt merum imperium, nõ valere argumentationem à maiori ad minus, vel contra: neq; illam regulam iuris, cui quod plus eſt licet, ei & quod minus eſt licere. Similiter præſes prouinciæ ius mortis inferendæ, & tamen idẽ non habet ius bona confiſcandi, vel deportandi,

di, quia id ei datum non eſt l. 2. §. præſidem. ff. de pœn. l. inter pœnas. §. 1. ff. de interdict. & releg. l. vnica C. ne ſine iuſſu. Imo nec interdicere præſes poteſt vltra tempus adminiſtrationis ſuæ, ne quis arte ſua vtatur, vt reſcripſit D. Antoninus in l. vl. ff. de pœn. Quamuis poſſit in perpetuum interdicere aliquem vti negotiatione ſua l. 1. §. penult. ff. de offi. præf. vrb. l. moris. §. ſunt autē. ff. de pœn. l. prima. ff. de poſtul. nam qui interdicit arte, victu quodammodo interdicit. Pœnarum ergo genera ſpecialiter & nominatim deferri ſolent atq; exprimi. Qua de cauſa principes in mandatis quæ dant pręſidibus prouinciarum, hæc etiam exprimunt, vt ex Nouella Iuſtin. De mand. princip. aliiſq; locis iuris ciuilis intelligere licet. Atq; huc etiam pertinet illa Cæcilii Plinii (fuit proprætor Ponti, & Bithiniæ. ſed poteſtate conſulari) hæſitatio & conſultatio li. 10. Epiſt. ad Traianum Epiſt. 64. *Sicut* (inquit) *mandatis tuis cautum eſt, ne reſtituam ab alio, aut à me relegatos: ita de iis quos alius & relegauerit, & reſtituerit, nihil comprehēſum eſt. Ideo tu, Domine, cōſulēdus fuiſti, quid obſeruare velles; & quæ ibi ſequuntur.* Atque ita etiam hodie obtinet, vt nimirum Princeps aliiq; Præſidibus ſuis præſcripta & mandata tradant, quæ in pœnis obſeruent. ex d. Nou. Iuſtin. de mand. Princip. vt ſcribit Tiber. Decianus lib. 4. tract. crim. c. 2. vbi & illud addit generaliter, iudex habens merum imperiū in aliquo loco, fundatam habet intentionem, vt poſſit de omnibus delictis iudicare, niſi ſint aliqua ſpecialiter excepta, arg. d. l. 1. §. 3. ff. de off. Præfect. vrb. c. cum Epiſcop. ex. de off. ordin. li. 6. Sed hoc in delictis facile admitto; nō etiā in pœnis, eas enim ſpecialiter exprimi oportet, valetque

hæc argumentatio, qua vtitur Calliſtratus in l. vlt. ff de offic. Procur. Cæſ. cum ait: *Curatores Cæſaris ius deportandi non habent, quia huius pœnæ conſtituendæ ius non habent.* id eſt, non eſt eis ſpecialiter permiſſum, loquitur Calliſtratus de Procuratorib. Cæſ. qui vice Præſidis funguntur, atque ideo ius gladii habent, ſed ita vt ipſi Præſides. Ergo ſi ſpecialiter delatum ſit lege vel conſtitutione. IIII. *ſpecialiter* dicitur ratione Magiſtratus, in quo non eſt neceſſe vt id ad certam perſonam, & indiuiduam referamus: ſed ad ſpeciẽ Magiſtratus ipſius, veluti ſi quis præfectus vrbi creatus ſit, non eſt neceſſe nouam & ſpecialem conſtitutionem de eo ferre, ſed ſufficit prior & vetus conſtitutio, quæ ſpecialiter præfecto vrbi merum imperium dedit, vt quo iure ille primus fuit, ſint & cæteri eius ſucceſſores. Quare Vlpianus, in l. 1. in pr. ff. de off. Præfect. Vr. non dixit Prȩfectum vrbi, ſed præfecturam vrbis ſibi omniũ crimina vindicare. Atque ita etiam hodie mos eſt in Præfectis & magiſtratib. locorum creãdis, quod tamen non ita accipi debet quaſi merum imperiũ non amplius deferatur ſpecialiter, ſed iure magiſtratus competat, vt mixtum quod Iuriſdictioni cohæret. Id enim abſurdum eſt, & mirer Cuiacium hoc ſcripſiſſe ad l. 2. ff. de orig. iur. de quo poſtea.

CAPVT XXI.

De municipalibus Magiſtratibus.

MVnicipales Magiſtratus ſunt, qui in municipiis ſiue oppidis vel ciuitatibus quibuſcunq; alterius dominatui ſubiectis ex ipſo ciuium numero

numero eliguntur, & in iure noſtro opponuntur, Magiſtratibus maioribus, conſtitutis à Principe, vel eo qui dominium habet. Magiſtratuum autem horũ municipalium minima eſt iuriſdictio, & obnoxia præſidi prouinciæ. l. incola. ff. ad Munic. Duoq; eorum genera notantur: Duumuiri & defenſores, qui cognitionem habent in cauſis ciuilibus vſque ad 300. aureos, non vltra, vt alibi dictũ. In criminalibus autem nulla fere eorum poteſtas eſt. *Sæuiores* (malo, ſeueriores) *nõ exercent quæſtiones*, ait l. Defenſores nihil. C. de Defenſor. Quare Chryſoſtomus ſiue Oecumenius in c. 20. Act. Apoſt. Defenſorib. ait datam eſſe poteſtatem duntaxat in litib. tenuiorum hominum priuatis: ſed Proconſulibus ſiue Præſidib. in cauſis ditiorum, & in cauſis criminalibus τῶν πλουσίων καὶ τῶν ἀδικημάτων δίκας. Neq; obſtat quod doctiſſimi quidam viri ex Apuleio colligunt lib. 9. in fin. & lib. 10. Decuriones & Magiſtratus municipales ius gladii habere. Nam Apuleius fabulatur, & magis ea ſcribit ex more Græcorum, quam Romano, quem morẽ Græcorum ibidem citat, & exemplum L. Atticæ, & Martii Iudicii, id eſt, Areopagi. Dixi autem fere nullam eſſe eorũ poteſtatem, quia certe eſt aliqua tamen, ſed concluſa his anguſtiſſimis limitib. Primũ habent poteſtatem in ſeruos. Deinde in leuioribus tantum delictis. Tertio modicam tantum coercitionem non ſeueriorem, quæ omnia probantur ex l. Magiſtratibus 12. ff. de iuriſ. ex l. ſed ſi vnus. §. ſeruus. ff. de iniur. ex l. ſi priuatus. §. 1. ff. Qui & à quibus manum. l. item apud Labeonem. §. adiicitur. ff. de iniur. Atq; ita rectiſſime Fulgoſius, & alii in d. l. Magiſtratib. ſupplicium, quod magiſtratibus mu-

nicipalibas non licet ſumere,accipiunt non de vl-
timo tantum ſupplicio, id eſt, morte, ſed de omn
pœna grauiori. Dixi in ſeruos ex dd.legib ſed ben
& Accurſius & Ludouicus Romanus idem trahũ
etiam ad liberos cõtra Imolam in l.4.§. duas.ff.d
damn.infect.quod ego nõ aliter admitto,quam i
liberis perſonis vilioribus & vagabundis. Neq; ob
ſtat quod in Actis Apoſtol.c.16. à magiſtratibus i
vrbe Philippis Paulus cæditur cum Sila virgis: N
magiſtratus ibi interpretor præſides Prouinciæ,v
præſidem,ſicut cap.19.eorundem Actor. dicuntu
proconſules. Deinde Chriſtiani olim homines pr
viliſſimis capitibus habebantur, & ſeruilib. omni
bus ſuppliciis afficiebantur. Cęterum hodie & qui
dem ex iure Iuſtinianeo in Nou. de defenſoribu
§.audient quoque.in pr.ita receptum eſt, vt magi
ſtratus municipales, habeant in leuioribus crimi
nib.aliquam animaduerſionẽ, ſed modicã etiã i
perſonas liberas:quod ſi grauiora ſint crimina, tũ
debent delinquentes capere, & in carcerem con
iicere, eoſque cuſtodire vt poſtea ad præſidem ſ
ue maiorem magiſtratũ puniendi remittantur
§.audient. & arg. l. ſi quis filio.§.eius.ff.de iniu
rupt.Et hoc quotidie fieri in Germania,ait Zaſiu
& in villis & vicis ad id haberi carceres: non quo
ibi quemq; iudicet, ſed ſeruatum remittant ad ſu
periorem magiſtratum:additque Zaſius hoc feciſ
ſe etiam Iudæos Chriſto, quod Goueanus in d.
magiſtratib. de iuriſd. pluribus verbis explicauit
nimirum Iudæi vel ciuitatis Hieroſolymitanæ ma
giſtratus municipales ius gladii non habebãt, ita
que Pilato dixerunt, Non licere ſibi in Chriſtũ a
nimaduertere;ſed à ſe tamen captum Pilato tradi
derun

derunt. Ita etiam legimus apud Cyprianum libr. 3. Epiſt. de Chriſtianis quibuſdam, qui cum violentiam magiſtratus municipalis viciſſent, poſtea remiſſi ad Procoſ. cum grauioribus pœnis excruciarentur, vi tormentorum ſubactos defeciſſe.

CAPVT XXII.

De ciuitatibus liberis.

IVre Romano & more illius imperii, nullæ tales in imperio ciuitates erant, quas hodie in Italia & Germania plurimas maximaſq; videmus, quę & liberæ ciuitates adpellantur & Reſpublicæ: Cũ iure Romano, vna Roma excepta, omnes ciuitates quantumuis magnæ & opulentæ priuatorum loco habeantur. l. bona & l. eum qui. ff. de V.S. Nec tam vrbes & ciuitates, quam municipia & oppida vocentur, vt Cæſar appellat Alexandriam totius Orientis maximam vrbem, oppidum. Hinc eſt, quod omnium illarum ciuitatum, vtpote ſubditarũ magiſtratus, ex ciuium numero electi communi duntaxat nomine & iure magiſtratuum municipalium cenſeantur, quorum eſt minima poteſtas, vt mirer doctos viros ex illis argumentari hodie ad ciuitates liberas vel imperiales: Item municipia vetera ab Accurſio & aliis hodie comparari villis viciſq;: quamuis non negem tam tenuem illorum olim magiſtratuum fuiſſe iuriſdictionem, quam ſæpe eſt hodie villarum. In cæteris autem plurimum differunt. Illa ſententia Doctorum inprimis notanda eſt de ciuitatib. Italiæ ſiue Rebuſpublicis, quales olim plurimæ fuerunt, nunc pauciſſimæ ſunt, eas tantum poſſe in ſuo populo ac territorio,

quantum Imperator in ſuo imperio: neque aliter de tali ciuitate, quam de ipſo principe & Cæſare iudicandum eſſe. author eius ſententiæ Bartolus in l. infamē. ff. de publ. iudic. quæ cæteri vulgo ſequuntur, quos refert eruditiſſimus Andreas Geil. lib. 2. obſeruat. 57. vbi idem de liberis Germaniæ ciuitatibus videtur, adfirmat. Et ſane cum aliis maximis & ampliſſimis priuilegiis ab Imperatorib. ſunt donatæ, tum hoc, de quo loquimur, iure gladii: quod per vexillum vel chirothecam aliamue ſimilē inueſtituram conferri conſueuit: vt mihi quidem iure videātur cū Rebuſpubl. Italicis cōparari. Quod & grauiſſimus prudentiſſimuſque hiſtoricus Franciſcus Guicciardinus ſignificat libr. 7. hiſtoriar. 2. vbi ſic liberas Germaniæ ciuitates deſcribit, Recognoſcere eas quidem certis & definitis quibuſdam penſionibus authoritatem Imperii: cæterum ipſas ſuis fere moribus ac Magiſtratibus gubernari: neque tam ſtudere territorio amplificando, quā libertati ſuæ conſeruandæ. Merum autem, de quo loquimur, imperium etiam nomine Cæſaris plæræque omnes, vt intelligo, exercent, nimirum per prætores ac iudices, quos vocant Cæſareos. quos tamen aliquæ ciuitates ipſæ ſibi creant, nec à Cæſare accipiunt, idque ſingulari priuilegio. cuiuſmodi ciuitates puto Zaſium intelligere, in l. 3. ff. de iuriſdict. vbi ait, Defenſores ciuitatum, de quib. proximo capite dixi, non habere merum imperium: additque hęc verba, De ciuitatib. tamen imperii quę ſuperiorem non recognoſcunt aliquādo aliud eſt, ex priuilegio tamen, inquit. Scio, pręter priuilegia, etiam conſuetudinem & præſcriptionem ab Italię ciuitatib. præſertim Lombardiæ allegari olim conſueuiſſe

ſueuiſſe in tranſactionibus & contentionibus Imperatorum. Quam earum libertatem & quæ iura ſpecialiter etiam confirmarũt deinde Imperat. Frider. & Henric. eius filius, vt videre eſt in extrau. de pac. Conſt. in vſib. Feud. Bart. ad l. 1. ff. de dam. inf. Panorm. in c. quod ſedem. ext. de off. ordi. & Brun. Conſ. 47. in pr. vbi ait, omnes ciuitates Italiæ ex pace Conſtantiæ facta cum Frider. & Henric. 1180. merum imperium & ſuum Præſidem habuiſſe. Quare ſuperflua mihi hodie videtur illa interpretum noſtrorum quæſtio, an potuerint illæ ciuitates merum imperium præſcribere? De qua cũ alii, tum Iaſon in d.l.3. ff. de iuriſd. vbi varias Dd. diſtinctiones affert. Sed profecto hæ rationes è iure ciuili præſertim priuato petitæ in cauſſis regnorũ & populorum non habent multum ponderis, ſed factiones, & priuilegia potius & fœdera, & ſæpiſſime ius armorum præualent ac præpollent.

CAPVT XXIII.

De Ducibus, Marchionibus, Epiſcopis, &c.

TRanslato ad Francos imperio, vt Reipublicæ forma mutata eſt: ſic etiã multa ſunt in iure iſto meri imperii & iuriſdictionis innouata. Cũ Carol. Magnus cæterique Imperatores nouas dignitates in Remp. conſtituerint, ipſaque etiam Maieſtatis iura, quæ vulgo iura ſuperioritatis & eminentiæ vel Regalia adpellantur, cum aliis cõmunicare cœperint, non ſolum ſingularibus perſonis, ſed etiam ciuitatibus atq; Eccleſiis, vnde illa nomina Ducum, Comitum, &c. qui cum antea

magiſtratus & præfecti tantum eſſent imperiales, poſtea Domini & principes, earum regionum quibus præſidebant, eſſe cœperunt, eaſque ad hæredes ſuos tranſmiſerunt. Hinc eſt quod ius gladii, & meri imperii, non tãquam mandatum, & alienum, vt magiſtratus, ſed tanquam ſuum & iure Dominii, & hæreditatis obtineant, ipſique in ditionibus ſuis creent magiſtratus, quibus ius gladi exercendum committunt, quod olim Principis, id eſt, Cæſaris tantum fuit. Idem dicendum eſt de Epiſcopis aliiſque Eccleſiaſticis præſertim poſt Imper. Ottonem Magnum ſiue primum, qui Eccleſiæ maximas ditiones & iuriſdictiones etiam ſecularib. in reb. cõceſſit, vt Theodoric. de Nihem in lib. de priuileg. & iur. Imp. teſtatur. Iuriſdictio autẽ, quæ iure feudi habetur, vel ſola in feudum alicui cõceditur, vel vna cum territorio aliquo iuriſdictio per ſe ſola & ſine feudo datur à lege vel principe, magiſtratibus, l. & quia ff. de iuriſd. Vel etiam priuatis, puta, Doctori in Academiis Auth. Habita C. ne fil. pro pat. Sed talis iuriſdictio non eſt ea, quam dico in feudum dari. Eſt enim ordinaria & communis, & quę iure magiſtratus, vel legis, non feudi, habetur. At iuriſdictio in feudum data ea intelligitur, quæ in aliquo loco alii conceditur ſine dominio & fructu vllo eius loci. non tamen ſine fructu iuriſdictionis. Nam & fructus iuriſdictionis in emptionem venire poſſe conſtat, vt & alia iura incorporalia, veluti, decimas, quæ etiam omnia in feudum dari poſſe Zaſius ſcribit de feud. part. 4. Sicuti & in pignus iuriſdictionem dari, legas etiam apud Krantzium lib. 12. Metropol. cap. 15. *Iudicium*, inquit, *& iuriſdictionem tenuere ab Epiſcopo, nec requiſiti redemptionem*

ſine-

ſinebant. Imo cum aliquod prædium vel caſtrum venditur cui hæret iuriſdictio, ſolere Zaſius ait fructus etiam iuriſdictionis æſtimari, veluti mulctas & pœnas futuras, eoque carius vendi caſtra ſcribit in l. imperium. circa princip. ff. de iuriſd. Quod ipſe tamen valde improbat, quaſi hoc modo fiat, vt aduerſi caſus hominum, & mala fortuna, id eſt pœnæ ex delictis futuris expectentur, & vendantur. l. inter ſtipulantem. §. ſacram. ff de V. O. Quod mihi aliter videtur. Delicta enim erunt, quam diu homines, vt ille apud Tacitum ait. Hinc illa quæſtio apud Doctores, an ſi reditus annuos iuriſdictionis fiſcalis duo emerint, vnus primi, alter ſecundi, & maleficium aliquod ſub anni primi finem commiſſum ſit, ſed condemnatio ſequenti anno fiat, ad vtrum eorum pœna pertineat. Baldus & alii in l. diuortio. §. ſi fundum. ff. ſol. matrim. Huc pertinet etiã quod idem ſcribit. ext. de iudic. Si princeps alicui, puta, nobili cõcedat iuriſdictionem pro certo cenſu annuo, eam cõceſſionem ſiue iuriſdictionem ad hæredes eius tranſire. Atque hæc de iuriſdictione ſola per ſe in feudum data ita mihi videntur. Cęterũ frequentius eſt præſertim in Germania, vt iuriſdictio & merum imperium in feudum vna detur cũ prædio, puta, caſtro vel territorio. Sed quid ſi nihil exprimatur de iuriſdictione, an ea quoq; tacite conceſſa videatur? Nulla eſt quidem iuriſdictio, quæ cohæreat prædio ſiue iuriſdictio prædiatoria, vt ſcribit Bodinus libro 3. de repub. cap. 5. Et nimis inepte Baldus & alii eum ſecuti, illa verba l. vlt. Cod. vbi & ap. quem cognit. in integ. reſtit. *qui certa adminiſtrationi, cui & iuriſdictio adhæret, præpoſiti ſunt*, interpretãtur de territorio, quaſi ei cohæreat

aliqua iuriſdictio:cum Iuſtinianus intelligat aper
tiſſime Magiſtratum ſiue curationem certã Reip
quæ Iuriſdictionem adiunctam habeat. Cæterun
mores noſtros,& ius Longobard. & feudale intu
enti, probatur illa mihi Bartoli diſtinctio in l.in
ter eos. ff. de adquir. rer. dom. vt ſi Caſtro vel ali
prædio in feudũ conceſſo,fuerat anteà iuriſdictio
& merum imperium adnexum,tum & hæc ſimu
tranſire,& conceſſa videantur: Contrà ſi non fue
rit adnexum.Quod autem Præpoſitus in c.1.§. it
ſi quis,tit.quibus mod.feud.amit. indiſtincte ſcri
bit venire in dubio iuriſdictionem,id verum putẽ
ſi prædium conceſſum ſit nomine aliquo imperii
ſignificante,puta territorii,vel diſtrictus,vel comi
tatus,quod verbum à comminando,deducit. Ot
to Friſing.lib.2.cap.13.De reb.geſt.Frid.I.Sicut ter
ritorium à terrendo dicitur l. pupillus. §.territori
um.ff.de V.S. Vbi idem de verbo,Diſtrictus,nota
Cuiac.ex Iuliano Anteceſſore: itemque Alciatus
cui ſimile eſt vocabulum *Centa*,in Franconia,& in
vicinis locis. Eo enim verbo ſignificatur, capitaliũ
criminum coercitio,id eſt, merum imperium, v
late explicat vir doctiſſimus And. Knichen in lib
De iure territorii.c.4.Hæc igitur nomina, quæ iu-
riſd.& imp.ſignificant ſi vſurpentur,non mirum ſ
vna etiam merum imperium translatum intelliga-
tur,ne dum iuriſdictio:quanquam de mero impe-
rio,& iure gladii grauior dubitatio apud Doctores
eſſe ſoleat,vtpote,cum merum imperium ſpeciali-
ter & nominatim deferri lege oporteat. l. 1. ff.de
off.eius.Adeò quidem,vt quæſitum eſſe ſciam, an
ſi iuriſdictio concedatur etiam & nominatim ex-
primatur,eo nomine veniat etiã merum imperiũ,
& com-

& communis ea ſententia eſt, vt non cenſeatur cōceſſum, niſi dictum ſit conceſſione feudi *iuriſdictio omnimoda, vel pleniſsima*, arg. l. ſi in aliam §. cum omnium ff. de off. Proconſ. c. 1. & ibi gl. ext. de foro compet. Sed ſtulte iidem dicunt, non idem ius eſſe, ſi verbum, *Omnis*, vſurpatum ſit. Nihil enim omnis ab omnimoda differt. Meli⁹ Cuiac. qui ex Valentiniano verbum, omnis, ait peremptorium eſſe, id eſt omnia complecti, nec quenquam ab eo excipi. Et ob id vendita curte, vel prædio cum iuriſd. omni venire, imperium etiam merum ſcribit rectiſſime lib. 4. feud. tit. 19. in fi. Nam & iuriſdictionis verbo, merum imperium ſignificatur, vel continetur. l. 1. ff. de iuriſd. eius. Recte etiam Matth. Weſemb. in conſ. 95. illis verbis Germanicis, mit Gerichten / etiam merum imperium conceſſum videri docet: quod & ex eo cōfirmari poteſt, quod iuſtitia & iuſtitiare apud Germanos ſicut apud Italos, Gallos & Hiſpanos pro animaduerſione & ſupplicio ſumitur, quod eſt meri imperii. l. 3. De iuriſd. Similiter vt Græcis, teſte Cicerone in Verr. 7. Abi ait: Siculos in ratione carceris literiſque publicis vti ſolitos verbo Ἐδικαιώθησαν, id eſt, vt ipſe interpretatur, *ſupplicio adfecti & necati ſunt*. Atque hæc hactenus de iuriſdictione & imperio mero, quod conceſſione feudi adquiritur. Eſt & alia iuriſdictio, quæ peculiariter dicitur feudalis: Eaque locum habet duntaxat inter vaſallos ſiue in cauſis tantum feudalibus, in quibus ſenior, id eſt, dominus, & Pares curiæ, iudices cōpetentes ſunt tit. 55. §. præterea lib. 2. Feud. & cap. 1. ext. de for. compet. Exceptis paucis & ſupremis illis feudis: De quibus ſolus Imp. cognoſcit. Gail. lib. 1. obſer. 29. Sane ſi

Dominus ſit Rex, aut alius princeps, plerumque in Vaſallos habet merum quoq; imperium etiam extra cauſas feudales, ſed non tam vt Dominus feudi (vt opinor) quam iure magiſtratus ſiue poteſtatis ſupremæ, vt notat. in clem. paſtoralis. de re iud. Andr. de Iſern. in c. 1. Quid ſit inueſt. & in c. imperialem, §. præterea. ſi inter duos.

CAPVT XXIV.

Quatenus cui competat merum imperium.

NVnc ad magiſtratus & ius ciuile redeamus. multos enim habere legib. vel conſtitutionib. principum merum imperium diximus: quod nõ ita intelligendum eſt, quaſi omnes idẽ habeãt vel eodem modo. Certi ſunt fines ac termini præſcripti, intra quos vniuſcuiuſque poteſtas coercendorum criminum contineatur. Primum enim extra prouinciam vel territorium ſuum nemo imperium habet. l. vlt. ff. de iuriſdict. cum ſimil. Deinde etiam in ſuo territorio non in omnes paſſim homines, alii ſunt, qui in milites, alii qui in prouinciales vt olim Proconſules, qui pleniſſimã habere poteſtatem, & iuriſdictionem in prouincia dicuntur tantumq; poſſe, quantum omnes magiſtratus Romæ. l. ſi in aliam. §. fin. & l. ſeq. ff. de off. proconſ. iidem tamen nec militis puniendi, nec militaris veſtis ferendæ, nec gladio ſe adcingendi ius habuerunt, niſi ſi quib. id ſpecialiter à principe eſſet permiſſum. vt præſides, id eſt legati Cæſaris habuerũt Qua de re Dio libr. 53. videndus. Ex nouella autem Iuſtiniani 8. omnes prouinciarum præſides etiam

iam in milites imperium obtinuerunt in cauſis criminalibus. Iampridem enim obſoleuerat illa prouinciarum ab Auguſto facta diuiſio, vt aliæ Cęſaris, aliæ populi vel ſenatus eſſent. Similiter hodie de Clericis ſoli Eccleſiaſtici iudices cognoſcunt & iudicant. c. cũ non ab homine, & ibi Alciatus. ext. de iudic. quod & ſupra expoſitum. Idem in criminib. licet obſeruare. E.G. Præfectura vrbi vindicaſſe ſibi dicitur omnium criminum cognitionem. l. 1. in pr. ff. de off. præf. vrb. Cæteri magiſtratus vel poteſtates non item. veluti Præfectus vigilum de furtis & incendiis noctu admiſſis cognoſcebat. Capitolinus in Marco: Dedit præterea curatoribus regionum & viarum poteſtatem, vt vel punirent, vel ad præfectũ vrbis puniendos remitterent eos, qui vltra vectigalia quicquã ab aliquo exegiſſent. Sed hæc copioſius à nobis in libris de foro competenti explicata ſunt Nunc de pœnis illud moneamus, in iis maxime naturam imperii huius elucere: neque enim omnes pœnas ſumere cuiuis merum imperium habenti licet, ſed hic in primis obſeruatur illa ſententia, quæ ad merũ imperium pertinẽt, ea niſi omnia ſpecialiter lege tribuantur, nemini competere omnia, neq; hic argumentum valere à maiori ad minus, vt eleganter ſcribit Cuiacius in Nouella 174. & in l. 6. §. eius qui deportatur. ff. de iniuſt. rupt. irr. teſtament. Hinc eſt, quod cum præſes ius gladii, & in metallum damnandi habeat, tamen non habeat ius deportandi, niſi princeps cui ſcribere debet, ſententiam eius adprobauerit. l. 6. §. qui in vniuerſas. Digeſt. de off. Præſid. l. inter pœnas. §. præſides. ff. de pœn. Dixi ſupr. 2. cap. Facile autem id cognitum fuit quam quiſq; in pœnã irro-

gare poſſet, ex mandatis Principum quæ præſidib. prouinciarum dari ſolebãt. Quod & hodie obſeruari Doctores noſtri tradunt, iuxta Auth. Iuſtin. De mand. princ. Olim & multa alia in iis mandatis continebantur, omniſq; vt videtur ratio diſciplinæ atq; imperii deſcribebatur, vt haberent quaſi commentarium quoddam & admonitorium rectionis. Sicut Plutarchus olim ſcripſerat ſimilem librum, cui titulus ὑποθετικὸν ἢ περὶ τῆς ἀρχῆς, id eſt, Admonitoriũ, ſiue de imperio, niſi forte fuerit cõmentarius aliquis ad Imperatorẽ de rationib. & arcanis imperii. Cuiuſmodi commẽtarium reliquit Tiberio Auguſtus, quæ & diſciplina, & inſtitutio appellatur, vnde & inſtituta Principum ſæpe alia, quam mandata Principum, de quibus hic agimus, quæ ſignificat ſine dubio Suidas cum κομμονιτοριὸν interpretatur, ἐπιστολὴν πρακτικὴν ἀποστελλομένην εἰς χώρας. Vnde Pragmaticarum, quas vocant, conſtitutionum nomẽ. Hodie iure feudario Pares curiæ de nullo crimine vaſalli ſic cognoſcũt, vt aliã vel maiorem irrogare pœnam damnato poſſint, quã feudi ademptionẽ, veluti ex adulterio commiſſo cum vxore ſenioris c. 1. §. item ſi fidelis. Quib. mod. feud. amitt. Pœnã adulterii legitimam, non ipſi infligunt, ſed magiſtratus & iudices ordinarii. Et ratio eſt, quia apud Feudarios iudices de nullo delicto agitur, niſi quatenus felonia & ingratitudo aduerſus dominũ arguitur: vel quia tale ſit crimen, ob quod honeſte cõparere in curia Domini vaſallus non poſſit, veluti, ob inceſtum, vel parricidiũ d. c. 1. §. ſimiliter. Zaſius par. 10. ca. 19. de Feudis. Olim apud Romanos iure cliẽtelari, cui feuda comparari ſolent, nulla iuriſdictio in clientes

patrono

patrono fuit. Illud poſtremo hic annotabo, interdũ in procuratione certæ rei merum ac ſummum imperiũ in omnia permitti. Sicut Pompeio, cũ frumenti procuratio delegata eſſet lege. 1. De quo ſic Plutarchus vere atq; ſuccincte in Apophthegm. Romanis: ἀποδειχθεὶς λόγῳ μὲν ἀγορᾶς ἐπιμελητὴς, ἔργῳ δὲ γῆς καὶ θαλάσσης κύριος. Ait verbo, annonæ Præfectum eum creatum eſſe: quod intelligendũ eſt de cauſſa & nomine curationis illius: ceterũ & dominatum illum ſiue potius ſummum imperiũ maris & terræ ſpecialiter quoque ei lege datũ fuit, nec aliter habere potuiſſet. Sed harum rerum cognitio non eſt à Græcis exigenda. Sic Germanico Cæſari apud Tacitum li. II. Annal. *Maius imperium quoq; adiiſſet, quam his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent prouincias, datum fuit.* Atq; ita cum extra ordinem ſummum imperium alicui mandatur, etiam meri imperii partes mandatæ cenſentur, licet nihil ſpecialiter de eo exprimatur: vt in Senatuſconſulto vltimi temporis, Darent operam Coſſ. &c. de quo Salluſtius, & alii.

CAPVT XXV.

Merum imperium mandari non poſſe. ad l. 1. ff. de off. eius.

QVÆCVNQVE *ſpecialiter lege vel Senatuſconſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur mandata iuriſdictione non transferuntur. Quæ vero iure magiſtratus competunt mandari poſſunt. Et ideo videntur errare magiſtratus, qui cum publici iudicii exercitationem habeant lege vel Senatuſconſulto delegatam (veluti L. Iulia de*

adulteriis, & ſi qua ſunt aliæ ſimiles) iuriſdictionem ſuam mandant. Huius rei fortiſsimum argumentum, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur, vt is cui obtigerit exercitio poſſit eam ſi proficiſcatur mandare. non aliter itaque mandare poterit, quam ſi abeſſe cœperit: cum alias iuriſdictio etiam à præſente mandetur. Et ſi à familia dominus occiſus eſſe dicetur, cognitionem prætor, quam ex Senatuſconſulto habet, mandare non poterit. §. qui mandatam iuriſdictionem ſuſcepit proprium nihil habet: ſed eius, qui mandauit iuriſdictione vtitur. Verius eſt enim more maiorum iuriſdictionem quidem transferri: ſed merum imperium quod lege datur, non poſſe tranſire. Quare nemo dicit, animaduerſionem legatum Proconſulis habere mandata iuriſdictione. Paulus notat: & imperium quod iuriſdictioni cohæret, mandata iuriſdictione tranſire verius eſt. Hæc eſt illa nobilis l. 1. ff de off. eius, cui mand. eſt iuriſd. ex magni Papiniani libro primo Quæſtionum. Ad quam notare quædam placet antequam ad eius quæſtionis explicationem accedam. Ait Papinianus, *ſpecialiter tribuuntur*, hoc eſt, nominatim, ſigillatim, vt ſupra expoſui: non, in priuilegium quoddam maioribus magiſtratibus, vt vulgo exponunt, ita vt minoribus denegentur: nam & infimis poteſt lex vel SC. vel princeps tribuere merum imperium, ſed & priuato. Et viceuerſa poteſt aliquis ſummus eſſe magiſtratus, nec tamen merum imperium habere: veluti Prætor vrbanus. Ait, *quacunque:* non tantum iudiciorum publicorum quæſtiones, de quibus principaliter Papinianus agebat: ſed & aliæ priuatæ & pecuniariæ, ſi quæ ſunt, quæ ſpecialiter lege vel Senatuſconſulto tribuantur, veluti, tranſactio de alimentis, tutoris datio, conſilii exercitio,

citio, & ſimiles, de quibus primo libro diximus. Ait, *tribuuntur*, non dicit, competunt, vt infra. nam proprie dicitur alicui competere quod ſuo iure ei licet, vt paulo poſt *iure magiſtratus*, ait. Sed tamen & ea, quæ ſpecialiter tribuuntur, vt merum imperium, competere interdum dicitur, beneficio ſcilicet & iuſſu legis, vt in l. aliud fraus. in fin. Digeſt. de verb. ſignif. & in l. muto [illegible]tutoris. ff. de Tutel. ei ſoli competit tutoris datio, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel SC. vel princeps. Similiter, præfectura vrbi ſibi vindicare omnia crimina dicitur in l. prima, Digeſt. de off. præf. vrb. ex conſtitutione Seueri, & aliorum Principum. Ait, *mandata iuriſdictione non transferuntur*. addendum eſt, nec mandari poſſunt: vt mox loquitur: in tota enim hac lege hæc promiſcue vſurpat, mandari, transferri, tranſire mandata iuriſdictione. Ait, *quæ vero iure magiſtratus competunt*; ea ſunt omnia quæ ad priuata iudicia pertinent, quæque olim iuriſdictionis nomine appellabantur: de quibus libro primo. Ait, *& ideo videntur errare magiſtratus*. Errant ſine dubio: & ideo facere id eos non oportet. Vlpianus: *Solent Præſides in carcere continendos damnare, aut vt in vinculis contineantur. Sed id eos facere non oportet, nam huiuſmodi pœnæ interdictæ ſunt*. l. aut damnum. §. ſolent. ff. de pœn. Interdum magiſtratus, qui contra legem iudicaſſe videntur, excuſantur à Iuriſconſultis, reddita aliqua ratione. vt Trebius Germanus à Martiano, quod contra Senaſconſultum ſupplicium de impubere ſumi iuſſiſſet. l. excipiuntur. Digeſt. de SC. Sillan. Ait, *qui cum publici iudicii habeat exercitionem lege vel SCto delegatam, veluti lege Iulia de*

adulterijs. Viguit igitur etiam temporibus Papiniani verus ille mos cum certæ quæſtiones prætorib. vel aliis magiſtratibus exercendę permittebantur. Vnde prætor qui de ſicariis, alius qui de adulteriis, alius qui de falſo quærebat. l. 2. ff. de orig. iur. Ait, *Delegatā*. Nota nō ſolum magiſtratum dici delegare cauſas, ſed & legem, vel SC. vel edictū. vt in l. 1. ff. de dam. infect. Ait, *obtigerat:* ad ſortē reſpicit. Ergo lex dicitur ſpecialiter deferre cognitionem, etiāſi ſorte deferatur. Ait, *& ſi quæ ſunt aliæ ſimiles*. atqui plurimæ fuerunt alię leges, quæ ſcilicet de criminibus ſanxerunt nec generaliter tantū, ſed & in certas perſonas. Tacitus li. 3. *Nā ſecutæ leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpius tamē diſſenſione ordinū, &c.* Ego puto ideo hic legem Iuliam de adulteriis quaſi ſingularem à Papiniano allegari, quod ea lege non ſolum de vniuerſo hoc crimine pœnaq; cautū eſſet, ſed etiam de iudice cui hanc quæſtionem delegarat, & conſtitutione ac proceſſu iudicii totius. Quod didicimus ex Plutarcho in Apophthegm. Augusti: Γράψας τὸν περὶ τῶν μοιχῶν νόμον ἐν ᾧ διώρισαι, πῶς δεῖ κρίνεσθαι τοὺς ἐν αἰτίαις γενομένους, καὶ πῶς δεῖ κολάζεσθαι τοὺς ἁλόντας, εἶτα προπεσὼν ὑπ' ὀργῆς τὸν ἐπὶ Ἰουλίᾳ τῇ θυγατρὶ διαβεβλημένον νεανίσκον ἔτυπτε ταῖς χερσίν. ἐκείνου ἀναβοῶντος, Νόμον ἔθηκας, ὦ Καῖσαρ, οὕτω μετωνόησεν, ὥστε τὴν ἡμέραν ἐκείνην παραιτήσασθαι τὸ δεῖπνον. Quæ idcirco Græca adpoſui, quia latinus interpres nō ſatis clare vertit, ea quæ de proceſſu & ordine iudiciario Plutarch. ſignificauit. Atq; id nimirū eſt quod adoleſcens ille conquerebatur, & exprobrabat Auguſto, qui eum manu pulſabat, atq; ordinē à ſe ea lege præſcriptū iudicii & cognitionis violaret, vel (vt eſt apud Tacitum).

tũ) clementiam maiorũ, ſuaſq; ipſe leges egrederetur; non enim ad pœnam id ſolum refero, de qua Tacitus dixerat. Similiter Pompeius in ſua lege de vi, & cęde in via Appia facta rationem omnem iudicii præſcripſit breuiorem & commodiorem teſte Pediano. Ait, *huius rei fortiſſimum argumentum eſt.* Omnes hic putant argumentum à contrario ſenſu ſignificari: quod tamen ſæpe lubricum atq; imbecillum eſſe fatentur, quare non valere id tradunt, quotiẽs lex vel ratio repugnat, aut abſurdi aliquid ex eo ſequitur. Ego potius exiſtimo argumentum ab exceptione ductũ indicare Papinianum. Adtribuerat lex Iulia de vi certo magiſtratui exercitionẽ, eumq; ipſum ſpecialiter diſceptatorem, & vltorem fecerat, vt vtar verbis l.1.in fin.C.ne lic.potentior. mox addiderat, extra quam ſi proficiſceretur: eo enim caſu mandare alteri eam exercitionẽ permiſit. Vnde Papinianus colligit, non aliter mãdari poſſe, quã illo vnico abſentiæ caſu, quem nominatim lex exceperat. idq; fortiſſimum argumentum recte nominat, vtpote cum etiã vulgo dici ſoleat, exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis, modo ſint de genere regulæ. l.cum prætor. ff.de iudic. Bartol.in l.quæſitum. §. deniq; ff.de iurid. l. Tribunus. §. fi. De teſtam. mil. & Cicero pro Balbo, *Si exceptio facit, ne liceat, ibi neceſſe eſt licere, vbi non eſt exceptio.* quod in propoſito noſtro ſic inuertendum eſt, ſi exceptio facit vt liceat, vbi neceſſe eſt non licere, vbi non eſt exceptio. Ait Papinianus, *cum alias iuriſdictio etiam à præſente mandetur,* vel tota vel pars, vel certa ſpecies, puta, de fideicõmiſſis, vel etiã in certas perſonas. l. ſolet prætor. 16. & l. prætor. ſeq. ff. de iuriſd. Excipiendæ ta-

men eæ Iuriſdictionis cauſſæ, quæ pariter vt merum imperium ſpecialiter & nominatim legibus deferuntur. Ait, *Et ſi à familia dominus occiſus eſſe dicetur, cognitionem Prætor, quam ex SCto habet, mandare non poterit.* Intelligit SCtum Sillanianum, & notandum eſt, quod Prætoris eſſet ea cognitio, & quod poſterioribus etiam Imperatorum temporibus Prætores ſpeciali iuſſu de rebus capitalib. cognouerint. Sic accipio Iul. Capitolinū, in Marco vbi ſcribit: *Capitales cauſſas hominum honeſtorum ipſe cognouit, & quidem ſumma æquitate, ita vt prætorem reprehenderet, qui cito reorum cauſſas audierat, iuberetque iterum illum cognoſcere, dignitatis eorum intereſſe dicens vt ab eo audirentur, qui pro populo iudicaret.* De iis igitur criminibus, quarum ſpecialiter cognitio Prętori data ſit, vt de SCto Sillaniano diximus, non temere alius, ac ne Præfectus vrbi quidem cognoſcet, qui tamen generaliter habet omnium criminum coercitionem. l. 1. ff. de off. Præf. vrb. Hinc illa apud Corn. Tacitum lib. 14. Annal. *Pari ignominia Valerius Ponticus adficitur, quod reos, ne apud Præfectum vrbi arguerentur, ad Prætorem detuliſſet, interim ſpecie legum, mox præuaricando vltionem eluſurus.* Quod ait, ſpecie legum: videtur ſignificare leges antiquas, quibus antequam Præfectus vrbi creatus eſſet, Prætores acquirebant. Niſi dicamus præuentioni inter eos locum fuiſſe, vt Bodinus putat lib. 3. de Repub. ca. 5. quod non probo. Nam qui à Principe vel populo certæ cognitioni præpoſitus eſt, is in ea cognitione maior eſt quouis magiſtratu ordinario, eaq; cauſa exempta eius poteſtati intelligitur. Et videnda ad hoc elegans deciſio Neapolit. apud Matthæum de Afflictis. Deciſ. 41. Imo nec fori pri-

priuilegiũ,vel præſcriptio opponi tali caſu ab vllo poteſt. C.ne lic.potent. vbi in fine ſic eſt: *Nec metuas,nec præiudices clariſſimis viris: cum Diuus Claudius huius rei(patrocinii à potentiori aduerſus tenuiores præſtiti) Rectorem prouinciæ diſceptatorem, & ſi res poſtularet, vltorem ſpecialiter fecerit.* Quod intelligendum eſt, ne aduerſus Iudicem ſpecialiter conſtitutum præſcriptio fori valeat.nam aduerſus Iudicem generalem,id eſt qui generalem iuriſdictionem in criminalibus & ciuilibus cauſis habet,recte priuilegium fori opponitur ab eo, cuius ordini id conceſſum eſt, vt in d. Deciſ. Medicus recte id oppoſuit conſilio regio, & ad Cancellariam remitti cauſam ſuam poſtulauit,cui ea iuriſdictio in Doctores ſpecialiter conceſſa erat, conſtitutione principis: atque ita lege.contra eſſet, ſi conſuetudine tantum, iuxta diſtinctionem Bartoli in l. viros, C. de diu. offic.lib.12. Ait, *Qui mandatam iuriſdictionem ſuſcipit,proprium nihil habet; ſed eius qui mandauit, iuriſdictione vtitur.* Suſcipit,inquit: ex quo videtur dicendum mandari iuriſdictionem inuito non poſſe. argumento aliorum mandatorum. l. & quia. ff. de iuriſdict.l.ſicut C.de oblig.& act. niſi Principis vel Senatus authoritas iuſſuſue interuenerit. Quod autem nihil proprium eum habere ait, id ſupra à nobis expoſitum eſt lib.2. At legati Principis, propria etiam mandata habuerunt à Principe, atque ita propriam iuriſdictionem. Corn.Tacitus:Piſonem, non Sentium Syriæ præfectum: huic faſces & ius Prætoris, huic legiones datas. S. quod hoſtile ingruat,quem iuſtius arma oppoſiturum, quam qui Legati authoritatem,& propria mãdata acceperit. At Legati Procoſſ. vel Præt. nec propria mandata

habuerunt,nec iuriſdictionem propriam ſed mãdatam,vtpote à magiſtratu. Ait, *verius eſt enim moremaiorum*(de hoc more etiam eodem in libro dixi) *iuriſdictionem transferri: ſed merum imperium quod lege datur,non poſſe tranſire.* Cum multis in locis iuris ciuilis hæc ſententia de mero imperio & iure gladii extet,nullibi tamen præter hunc locum, ſic expreſſum memini, quo merum imperium lege dari dicatur.l.ſolent.ff.de off.Proconſ.l.vn. C.eod.tit.l. nemo poteſt ius. ff. de R. I. l. 2. C. de pedan. iud. Ait : Quare nemo dicit, *Animaduerſionem Legatum Proconſulis habere mandata iuriſdictione.* Animaduerſionem,accipe iudicationem, & ſententiam capitalem,ſiue irrogationem pœnæ capitalis. Quomodo Cicero ad Atticum, ſententiam Catonis de animaduerſione appellat, quod is more maiorum ſupplicium ſumendum de coniuratis cenſuerat. Audientiam vero & cognitionem capitalium cauſſarum legati habent l.ſolent.in pr.ff.de off. Procõſ. l. vn. C. eodem tit. Sed mandato extraordinario Procõſulis d.l.ſolent.hodie etiam (vt videtur) ſine mandato ex generali Conſtitutione Imp. Conſtãtini d.l.vn.ibi. *audiant*. Paulus notat : *& imperium quod iuriſdictioni cohæret tranſire verius eſt.* Id Paulus alibi vocat modicam coercitionem, l. vlt. h.t.de off.eius, cui. & notat,id eſt,interpretatur,non reprehendit dictum Papiniani. nam vocabulũ animaduerſionis,quo erat Papinianus vſus,etiam coercitionem modicam ſignificat. ne quis igitur generaliter ita id acciperet, & iuriſdictionem tranſire ſine vllo coercitionis genere putaret, cauendum & adnotandum fuit.

CA-

CAPVT XXVI.

Iure magiſtratus non competere merum imperium.

MErum imperium lege dari, nec iure magiſtratus competere ſatis ſuperiori capite demonſtratum eſt. Sed occurrit atq; obiicit ſe nobis doctiſſimorum hominum authoritas, qui hodie merum imperium iure magiſtratus competere aiunt. Sic enim Cuiacius ad l. aliud fraus. ff. de verb. ſignif. ſcribit: *Quod olim fuit merum imperium, hodie mixtum dici poteſt, quoniam magiſtratus iure competit, nec neceſſe eſt, vt detur nominatim: cum Princeps creat Præſidem prouinciæ, vel (vt loquimur) locum tenentem, ſiue ſeruatorem loci, hoc ſolo nomine dat ei criminum executionem. Denique executio criminum competit iure magiſtratus. ergo mixta etiam eſt iuriſdictioni.* Idemque ad l. 2. §. deinde cum ærarium ff. de orig. iur. adfirmat diſerte de noſtris temporibus: cætera obſcurius. Sed hæc ſententia eius eſt. Conſules ante L. Valerium, item Dictatores, & Decemuiros legibus ſcribundis, & poſtea Principes regiam habuiſſe poteſtatem; ergo & capitis animaduerſionem iniuſſu populi: non igitur lege ſpeciali, ſed iure ſuo & poteſtatis ſuæ eam habuiſſe: Similiterque idem de iudicibus dicendum eſſe, quicunque à populo vel Principe conſtitui ſunt capitalium rerum, ſiue ſint Quæſtores parricidii, ſiue Triumuiri capitales, ſiue Prætores, qui iudiciis publicis præſunt, vel his ſimiles alii quicunque. Ex quo concludit, eos omnes non habuiſſe merum imperium: ſed eam poteſtatem animaduertendi, quæ in con-

ſulibus poſt legem Valeriam & aliis, quibus ſpeciali lege in ſingulis cauſis permitteretur cognoſcere & ſtatuere de vnoquoque crimine, merũ imperium fuit; eam, inquam poteſtatem in illis, quos ſupra nominaui, mixtum imperium & iuriſdictionem fuiſſe: quia, inquit, hoc ipſo, quod is honor eis delatus ſit (id eſt, eo ipſo, quod creati ſunt Dictatores, Decemuiri, Prætores publicorum iudiciorum, Triumuiri Capitales, Quæſtores, &c.) capitis animaduerſionem habent, nec opus eſt eis in ſingulis cauſis capitalibus anquirendis, & diſceptandis populi iuſſu. Qua ratione inquit, etiam recte dices magiſtratus hodiernos, qui de rebus capitalibus cognoſcunt, non habere merum imperium, quia mixto, quod habent ſuo iure, inſunt omnia, quæ olim meri imperii erant. Recte item & proprie quæſtionem publici iudicii hodie iuriſdictionem appellabis. Olim non niſi improprie iuriſdictio dicebatur in perſonam conſulum, qui iuſſu populi eam exercebant, vel in perſonam eorum, quibus ducta ſorte obtigerat ex lege ſpeciali in ſpeciem vnam. Iuriſdictio proprie notio eſt, quæ iure magiſtratus competit. Impropria eſt, quæ lege ſpecialiter defertur. l. 1. ff. de off. eius, cui mand. & quæ non iuriſdictio, ſed cognitio eſt l. ait prætor. ff. de re iudic. Hæc Cuiacius: in quibus quam multa peccata! Primum eſt, quod reges, Dictatores, Decemuiros ll. ſcribundis, Principes in hac quæſtione de mero imperio nominat. neque enim ii, vel ratione magiſtratus, vel ſpeciali legis conceſſu ius vitæ & necis habent. quæ tamen duo Papinianus in ſua definitione l. prima, Digeſt. de off. eius. conſiderat: ſed iure quodam ſummæ poteſtatis, quæ neque

que eſt magiſtratus,neque etiam dignitas, ſed culmen dignitatis : quod & de Epiſcopatu dicunt, ideoque dignitatis vocabulo generali non contineri.vt ait gloſſ.in cap.ſecundo,de præben.lib.6.c. quia periculoſum.de ſent.exc.eod. Secundum eſt, quod negat iudices à populo, vel Principe conſtitutos rerum capitalium habere merum imperiũ, quia ſcilicet iure honoris eis delati animaduerſionem habeant,& per conſequens mixto imperio & iuriſdictioni ea attribui debeat, quo nihil abſurdius.rogo enim,an Prætores quibus ſors rerum capitalium obtigiſſet,iuriſdictionem habuerint, id eſt ciuilium cauſarum diſceptationem ? itemque multo magis de Quæſtoribus parricidii & Triumuiris illis quæri debet. quod ſi nullam iuriſdictionem,nullamque imperium quod iuriſdictioni cohæret,habuerint, vt non habuiſſe manifeſtiſſimũ eſt: qui conuenit dicere eius rei , quam non habent, ratione & beneficio merum imperium atque animaduerſionem habuiſſe? Quare etiam hodieq; iudices cauſarum criminalium diſtingui paſſim videas à iudicibus cauſarum ciuilium. Quo pertinet etiam illud Vlpiani, Latrunculatorem de re pecuniaria iudicare non poſſe l.ſolemus.§.1. Di geſt.de iudic. Tertium eſt, quod honorem,id eſt, magiſtratum fuiſſe in Quæſtoribus parricidii ponit : nam priuatis hominibus plerumque à populo quæſtiones illæ mandabantur , & quidem in ſingula facta , ita vt ratione honoris eis delati , non poſſint dici habuiſſe ius animaduerſionis , niſi in illa vna cauſa , & illa perſona, in quam ei populus tribuerat. Quare ſubinde nouos Quæſtores creari mos fuit , vt olim temporibus

regum Duumuiros perduellionis, prout quodque crimen inciderat, à rege ſecundum legem creabantur. De Iudice quæſtionis alibi dixi. Imo ne Prætores quidem, quibus poſt leges Cornelias quæſtiones perpetuæ mandabantur, eas habere beneficio & iure magiſtratus, vel iuriſdictionis dici potuerunt. quid enim lege opus fuiſſet, aut ſorte? Et mẽdoſa eſt hæc Cuiacii collectio : non opus fuit eis iuſſu populi, vel lege in ſingulis cauſis quærendis & diſceptandis: Ergo diſceptationem illam vniuerſalem de omnibus eiuſdem generis criminibus nõ habuerun ſpeciali lege, & conceſſu populi. Denique refutatur manifeſto Papiniani oratione in d.l. 1. vbi Prætores nominat, quibus vniuerſæ quæſtiones de aliquo crimine obtigiſſent: eos tamen lege vel Senatuſconſulto vel conſtitutione principum eis tributas eſſe; nec iure magiſtratus competiiſſe, ſcribit. Quartum quod eadem ratione & exemplo illorum Prætorum, & aliorum iudicum, qui rebus capitalibus præeſſent, populi vel Principis iuſſu, abutitur in noſtri temporis magiſtratibus: nam & hodie ſpeciali legis vel Conſtitutionis, vel SCti conceſſum opus eſt. Quintum; non enim ex eo, quod aliquis magiſtratus & iuriſdictionem & merum imperium habet, vt Præſides, & Proconſules, recte concluſeris merum imperium eſſe iuriſdictionem, vel imperium mixtum iuriſdictioni, vel merum imperium iuriſdictioni & mixto imperio, quod magiſtratus habent ſuo iure: vt Cuiacius adfirmat. Cur enim non dicas eadem ratione merũ imperium ineſſe imperio mixto, iuriſdictionem id eſt, cognitionem cauſſarum ciuilium ineſſe cognitioni capitalium? Sed non perſona, cui illa conceduntur

duntur vel competunt, ſpectāda eſt: ſed ratio, propter quam competunt, & natura ipſarum. Quæ ratio, & quę natura, quia diuerſa eſt, ideo diuerſos etiam parit effectus. Hinc cauſſæ meri imperii mandari non poſſunt, cauſæ iuriſdictionis & mixti imperii poſſunt: illæ enim ſpeciali legis conceſſu, hæ iure magiſtratus competunt. d. l. 1. cum ſimilibus. de quo miror Cuiacium ſubticuiſſe: cum tamen ſi vera eius ſententia eſſet, hoc neceſſario ex ea ſequeretur, vt merum imperium mandari poſſet & mandata iuriſdictione tranſiret, quod ab omni iure abhorret; etiam à conſuetudine. Et cum multa ſint paſſim loca & exempla, vbi Prætores iuriſdictionem mandauerint: vnum proferri vellem, quo oſtenderetur ius gladii mandatū fuiſſe, niſi abſentiæ forte neceſſariæ cauſſa. Sed vtitur Cuiacius in d. l. aliud fraus. quantum ex ipſius obſcuris verbis colligere poſſum, alio argumento: idque tale eſt. Pœnæ hodie non ſunt legitimæ, ſeu pœnæ legitimæ in vſu eſſe deſierūt: ſunt, inquā arbitrariæ, nūc grauiores, nūc leuiores l. hodie. ff. de pœ. Ergo pœnæ irrogatio, & executio criminum, hoc eſt, merū imperium, non ſpeciali legis conceſſu, ſed iure magiſtratus hodie competit, ſed diſtinguendum eſt inter pœnam, & ius pœnæ irrogandæ. nam hoc ius, id eſt, merum imperium lege datur. Pœnæ qualitas, vel irrogatio, maioris minoriſue pœnæ arbitrio iudicis permiſſa eſt, vt ille ſcribit. Qua de re quid ſentiendum ſit, infra dicemus.

CAPVT XXVII.

Ratio cur merum imperium ſpecialiter lege detur.

EA vero non lege arceſſenda aliqua eſt, cũ ſit in medio poſita illa, quod iudicium de capite fortuniſq; ciuium in hoc imperio contineatur: ideoque & in his ſolum cauſis capitalib. prouocatio olim fuit, quod ſummum auxilium maieſtatis atq; imperii: imo nec iudicari quidem de capite ciuis Romani licuit iniuſſu populi, vt alibi copioſius expoſui. Merito itaq; & ſpecialiter ac nominatim dandum hoc imperium fuit certis magiſtratib. vel perſonis, quorum fides, probitas, induſtria & magnitudo ſpectata eſſet, à quibus in alium transferri non poſſet. l. nemo poteſt ius gladii. Digeſt. de regul. iur. ne à Proconſule quidem in legatum, quamuis omnem Iuriſdictionem ei mandet. l. ſolent. ff. de off. Proconſ. Huc pertinet initium Epiſtolæ Diui Seueri ad Fabium Cilonem præfectum vrbi miſſæ: *Cum vrbem noſtram fidei tuæ commiſerimus.* ex quo Vlpianus colligit, quicquid intra vrbem admittitur ad præfectum vrbi videri pertinere, & ſi quid intra centeſimum milliarium ab vrbe. l. 1. §. 4. Digeſt. de off. præf. vrb. Fides ſpectatur magis, quam eruditio. *In magiſtratibus*, inquit Cicero in ea pro Plancio, *ſi qua eſt ars populus Rom. facile patitur: ſi minus, virtute eorum & innocentia contentus eſt. Quotus enim quiſq; diſertus, quotus quiſq; iuris peritus eſt?* & quæ ſequuntur, Et tamen iuris ſcientia neceſſaria eſt in capitalibus maxime cauſis, neq; enim ideo merum imperium dicitur, quaſi ex libero & ſoluto le-

to legibus iudiciariis arbitrio exerceatur. imo probationum firmitas & claritas non alibi maior deſideratur l. vl. ff. de proba:. Et eleganter idem Cicero Verrina 3. ita ſcribit: Cauſam enim inquit, cognoſci oportet, ea re quidem, quod alibi condemnari reus, quamuis ſit nocens, non poteſt. & mox: Nam cauſſa cognita poſſunt multi abſolui: incognita quidem condemnari nemo poteſt.

Sed nihil præclarius mihi videtur, quam Reip. Spartanæ hac in re inſtitutum, cuius cauſam reddit Laco quidam apud Plutarchum: in Laconicis his verbis: Ἐρωτῶντος δέ τινος αὐτὸν διὰ τί τὰς περὶ τοῦ θανάτου δίκας πλείοσιν ἡμέραις οἱ γέροντες κρίνουσιν, κἂν ἀποφύγῃ τις, ὅτι οὐδὲν ἧττον ἐστιν ὑπόδικος. πολλαῖς μὲν, εἶπεν, ἡμέραις κρίνουσι, ὅτι περὶ θανάτου τοῖς διαμαρτάνουσιν οὐκ ἔστι μεταβουλεύσασθαι. νόμου δὲ ὑπόδικον δεήσει εἶναι, ὅτι κατὰ τοῦτον τὸν νόμον ἂν εἴη καὶ τὸ κρείττονα βουλεύσασθαι. hoc eſt, Interrogatus, cur cum de capite anquiritur, cauſa à ſenioribus per complures dies diſceptetur: & qui abſoluitur, nihilominus reus maneat, ſic reſpondit: plures quidem dies iudicio ob eam cauſſam impendi, quod in talibus cauſis locus errori corrigendo nullus relinquatur: reum vero non abſolui, ſed in reatu teneri ideo, quod legib. de eo aliquid rectius decernere liceat. Atque huc etiã pertinet Imper. Theodoſii nobilis cõſtitutio, ne ſententia capitalis niſi poſt 30. diẽ executioni mãdetur. Et quod Baldus egregie tradit in l. addicto. C. de Epiſc. audient. Executorẽ, cui talis ſententia exequenda cõmiſſa ſit, ſi eã iniuſtã eſſe animaduerterit, exequi nõ debere. quid igitur? ad Principem vel maiorẽ magiſtratũ, qui tulit, referre debet, nõ ipſe cognoſcere. qua de

re dixi pluribus ſupra libro 2. cap. vlt. Iuuenalis:

Nulla vnquam de vita hominis cunctatio eſt.

Grauibus igitur, & ſpectatæ fidei perſonis hæc res ſpecialiter delegari debuit.

CAPVT XXVIII.

Quatenus merum imperium alteri mandari poßit.

PRimum de iure ciuili cognoſcendum eſt. Quo ſuperioris regulæ, quæ meri imperii cauſas mandari vetat, exceptiones quędam proditæ ſunt, quarum aliæ in perſonis, aliæ in rebus ipſis verſantur, & cognoſcendi modo. Ad perſonas quod attinet, occurrit primo Legatus Proconſulis. de quo quidem non vno loco ſcriptum eſt, non habere eum ius gladii, neque animaduertendi, vel atrociter verberandi poteſtatem; ac ne mandata quidem ei iuriſdictione hoc ius in eum tranſire, vel alias trāſferri poſſe, l. ſolent. l. ſi quid erit. ff. de off. Proconſ. l. 1. §. 1. ff. de off. eius, cui mand. Sed in contrarium pugnare quidam loci videntur, & exempla veterum. Ex quibus intelligitur, & omnia prope inſignia legatos imperii habuiſſe, lictores, ſecures, faſces, tribunal, vt ſupra li. 2. diximus: & hoc ius animaduertendi ſuppliciique ſumendi, vt in l. excipiuntur 14. ff. de SC. Sil. quam legem Hottomannus allegat li. 3. obſer. c. 4. ſed qui ibi legatus appellatur, Præſes prouinciæ fuit, id eſt, Legatus Cæſaris, non Proconſulis, quamuis vterque legatus prouinciæ dicatur, quod de Legato Cæſaris alibi demonſtraui. de Legato Proconſulis indicat vetus inſcriptio : PROCVLO PRÆTORICIO : LEGATO

PRO-

PROVINCIÆ ASIÆ. FRATRI BENE MERENTI. Nam Aſia legatos Cæſaris,id eſt, Præſides non habebat,ſed Proconſules, vt & Africa nec Imperatores mutauere. Vnde apud Tacitum; *Aſia ſorte depellendum*, pro Aſiæ proconſulatu. Sorte enim & à Senatu veteri more Proconſules obtinebant prouincias. Quid igitur eſt, quod in vita Gordiani legitur,apud Iulium Capitolinum? *filium & Legatum Gordiani Proconſulis gladii poteſtate ſuccinctum* ? Sed hoc ita intelligendum eſt; cum Gordianus pater in Africa eſſet Imperator ſalutatus, factum eſt acclamatione Tiſdranorum,vt filius ea poteſtate ornaretur, qui iam antea Legatus patri Proconſuli datus à ſenatu fuerat. Vel ſane manſit conſtitutio Caligulæ,qui ius Legati in Africa Proconſulari æquauit,teſte Corn. Tacito. Quod ad faſces lictoreſque attinet,poteſt quis inſignia imperii habere, & tamen imperium non habere,vt Cicero ex Cilicia reuerſus in Italiam moleſtiſſimos lictores ſibi cum faſcibus ſæpe queritur non licere, antequam in vrbem rediret,dimittere.nam vſq; ad vrbis portam imperii inſignia retinebant. An autem abſens proconſul mandare merum imperium legato potuerit, quæri video. De quo ita dicamus, ſiquidem Proconſul in prouinciam nõdum venerit, iuriſdictionem quidem mãdare legato,cuius in Prouinciam venturo poſſit, non etiam ius gladii l. aliquando & l. ſeq. ff. de of. Proconſ. Idque generaliter ad omnes Præſides eorumque vicarios pertinet. Nouella 128. cap. 20. in qua ita Iuſtinianus ſancit. *Antequam vero in Prouincias veniant iudices, damus eis licentiam vices agentes ſuos inſtituere, qui debent omnia vſque ad ſui præſentiam agere, quæ poſſunt*

ipſi iudices facere: Citra tamen nouiſſimum ſupplicium aut membri inciſionē. Sed ſi quis ex iudicib. ſecundum iuſſionem noſtram in aliam regionem mittatur, liceat ei per ſimilem modum loci ſeruatorem ſuum facere. Ex quib. apparet ſeruatores iſtos, abſente vel alio miſſo Præſide, eius locum tueri ac tenere, nō tamē vt ius gladii exercere, vel aliam ſeueriorē animaduerſionem poſſint, ne plus iis, quā vicariis ſiue legatis tribuatur. Ita enim illa verba d. Nouellæ κατὰ τὸν ὁμοιον τρόπον, ſecundum eundem vel ſimilem modū, quo ſcilicet vicarios in ipſius aduentum cōſtituere Præſidi ante permiſerat. Illud notandum eſt, quod vetus interpres Nouellarū, cui s interpretationē ſupra adſcripſimus, *vices agentes ſuos inſtituere*, dixit, cū in Græco cōtextu ſit τοποτηρητάς, id eſt, loci ſeruatores, quod verbū ſæpe Iuſtinianus ibi vſurpat, itaq; interpres ſemper vertit: vt profectò cum illo loco vices agentes ſuos dixerit, aliam habuiſſe grę cā appellationē videatur, & vicarios à loci ſeruatoribus diſtinxiſſe, quod & contextus ipſe ac mens Iuſtiniani mihi perſuadet. Et ſane vicarii ac legati maiori dignitate & poteſtate fuiſſe videatur iſtis locorum ſeruatoribus. Extra prouinciam autem ſi legatus egreſſus ſit, miſſu Proconſulis, imperium in aliena prouincia eum non habere conſtat, ſicut nec ipſum Proconſulem; nec tamen priuatis plane ſimiles ſunt. Nam proconſules retinent, vt dixi, extra prouinciam ſuam imperii inſignia, & monere etiam publice quædam videntur, ac conſtituere. vt Cicero, cum ex Cilicia deceſſiſſet in quibuſdam Aſiæ vrbibus fecit, quod Epiſtolæ ad Atticum teſtantur Similique prærogatiua etiam in iudiciis rerum capitalium vſi ſunt. Nam Dolobel-

lam

Iam prætorem in Prouincia Neronis, cum Philodami Lampſaceni iudicium ageretur, primum in conſilio C. Neronis ſententiam dixiſſe legimus, Ciceronis Verrina 3. Ipſi etiam Prætorum vel Procoſſ. legati extra prouinciam ſuam lictores & faſces habuerunt, vt exemplo C. Verris cognoſcitur, nec tamen recte inde colligas & imperium eos habuiſſe; ad maieſtatem illa pertinebant, & quo ipſis maior honos à Prouincialibus haberetur, qua de cauſa priuatis ſæpe hominibus & ſenatoribus tributos ſcimus, cum in prouinciam aliquam ſuarum rerum cauſa exirent: Eodem teſte Cicerone lib. 12. famil. Epiſt. ad Cornificium. Epiſt. 1. faſces tamen ſine ſecuribus fuiſſe, docti putant, cum legatis præferrentur: neque enim omnia magiſtratuum inſignia eis conceſſa credẽdum eſt, ſed pauca ex plurimis. Prudentius περὶ ϛεφάνων in hymno Romani. *Hæc ipſa veſtra dignitatum culmina, Quid eſſe cenſes?* nonne curſim tranſeunt, *Faſces, ſecures, ſella, prætexta, toga, Lictor, tribunal, & trecenta inſignia; Quibus tumetis, moxque detumeſcitis?* Præſens quoque Proc. mandare præſenti legato ſolet rerum capitalium cognitionem. Sed hoc mandatum extraordinarium eſſe Vlpianus ait, nec aliud in ſe continere, quam vt audere cuſtodias poſſit, non etiam in eas animaduertere, quod maxime eſt imperii. l. ſolent. in princ. ff. de off. eius. l. 3. ff. de iuriſdict. Eodemque pertinet, quod in l. 1. §. ſi quis. ff. ad Senaſconſultum Turpill. ſcriptum eſt: *Nec præſens hanc cognitionem alteri demandare poteſt:* quaſi dicat; abſens poteſt, quamuis in vulgatis legatur non *præſens* vt in Florent. ſed *præſes*. Secunda exceptio eſt in delegato Principis, id eſt,

iudice à Principe dato.hic enim poteſt omnes cauſas tam ciuiles,quam criminales ſibi à Principe cõmiſſas alteri delegare,& mandare,& per cõſequẽs merum imperium l.à iudice.C.de iudic.l.vn.in illis verbis, *Nullo perſonarum vel cauſſarum habito tractatu*.C,qui pro ſua iuriſdict. & ita recte illic gloſſ. notat, quamuis interpretes varient. Qui negant hunc legatum alteri delegare meri imperii cauſſas poſſe,illis argumentis præcipue vtuntur,quæ legas apud Menochium li.1.de arbitrar.iudic. quæſtion. 54.Primum eſt ex l.ſolent.ff.de offic. Proconſ. ſed reſpondendum eſt, Datum à Principe Iudicem in iis cauſis maiorem eſſe quouis magiſtratu,etiamq; Proconſule:vt ſupra libro ſecundo demonſtrauimus.Alterum eſt ex ratione d.l.ſolent.cum ſimilibus.Nemo poteſt ius gladii, quod ſibi lege datum eſt,in alium transferre.Ita quidem, inquam, niſi vt quis poſſit iure excipiatur.Tertium eſt ex d.Nou. 128.§.adhęc prohibemus,vbi ſcriptum eſt, iudices ſecundum iuſſionem Princip. in prouinciis ne vicariis quidẽ ſuis committere has cauſſas meri imperii poſſe.ſed facilis reſpõſio eſt, Magiſtratus ſiue iudex ordinarius id non poteſt.at iudex cui ſpecialiter & nominatim certa aliqua cognitio vel quæſtio à Principe delegata eſt, is poteſt eam ſubdelegare,quia vt ſupra dictum maior eſt quouis ordinario.Male cũ ii,qui in d.§.adhęc.Iudices à Principe datos interpretãtur. Nam magiſtratus prouinciales,quos Princeps conſtituit, Iuſtinianus clare intelligit,cum ἄρχοντας etiam vocet.tũ illi qui magiſtratus,& iudices ordinarios ibi capiunt;ſed quibus ex ſacra iuſſione forma procedendi eis à Principe præſcripta iuriſdictio alterata ſit, vt loquũtur,

neque

neque ſcio, quid ſibi hoc velit, aut quo pertineat. Sed manifeſtum eſt de adminiſtratoribus ſiue præſidibus Iuſtinianum loqui, qui ex vna prouincia in aliam iuſſu & miſſu Principis translati profectiue ſunt, quib. permittit, vt loci ſeruatores conſtituere ſua vice poſſit, quod veteri mori congruit, cũ præſides ex prouincia decedentes plerumque ſolerent legatos ſuos vel Quæſtores aliosue in prouincia proprætores relinquere: vt vt M. Tullius in Cilicia Cælium Quæſtorem, alii alios ſummo cum imperio reliquerunt. Quartum argumentum eſt ex eo, quod cum Princeps alicui cauſſam præſertim capitalem committit, elegiſſe fidem eius atque induſtriam videatur, vt ipſe quem elegit cognoſcat non alius, c. is qui. De of. Deleg lib. 6 Hoc quidem ego ita eſſe fateor, nec in criminalibus ſolum, ſed & in ciuilib. cauſſis: quarum quædam etiam criminalibus grauiores. Sed nego propterea eas nõ poſſe ab hoc iudice delegari. niſi ex verbis reſcripti appareat, eum ipſum cognoſcere debere. Quæ verba cuiuſmodi eſſe ſoleant, Interpretes docẽt, & de Germania Sichardus in d. l. à Iudice. Dixi ſupra lib. 2. Illud hic notandum eſt, de Principis, id eſt Cæſaris delegato nos loqui; nõ idem dicendum de Legato Ducis alicuius vel Marchionis, vel Epiſcopi, Bartolus & alii eum ſecuti putant, inprimis Alexander ad l. 1. ff. de off. eius cui mand. eſt iuriſdict. & ad l. more. ff. de iuriſd. ratioq; illa adferri huius rei ſolet: quod conſtitutio Principis facit ius ciuile. conſtitutiones Ducum & ſimilium pro Edictis Prætorum habentur. Hoc loco & de Defenſoribus ciuitatum dicendum eſt: quibus magno errore Accurſius aliique vulgo Interpretes ad l. 3. ff. de iuriſdict. leuiorum

criminum cognitiones iure magiſtratus ſui competere dicunt,id enim ſi verum ſit, & mandare igitur eas poſſe conſentaneum eſt. dict. l.1. ff. de offic. eius.Sed falluntur perperamque allegant §. audient.Auth.de defenſor. Nam illic imperium Iuſtinianus permittit Defenſoribus & leuiorem caſtigationem. Sed permittit nimirum ipſe Princeps. Lege igitur & conſtitutione Principis eam habet, non magiſtratus iure: quamuis, vt alibi docuimus omnib.magiſtratib.leuiter verberandi vel coercẽdi conceſſa poteſtas videatur arg. l.ſi quid.Digeſt. de of.Proconſ.Nec tamen eam poteſtatem mãdari poſſe,cum Bartolo dixeris,multa enim inſunt in iure magiſtratus extra iuriſdictionem, quæ in aliũ transferri non poſſunt, præſertim qui magiſtratus non ſit.Male igitur & Eguinarius mihi dicere videtur,non iure ſpeciali id defenſoribus competere, ſed iure magiſtratus; cum præſertim inquit,non in hoc nominatim detur, vt ipſe diiudicet, ſed vt ei cõmunicetur particula aliqua imperii,quę iure magiſtratus Præſidi Prouinciæ prius cõpetebat. quib. in verbis illud etiam diſplicet,quod non etiam iudicationem Defenſoribus tributam dicat; imo & iudicatio & coercitio tributa iis eſt,quod clare expreſſum in Nou.illa de Defenſoribus, Ἀκροάσονται γεμὴν καὶ τῶν ἐλαφροτέρων ἐγκλημάτων καὶ σωφρονισμῷ προσήκοντι παραδώσουσι.In maioribus criminib. verum eſt,quod ille ait. Capere enim & detrudere in carcerem Defenſor poteſt,ſed ad præſidẽ remittere cuſtodias debet. καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς μείζοσιν ἐγκλήμασιν ἁλισκομένους φρουρήσουσι καὶ ἀναπέμψουσι πρὸς τὸν τῆς ἐπαρχίας ἡγούμενον. Nollem etiã ab Eguinario dictũ merũ imperiũ iure magiſtratus Præſidi cõpetiiſ

ſe, niſi intelligat leuiorem illam coercitionem, de quà dixi iure magiſtratus contineri, ſed maioris & legitimi: nã eam quidem ex conſtitutione Iuſtiniani potius, quam ex conceſſu & mandato Præſidis defenſores habẽt, vt in his quoq; illa definitio cõſtet nobis, merum imperium lege dari. Illa verius particula imperii prętorii vel pręſidialis dicẽda eſt, quam ex edicto eorum perpetuo Duumuiri habẽt in cauſſa damni infecti, cauere iubendo, & in poſſeſſionem mittendo. Hæc enim nulla lex iis dedit, ſed magiſtratus edictum l. 4. §. duas ff de damn. infect. l. ea quæ. ff. ad municipal. Dixi ſupra li. 2 Nunc alias exceptiones cognoſcamus. Quarũ certiſſima eſt, quæ ex cauſſa abſentiæ ducitur. Mandari enim cauſas meri imperii poſſe à magiſtratu, ſi eum abeſſe contigerit, manifeſtum eſt l. 1. ff. de off. eius l. 1. §. ſi quis autem. ff. ad SC. Turpill. l. 2. C. de pœn. l. ex conſenſu. §. 1. ff. de appellat. l. 3. C. vbi fiſc cauſ l. nõ valet in pr. C. ad l. Fabiã. Fruſtra igitur illi ſunt, qui hanc exceptionem ad vnam cauſam legis Iuliæ de vi, de qua in d. l. 1. de off. eius. ſcriptum eſt, coercent. Verum eſt enim, quod & Bartolus vidit, pertinere eã ad omnes cauſas, imo & ad omnes imperii meri ſpecies, etiamque ius ipſum gladii & capitalis animaduerſionis. quamuis aliter Ant. Vaccæ videatur. Mandare tamen abfuturum magiſtratũ nõ cuilibet poſſe exiſtimẽ hoc gladii ius, ſed Quæſtori vel legato, vel alii ſimili adiutori & officiali eius. In ciuitatib. autem defenſorib. eorũ poſſe exiſtimo, præſertim cũ in dicta Iuſtiniani cõſtitutiõe de hoc caſu absẽtiæ ſic legã in §. ἔπειτα debere eos etiã publicũ remouere tumultũ, καὶ τὴν τῶν ἀρχόντων ἐπέχειν τάξιν, καὶ μάλιστα ὅταν ἀπῶσι, τοὺς τὴν τάξιν τοὺς

ἐπὶ χωρίους, οἳ κατὰ τὸ πάλιν εἰσὶ ἐκείνην, καθ' ἣν ὁ ἔκδικος ἐστὶν ὑπακούειν αὐτῷ καὶ βοηθεῖν. ὥστε ἀπόντων τῶν ἡγεμόνων τῶν ἐθνῶν μηδὲν δοκεῖν ἐλλήπειν ταῖς πολέσιν ἐπὶ ἐκείνων παρουσίας. Proxima ſuperiori exceptio adferri ſolet ex morbo quo Pręſes impeditur. Sed qa hæc exceptio nulla in l. expreſſa eſt, ideo concertāt de ea Doctores noſtri. Bart. ad d. l. 1. De of. eius, quē cōmuniter alii ſequuntur, admittendum eſſe ſcribit, eo præcipue nixus argumento; quod abſentia, & inualetudo comparentur, l. 2. §. fin. & l. ſeq. ff. de procurat. l. non ſolum. ff. de excuſat. tut. Sed Fulgoſii verior eſt ſententia, non poſſe hac de cauſſa merum imperium mandari. Primum quia ſola abſentia in legib. noſtris excipitur. Deinde quia non eſt eadem ratio, vt Bartolus putauit, abſentiæ & morbi in hac quidem re, de qua agimus: vtpote, cum in ea vigor animi potius & prudentia requiratur, quā corporis labor aut firmitas virium. Sicut in ſimili ſcriptum eſt ab Vlpiano: *Corporis*, inquit, *debilitas eorum munerum excuſationem præſtat, quæ tantum corpore implenda ſunt. Cæterum quæ conſilio prudentis viri &c. obiri poſſunt, non remittuntur*, l. 2. §. quem ita ſenio. ff. de vacat. & excuſ. mun. Cicero in Philippicis de Seru. Sulpitio ad Antonium legato: ſed animi virtus corporis infirmitatem ſuſtētabat. Sane ſi ea vis eſſet verbi, vt officeret, nec vacare, præſidem permitteret, differendæ potius capitales cauſæ eſſent, vel certe alius in præſidis locum à principe ſubrogandus. arg. l. ſi longius. ff. de iudi. Tertia exceptio vulgo adfertur, occupationes & multitudo criminalium cauſſarum: eiuſque ſententiæ princeps citetur idem Bartolus in d. l. 1. ff. de off. eius. pro qua tuenda Longouallius allegat locū, vt ipſe loquitur,

ſpecia-

ſpecialem in l. cum prætor. §. item ii. ff. de iudic. in illis verbis, *propter vim imperii*. Quæ ille ſic exponit, id eſt, propter magnam criminalium cauſarum ingruentem molem ac copiam. Qua expoſitione nihil vnquam legi alienius, aut ſtultius. Verior ergo eſt aliorum, vt Saliceti ad l. 2. C. de ped. iudic. & Axandri ad l. 1. ff. de off. eius. qui negant ob hãc cauſſam merum imperium mandari poſſe, vel Iudicem in capitalib. cauſis dari. Quod probatur etiam ſatis clare in d. l. 2. C. de ped. iud. Cauſæ quidem ciuiles & pecuniariæ propter hanc cauſam occupationum, & multitudinem negotiorum delegari à Magiſtratu poſſunt, etiã poſt d. l. 2. quæ valde hanc licentiã circumcidit dandorum iudicum: ſicut & propter morbum poſſunt, præſertim iure Canonico. c. ſi pro debilitate. de off. iud. deleg. At cauſæ criminales non poſſunt nec debent, tum quia ſpecialiter earum cognitio lege tribuitur, tũ quia maximi ſunt momenti. d. c. & d. l. 1. De off. eius. Illa probabilior exceptio videtur, vt regula, quæ prohibet merum imperium mandari intelligatur, non de omnibus cauſis ad merum imperium pertinentibus, ſed de maioribus tantum & grauioribus, quę quidem apud Barrolum continentur quatuor prioribus gradibus. Cæterum quæ ſunt quinti & ſexti gradus, & leuiores quaſdam pœnas habent, in iis admittit Bartolus & alii delegationem, ad l. 3. ff. de iuriſd. Sed hæc ſententia etiam falſa videtur, & refellitur verbis l. ſolent. in pr. ff. de off. Proc. & l. nemo poteſt gladii ff. de reg. iur. vbi ſcriptum eſt, neminem nec gladii, nec cuiuslibet alterius coercitionis ius ad alium transferre poſſe. Et ita Philippus Decius illic notat. Ex his igitur quatuor exce-

ptionibus vna tantum eſt vera, quæ quidem iure comprobari poſſit, nimirū ex cauſa abſentiæ magiſtratus. in qua tamen & illud temperamentum quidam adhibent, vt delegari quidem eo caſu merum imperium poſſit, ſed duntaxat quoad cognitionem atque ſententiam, non etiam quoad executionem pœnæ, quam reſeruari dicunt ordinario magiſtratui oportere. Bald. in l. 2. C. de ped. iud. Quod verū non puto eſt enim contra vtilitatē publicam ſupplicia præſertim iam damnatorum diutius differri: nec hoc temperamentum vllo iuris loco comprobatur: non certe Nouella 126. §. ad hæc prohibemus. Ibi enim hoc tātum cauetur, Iudices ſiue Præſides prouinciarum, quibus merum imperium datum eſt, priuſquam in prouinciam ſuam venerint, poſſe vicarios ſibi inſtituere, qui omnia agant, vſque ad ipſorum aduentum, excepto tamen nouiſſimi ſupplicii, vel mutilationis alicuius membri irrogatione. Rectius hoc diceretur in Præſide præſente, vt is audientiam mandare cuſtodiarum poſſit: quod tamen mandatum ipſum extraordinarium eſſe dicitur in l. ſolent. ff de off. Procon. nec tamen propterea iniuſtum, vel inuſitatum, præſertim cauſarum multitudine vrgente: Quod ita de Aſiæ conuentu elegantiſſime, & ad hanc rem noſtram adpoſite ſcribit Plutarchus in libello πότερον τὰ τῆς ψυχῆς, &c *Multitudo*, inquit, *cauſarum tanquam fluminum magnorum confertim in vnum incidit forum; ferueſque res, & commiſſa ſunt certamina perdentium & pereuntium.*

CA-

CAPVT XXIX.

De iure Canonico.

DEinceps de iure Canonico ſiue Pontificio cognoſcendum eſt. de quo ita eſt interpretum communis ſententia, omnes ferme cauſas tã meri, quã mixti imperii eo iure delegari licere, vel (vt loqui ſolent) quicquid eſt cognoſcibile, idem & delegabile eſſe. quam ſententiã confirmãt multis ex eo iure depromptis & locis, & gloſſis, præcipue c. in Archiepiſcopatu. de Raptor. & c. quod ſedes. & ibi gloſſa, Panormitanus, aliique adnotant, de off. iud. ordin. & Clem. 1. de offic. deleg. c. 2. de offic. vicar. Ex quo & illud ſequi aiunt, iure hoc Pontificio in cauſis meri imperii delegandis nõ videri electam eſſe perſonarum, quibus delegantur, induſtriam: ſed vt electa intelligatur, & vt ipſi cognoſcant, verbis id oportere idoneis exprimi. Cuiuſmodi autem iſta verba ſint, diſceptant cum alii interpretes, tum is, quem modo nominaui, Panormitanus in c. fin. ext. de offic. deleg. Sed pace omnium dixerim, non ſatis videntur probare, quod dicunt. Nam in locis quos adferunt; partim nihil tale reperi, partim illud dicitur, Papam vel Principem ſiue Regem concedere, & mandare alteri poſſe meri imperii cauſſas: vt in ca. ſicut 2. quæſt. 7. & in dict. ca. in Archiepiſcopatu, & c. illud etiam 23. quæſtion. 4. vbi verbum Quæſitoris probe, & ad veterem morem exponitur. Quid ni autem Papa vel Rex id poſſit? cum & alius quiuis, qui ratione dignitatis & perpetuum vel hæreditarium

hoc ius habet, veluti, Comes, Baro, ſimiles idem poſſint. Sed non de his nunc agimus: ſed de magiſtratibus vel aliis iudicibus, quibus ſpeciali legis vel Principis conceſſu merum imperium tributū eſt: eoſque dicimus, nec ius gladii, nec alterius grauioris coercitionis in alterum transferre poſſe, vel alteri mandare; non iure ciuili ſolum, ſed nec Pontificio, imo nec moribus noſtris, vt cognoſcere licet ex Zaſio in l. 3. ff. de Iuriſd. In aliis iuris Canonici capitibus ſcriptum eſt, non poſſe Eccleſiaſticas perſonas iudicare in iis cauſis, in quibus ſanguis fundendus ſit, ideoque ad magiſtratum ſæcularē remitti eos oportere, vt in d. c. in archiepiſcopatu in fin. in c. vlt. ne Cleric. vel monach. lib. *6*. & Can. his in quibus 24. quæſt. 7. & c. ex literis. de exceſſibus Prælat. Hoc recte & ſpeciali ratione, quia ſcilicet Eccleſia abhorreat à ſanguine, adeo quidē, vt Clerici & monachi nec venatores eſſe poſſint, nec chirurgi c. pen. ne Cler. vel monach. in antiq. Denique in aliis locis qui in iure canonico proferuntur, nihil de cauſis meri imperii ſcriptum eſt, ſed non licere Epiſcopo ſuis manibus aliquem cædere. Sed quid hoc ad rem? Concludendum eſt igitur etiam iure Pontificio non licere delegari merum imperium vtique à magiſtratu vel iudice eo, qui id non ex ſeſe habet, ſed à Principe, à lege, vel alia conſtitutione. idemque etiam propemodū expreſſum eſt in c. ſi pro debilitate, in fi de off. deleg. eoque facit & c. 1. Clem. de hæretic. vbi fruſtra Pontifex nominatim permitteret cauſam inquiſitionis aduerſus hęreticos delegari, ſi poſſet ipſo iure delegari. Idemq; & morib. receptum eſt, quod & interpretum Commentarii teſtantur, & magna

ratio

ratio ſuadet, ne tanti momenti cauſæ alteri temere delegētur ab eo, cui ſpecialiter tributæ ſunt. Matt. Weſembecius in Ti. de off. eius verſic. quod & hodie. Quamuis & ipſe ſequi vulgarem illam opinionem de iure Pontificio videatur, ibidem, & in ti. de Iuriſd. Rectius Iac. Menochius qui in lib. 1. de arbitr. iud. quæſt. 54. ſcribit, ſe ſemper veriorem ſententiam illam crediđiſſe, Nullam eſſe hac in re differentiam inter ius pontificium, & Cæſareum. nihil tamen de hac re ibi diſputat generaliter: ſed de Principis delegato tractat, an is poſſit cauſſas meri imperii ſubdelegare, quod negat, & rationibus, quæ in contrarium adferri ſolent locisque iuris Canonici reſpondet. Dixi de eo ſupra lib. 2.

CAPVT XXX.

Iudex in cauſſis meri imperii dari non poteſt.

DE Magiſtratibus videamus, atque vt iuriſdictionem ex hac cauſſa, meri inquam, imperii nec mandare, nec transferre in alterum poſſunt, quod ſupra demonſtrauimus: ſic neque Iudicem dare poſſunt: cum in cauſis ciuilibus vtrumque eis permiſſum ſit. Iudex dari intelligitur, cum cauſa ei cognoſcenda, & diiudicanda aliqua datur, ſed ſine imperio, & exequendi poteſtate, quam retinent ii, qui iudicem eum dederunt. l. à Diuo. ff. de re iudic. De Magiſtratibus ita eſt. nam ſenatus Romanus, etiam ſub Principibus hanc poteſtatem habuit. Plinius lib. 2. Epiſt. 11. Arriano: Marius Priſcus adcuſantibus Afris, quib. pro Conſule præfuit omiſ-

ſa defenſione, iudices petiit. Ego & Corn. Tacitus adeſſe Prouincialib. iuſſi, exiſtimauimus fidei noſtræ conuenire, notum Senatui facere, exceſſiſſe Priſcum immanitate ſæuitiaque crimina, quibus dari iudices poſſent, cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam pecunias accepiſſet. Reſpondit Fronto Catius, deprecatuſque eſt, ne quid vltra repetũdarum legẽ quæreretur. Et mox: magna contentio, magni vtrinque clamores, aliis cognitionem ſenatus lege concluſum, aliis liberã ſolutamque dicentibus, quantumque admiſiſſet reus, tantum vindicandum. Nouiſſime Cos. des. Iulius Ferox vir rectus & ſanctus, Mario quidem iudices interim cenſuit dandos: Euocandos autem quibus diceretur Innocentium pœnas vendidiſſe, &c. Magiſtratus autem quantumuis ſummos, Iudices dare non poſſe in cauſis capitalibus etiam ex eo probatur, quod ab Vlpiano ſcriptum eſt in l. ſolent. in princ. ff. de offic. procoſ. Sed de hac re prolixius & ex profeſſo dixi in lib. De Iudicibus, & Adſeſſoribus.

CAPVT XXXI.

De ordinariis iudiciis.

Paulus ſcribit, *Ordo exercendorum publicorum capitalium in vſu eſſe deſiit: durante tamen pœna legum, cum extra ordinem crimina probantur.* l. ordo ff. de public. iudic. Cum qua ſententia pugnare è diametro videtur, quod Vlpianus Pauli conſeſſor ſcribit libro 1. De appellationibus, his verbis. *Hodie licet*

licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem: ita tamen vt in vtroq; modo rationem non excedat. l. hodie. ff. de pœn. Paulus igitur legitimas & ordinarias pœnas manere dicit, Vlpianus non legitimas, ſed arbitrarias in vſu eſſe. & quidem vterque de iis iudiciis loquitur, quæ extra ordinem fiunt, vt illis temporibus conſueuit. Alioqui commodiſſima erat Vlpiani cum Paulo conciliandi ratio, diſtinctione adhibita inter iudicia vel iudices. vt ſi iudex proponatur, qui extra ordinem de criminibus cognoſcat, is quaſi legibus ſolutus pro arbitrio & religione ſua pœnas vnicuique delicto irroget. Sin legib. in iudicando adſtrictus ſit, is non alias pœnas quam legum poſſit infligere. Quomodo Bodinus putauit libro 3. de Republ. cap. 5. poſſe ſedari illam diſputationem, quæ olim Bononiæ inter Lotharium & Azonem habita fuit coram Henrico VII. Imperatore, An merum imperium in ſolo Principe reſideret. Sed neminem ego eſſe magiſtratum vel iudicem vnquam repertum exiſtimo, tanta poteſtate, vt nullis legibus in iudiciis præſertim capitalibus pœniſque conſtituendis alligatus eſſet. Et ridicule idem Papiniani reſponſum in l. 1. Digeſt. de off. eius. accipit de iis ſolum magiſtratibus, qui ex legibus ordinario iure iudicant, quos propterea Papinianus ſcribit, exercitationem duntaxat quæſtionis publicæ habere, quaſi aliud ſcripturus fuiſſet de eo, qui legibus ſolutus iudicaret. Nam quod exempli gratia Papinianus de Prætore, & quæſtionibus quibuſdam initio dixerat illuſtrandæ definitioni, quam poſuerat: poſtea generaliter de omni magiſtratu omnique

imperio definiuit: nemini ſcilicet merum imperium, quod lege detur, ſuo iure competere, atq; ideo mandari non poſſe. Nec probari poteſt, quod exercitationem publici iudicii ſic interpretatur, quaſi vſum duntaxat meri imperii magiſtratus habeant, non ipſum imperium. Vnde ſimiles vſuariis videantur, quibus eſt alicuius puta fundi vſus relictus. vt ad hanc quæſtionem noſtram ſcribit Molinæus, in §. 1. gloſſ. 5. num. 58. in Conſuet. Pariſienſibus titulo de Pœnis. Nam potius ipſum imperiũ vel eius (vt ita loquar) proprietatem habent, cum lege eis detur. d. l. 1. §. 1. De off. eius l. more. l & quia ff. de Iuriſd. quomodo Caſſiodorus quoque argumentatur, vt ſupra lib. 2. cap. de Vicariis, docui. Nec obſtat, quod mandare id non poſſint, vel in alium trãsferre: nimirum enim hac conditione lex detulit: & magis proprium eſt cuiuſq; , quod ipſe habere cogitur, & quo ſe ipſe exuere nõ poteſt. Hinc illa eiuſdem Papiniani ſententia, Neminem ſe abdicando imperium amittere. l. pen. ff. de off. Præſid. Sed miſſo Bodino videamus qua ratione capitalia iudicia extraordinaria dicantur. Neque enim ſatis putauit Paulus dicere publica; ſed publicorum capitalium, inquit. Nam publica multa ſunt, non capitalia, imo nec de requidem publica, ſed priuata ac familiari. quale eſt legis Lætoriæ iudiciũ de circumſcriptione adoleſcentium, vt Cicero lib. de natura Deorum teſtatur. quod poſtea ad priuati iudicii formam reuocatum eſt Edicto Prætoris, & oratione Diui Marci l. 1, & 2. ff. de Minor. Qui autem is ordo fuerit exercendi publica iudicia, cum alii, tũ Briſſonius in Selectis docet. Illud neſcio an alii obſcuarint, quod pertinere mihi ad ordinẽ iudiciorum

ciorum capitalium publicorum videtur, etiam tormentis palam & ſpectante vniuerſo populo, olim quæſtiones de reis habitas fuiſſe in foro, vel quo alio loco publico. quod ex Prudentii Aurelii infinitis locis diſcas in libro περὶ στεφάνων ſiue in Martyrologio. Idemque exponit clariſſime Diuus Chryſoſtomus in Concione 4. de Lazaro, vbi ſic ait. Si cùm magiſtratus in medio foro reũ adducit, Carnifices adhibet, ac tormẽtis examinat accuſatum, omnes magno ſtudio adcurrunt, cupientes audire, quid interroget Iudex; quid reus reſpondeat: multo magis hic diligenter auſcultãdum eſt, quid reus nimiium hic diues poſtulet: quid cõtra iuſtus iudex reſpondeat per Abraham. Non enim Patriarcha erat, qui iudicabat, quanquam is pronũciabat: Verum quemadmodum in mundanis iſtis iudiciis, quoties fuerint aliqui rei, puta, latrones, aut homicidę, hic leges procul à conſpectu iudicis occurrentes non permittunt vt audiant vocem iudicantis, qui præter al a hoc quoque honore, iudicat illos indignos. Sed medius quiſpiam interpres & iudicis interrogationes & rei reſponſiones profert: hoc ſane pacto & tunc factum eſt. Non Deum pronunciantem, non Deum ipſi loquentem audiuit reus, ſed medius erat Abraham, qui Iudicis vocem ei, qui iudicabatur, retulit. Non enim ex ſeſe dicebat, quæ dicebat, ſed diuinas diuiti leges recitabat, quæque cœlitus ferebantur, ſententias proferebat. Hæc Chryſoſtomus: cuius nobis loci indicium fecit eruditiſſimus vir Cunr. Ritterſhuſius, Collega meus. In quo & illud animaduerſione dignum eſt, quod iudices non ſolerent ipſi alloqui, quãuis præſentes reos, ſed per intermediam perſo-

nam id agerent: ſed cõtrarium in dictoMartyrologio legi, niſi hoc quoq; præcipuum aduerſus Chriſtianos fuerit, vel magiſtratus ira inflammati nimia, morem & dignitatem ſuam non tenuerint. Sed quod ad rem noſtram magis pertinet, huiuſmodi quoque conſuetudinem de criminibus publice quærendi intellexit forte Paulus in illis verbis, *cum extra ordinem crimina probantur*: quaſi ordinarium ſit, palam, & in ipſo foro quæri, ac probationes audiri: extraordinarium in carcere, vel loco à turba remoto: vt hodieq; mos eſt, ſola ſententia palam & alicubi ſub dio recitari ſolet, adducto in forum reo. cum olim in publico reus aliiq; eius aduocati dicerent, teſteſque publice audirentur. Cicero Act. 4. in Verrem: *Tum repente iſte teſtes citari iubet: dicit vnus & alter breuiter; nihil interrogatur. Præco, dixiſſ- pronuntiat.* Sane, quod Paulus ait, in vſu eſſe deſiiſſe publicorum iudiciorum ordinem, non ita diſtricte intelligendum eſt, quaſi etiam non licuerit eũ ordinem adhiberi, præſertim ſi cædes aliqua, vel facinus inſignius incidiſſet. Extat certe apud Agathiam Scholaſticum lib. 4. de Rebus geſtis Iuſtiniani iudicii publici apparatus egregia deſcriptio in cauſſa cædis: & quidem ex præſcripto legũ Romanarum, vt idem author lib. 3. iniunctum fuiſſe ab Imp. Iuſtiniano dicit: quo mitigetur Hotomanni nota, ad §. vlt. Inſt. de Interd. Illa quoque reorũ in publico audiendorum & per tormenta quærendi veritatiſq; inueſtigandæ ratio non fuit, opinor, paſſim adhibita, præſertim in vilibus perſonis, puta, furib. quod & ipſe Chryſoſtomus alio loco tradit, dum ait, οἱ λῃσαὶ ἐν μὲν τῷ δεσμοτηρίῳ ζῶντες ἀδεῶς ζῶσιν. ὅταν δὲ ἔξω τὸ πέτασμα ἀγαγόντες στή-

σα

σαὐτὲς, διαλύονται τῷ φόβῳ. nã intra velũ cognoſcere, eſt ſecreto cognoſcere. l. prima, Co. tit. de off. Rect. prou. Suidas παραπέτασμα, παρακάλυμμα, παράπλωμα, τὸ λεγόμενον βῆλον. Sed quomodocũque hęc ſe habeãt, illa quæſtio maioris mométi eſt; an quia ordo iudiciorũ in vſu eſſe deſierit, ideo & iudicia ſint omnia extaordinaria? Ita quidẽ generaliter ſcriptum eſt, in §. vltim Inſtit. de interdict. Quod ſi ita eſt, ſequitur, legis puta Iuliæ de vi, vel legis Corneliæ de falſis non magis ordinarium iudicium eſſe, quam ſtellionatus, aut expilatæ hæreditatis. Nec vero id tantum ad ordinem & modum exercendi iudicii, ſed inprimis ad qualitatem pœnæ, & iudicis in ea re poteſtatem pertinet. Igitur de tota hac quæſtione paulo accuratius explicandum videtur.

CAPVT XXXII.

De crimininibus legitimis atque ordinariis.

ORDINARIA iudicia non ſolum ex eo dici animaduerti, quod ordine & ritu legitimo exerceantur, ſed etiã quod certa & perpetua quæſtio legib. conſtituta eſſet, vt ſi non iis legib. exerceretur, quãuis alias vſitatus ordo iudiciorũ publicorũ adhiberetur, extra ordinem quæri dicatur. vt Cicero de cæde in via Appia facta queritur nouũ & extra ordinem iudiciũ à Pompeio conſtitutum, cum tamen antea leges & iudicia eſſent in ciuitate de vi & cæde, quibus quæri debuiſſet. Quæſitor quoq; nouus tum creatus fuit L. Domitius, nec vt antea à populo, ſed à Pompeio conſule. Sed & ratio

quædam iudicandi breuior atque adſtrictior conſtituta eſt. In pœna legitima nihil, opinor, immutatum: propter quam maxime ordinarium vel extraordinarium crimen dicitur. Ordinaria crimina enim vocantur, quæ, præter nomen, etiam certam legem, certam formam, certamq; pœnam habent, vt maieſtatis, adulterii, falſi, ſimilia. Vnde & legitima crimina adpellantur. l. 3. §. pœna. ff. de crim. ſtell. & legitimæ quæſtiones, itemque leges publicorum iudiciorum. l. 2. ff. de orig. iur. & publicæ leges. l. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de ſicar. & publici iudicii exercitio. l. 1. ff. de offic. eius. & leges exercere, Tiberio apud Tacitum. Extraordinaria ſunt; quæ legitimum nomen non habent, neque formulam ordinemue certum, neq; pœnam lege definitam: quamuis legem habent, vel potius iure aliquo cōſtituta ſint & vindicētur, quale eſt crimen abigeatus, ſtellionatus, concuſſionis, expilatæ hæreditatis, alia. Eodemq; pertinet illa Græcorum diuiſio, apud quos ἀδικήματα, alia dicuntur νόμιμα, id eſt legitima, alia vero ἄγραφα id eſt, lege non comprehenſa, ſiue inſcripta, vt Fabius vocat. Tametſi ſcio Plutarcho improbari hanc appellationem legitimorum criminum: id enim eſſe ſolum legitimum dicit, quod legis mandatum eſt. libro de Fato ad Piſonem. A qua mente etiam interpretes noſtros exiſtimo Nominata, & Innominata delicta dicere maluiſſe, de quib. explicat Bartolus ad l. nunquam plura. ff. de priu. delict. quem alii communiter ſequuntur, Iulio Claro & Tib. Deciano teſtib. Iaſon vero clarius (vt ipſe ait in l. ſi familia ff. de Iuriſd.) hęc ita exponit, vt nominata delicta ſint, quæ habent à iure nomen ſpeciale, veluti, furtum, adulte-

rium

rium,homicidium. Quæ autem iuris nomen non habent,ſed meri facti ſunt,ſicut ipſum factum ſonant,vt corrumpere album Prætoris, vel dare dãnum iniuria,ea cenſeri delicta innominata: itemque illa,quæ nomen generale habent, vel uti Iniuria. quomodo permutationem dicimus, contractum innominatum, quia omnium contractuum commune nomen ſit. Sed de his ſatis. Illud potius obſeruatione dignum eſt,interdum iudicium ordinarium pro ciuili iudicio ſumi, & opponi criminali,licet vtroque agi poſſit ex eodem crimine priuato.Sic Vlpianus in l.vlt. ff. de priu.del. *Si quis actiones*, inquit, *quæ ex maleficiis oriuntur, velit exequi: ſiquidem pecuniarie agere velit, ad ius ordinarium remittendus erit. nec erit cogendus in crimen ſubſcribere.* Quæ ſic rectiſſime Goueanus exponit lib. 2. De iuriſd. Vel coram datis à Prætore iudicibus pecuniarie ex delicto agi, vel criminaliter apud Præfectum vrbi. quod cum fit, id eſt,eum extra ordinem pœnã exerceri velit, vt ibi ſubiicitur, in crimen ſubſcribere eum oportet.quod & in l.vlt.de furt.totidem verbis ſcriptum eſt. Idem Vlpianus in l. 1.ff.de incend.ruin.naufr.*Et quanquam*, inquit, *ſint de iis facinoribus criminum executiones: attamen recte Prætor fecit, qui forenſes quoque actiones criminibus iſtis propoſuit.* id eſt, ciuiles.ἀντιδίκως ἐν πράγμασιν ἀγοραίοις, inquit Herodianus libr. 7. id eſt, in forenſibus cauſſis, vt Politianus vertit. Obſeruo etiam iudicium ordinarium dici, vt & iudices ordinarios ad differentiam iudicii militaris & militarium iudicum apud Ammianum & alios, vt ſupra libr. 2. notaui. Sic Ambroſio in Epiſtola 29. *Artes ſunt iſtæ*, inquit, *Iudæorum volentium calumniari, vt dum iſtæ*

quærantur, mandetur extra ordinem militaris cenſura iudicii.

CAPVT XXXIII.

De pœnis legitimis.

VT iudicia & crimina, ſic pœnæ aliæ ordinariæ legitimæque ſunt, aliæ extraordinariæ, & in arbitrio iudicantium poſitæ. Atque antiquis temporibus vt formulas & actiones legitimas ex cuiuſque damno, dolore, iniuria expreſſas fuiſſe, Cicero ſcribit, ſic pœnæ in publicis præſertim & capitalibus iudiciis certæ omnes ac legibus conſtitutæ fuerunt. Qua de cauſſa nec in ſententia exprimi genus pœnæ oportebat, cum ex ipſa lege atque crimine intelligeretur. Ac ſi pœna eſſet capitalis de aliquo ſumenda, non aliud Prætor aliuſue Iudex, qui anquirebat proferre ſolebat, quam vt ipſe lictorem vel voce præconis LEGE AGERE iuberet. quod plurimis teſtimoniis confirmari poſſet, niſi ea vulgo nota eſſent. Eandem ego formulam putauerim reſtituendam eſſe Aur. Prudentio, elegantiſſimo & ſanctiſſimo poetæ, in paſſione Hippolyti martyris, vbi ſic eſt,

Inde furens Quæſitor ait, iam tortor ab vnco
Deſine: ſi vana eſt quæſtio, morte agito.

Malim, inquam, *Lege agito*. tametſi puto non in alia pœna, quam mortis ſignificãda vſum huius locutionis imperioſæ fuiſſe. quod quatenus in ciues Romanos licuerit, explicaui copioſe in libro ad L. Porciam: ſed & in aliis pœnis irrogandis, ſiue potius ſententiis hæc pœnæ expreſſio non fuit olim neceſſaria

neceſſaria.ſatis viſum eſt, ſi dicerent, Reum feciſſe videri, Vel Reum lege Cornelia de Veneficiis teneri. Quo dicto pœna ſtatim intelligebatur, irrogataque reo erat. Hinc illud Ciceronis, *Lex eſt, pœna eſt*, & Horatii ad Piſones

——Lex eſt,
Pœnaq; lata malo, quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi.——

Fuere etiam certa genera pœnarum apud Romanos, certique modi eas irrogandi: puta mortē. Sicut & apud alias gentes, vt Damhudinus in Flandria ſcribit, octo vel nouem genera in vſu eſſe. Neq; eſt in his rebus quicquam temere mutandum. optimus eſt enim in his rebus mos maiorum. Cuius religioſiſſimi Romani, etiam in ſententiis eum nominare ſolebant, cum dicerent, More maiorū aliquē puniendum, vel. vt eſt in ſententia Catonis de cōiuratis Catilinariis apud Saluſtium, ſupplicium more maiorum ſumendum: De quo pluribus diſſerui ad d. legem Porciā de ſuppliciis. Et neſcio quomodo externa omnia ſunt vitioſa, quamuis forte leuiora, & anſam calumniandi & inuidiæ præbent. *Gloriari licet* (inquit Lucius de Romanis) *nulli populo mitiores placuiſſe pœnas.* Hinc illud ſæpe legas apud veteres ſcriptores, contra clementiā maiorum aliquid factum dici. Nollem celeberrimum Theologum barbariem Romanam ita inſolenter cum in aliis rebus, tum in hac re exagitare, quæ nulla ſi verum velimus, fuit; niſi forte diſplicet ei, abolitum à Romanis in gente ſua, vt & in Africa morem, filios immolandi ac mactandi fuiſſe.

CAPVT XXXIV.

De iudicum poteſtate in pœnis.

NObilis eſt illa Papiniani ſententia. *Facti quaſtiones in poteſtate iudicantium ſunt, pœna iuris authoritate reſeruatur.* l.1.§. quorum. ff. ad SC. Turpill. l.ordine. ff. ad municip. Hæc ſententia locum habet, vt apparet, vbi pœna lege cõſtituta eſt certa aliqua. de quo poſtea. Primum enim totum illud genus extraordinariorum criminum ab hac definitione remouendum eſt, in quo nulla eſt certa pœna vel legibus, vel alio iure definita: vel pœnarum quidem varietas aliqua propoſita eſt, ita vt nunc hanc, nunc illam irrogare iudex poſſit. Exemplum ſumatur ex Conſtitutione Honorii & Theodoſii in l.5.C. de naufrag. li.11. *De ſubmerſis nauibus*, inquiunt, *decernimus, vt leuato velo iſtæ cauſæ cognoſcantur: & ſi quiſquam de talibus negociis aliquid accepiſſe detegetur, iudex apud quem conſtiterit, his conquerentibus qui nudantur, pro qualitatibus perſonarum mulctandi, remouendi, proſcribendi habeant poteſtatem.* Sed etſi nulla pœna exprimatur lege vel iure, tamen Iuriſconſulti certum aliquid definire conati ſunt, ne plane vagum & liberum eſſet arbitrium, veluti in actione iniuriarum criminali: quæ (vt loquitur de ſtellionatu Vlpianus l. 3. ff. de ſtell.) extraordinariam coercitionem habet, id eſt, officio iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur, vt Iuſtinianus ait §. vlt. Iuſt. de iniur. Nam ICti ex cauſſa & perſona extra ordinem ſtatui ſolere, dicunt, nunc flagellis, nunc fuſtibus, nunc exilio, vel relegatione, vel rei

certæ interdictione, ordiniſve motione l. qui iniuriarum. & l. vlt. ff. eod. tit. Illud iu hoc arbitrio, & poteſtate iudici tenendum eſt, vt modum non excedat, mortem quidem nũquam irroget. Eſt enim ab omnibus damnata illa Accurſii ſententia, qui ſcripſit in arbitrariis & extraordinariis pœnis ſiue iudiciis vſq; ad vltimum ſupplicium progredi iudicem poſſe. in d. §. in ſumma. Inſt. de iniur. vt teſtatur Matthæus de Afflictis Deciſ. Neapolitana 21. vbi elegans ex facto ſpecies tractata de eo, qui virgini mulierive oſculum obtuliſſet inuitæ: quod in vrbe Neapolitana capite, extra vrbem arbitraria pœna luitur. Poſtremo quid dicendum, ſi neque lex vlla, neque Iuriſconſultorum interpretatio vllam pœnam expreſſerit? Commodiſſimum eſt, quod Accurſius in l. quid ergo. §. pœna. & ibi Bartolus commendat. ff. de his qui not. infam. vt id ſequatur iudex quod conſuetum erat fieri pro ſimili delicto. vt etiam not. in l. athletas. §. calumniatur. ff. eod. tit. & l. hodie. ff. de pœnis. Illud tamen cauẽdum eſt, ne prętextu conſuetudinis, vel alterius iuris, puta multæ dicendæ, quæ eſt in arbitrio iudicantium, is qui ciuilibus cauſis iudicandis præpoſitus eſt, merum imperium ad ſe trahat, quod obſeruo factitaſſe olim improbos Prætores Romæ, ex illo M. Tullii loco in Verrina 3. extrema. *Atque etiam iudicium in Pratura publicum exercuit, non enim prætereundum eſt ne id quidem. petita multa eſt apud iſtum Pratorem à Q. Opinio, qui adductus eſt in iudicium verbo, quod cum eſſet tribunus pl. interceſſiſſet contra L. Corneliam, &c.* Quare ibi mox ſequitur, indignitati eius iudicii, quo Opimius omnibus fortunis à Verre euerſus fuit, in ſenatu actum

eſſe, vt genus hoc totum multarum, ac iudiciorum eiuſmodi tolleretur. Atque hæc de extraordinariis iudiciis, in quibus arbitrium iudicis magis dominatur, permittente iure. Deinceps de iudiciis legitimis, quæ certam atq; ordinariam pœnam habent cognoſcendum eſt. Et primo illa regula conſtituatur, Non debere iudicem à legitimis pœnis recedere, nec legibus nõ modo vel ſeueriorem, ſed nec mitiorem eſſe, vt ait Iuſtinianus Nouella 82. c. 10. φιλανθρωπότερον τῦ νόμυ φαίνεσθαι, vbi bene ex Symmacho adſcriptum eſt, corruptas videri ſentẽtias, ſi ſint legibus mitiores. Nam in leges iudices iurant & leges etiam in pœnis ſequi iubentur, à Principe & Pontifice. l. ſerui. C. ad L. Iul. de adult. c. cum nõ ab homine. ibi, *legitima pœna infligatur*. ext. de iudic. Ex quo apparet non recte Cuiacium exiſtimare ab omni pœna hodie prouocationem eſſe, quia omnis arbitrio iudicis irrogetur, legitimæque pœnæ in vſu eſſe deſierint. ad l. aliud fraus. de verb. ſignif. & lib. 8. obſeru. contra l. ſi qua pœna. ff. eod. tit. Nam pœnæ plerumque legitimæ hodieque infligi ſolent. Raro nec niſi ex magna cauſſa mutari poſſunt: vt docẽt paſſim interpretes omnes, de qua re in primis videndus Iulius Clarus lib. 5. Recept. ſent. quæſt. 85. iidemq; latiſſime exponunt, quæ nã illæ cauſæ iuſtæ ſint pœnarum augẽdarum, vel minuendarum. atque ita intelligenda eſt l. hodie ff. de pœnis. & c. 1. 23. quæſt. 5. non quaſi ſublatæ ſint legitimæ pœnæ, quas imo manere Paulus adfirmat in l. ordo. ff. de publ. iudic. nec veriſimile eſt, eum, vt in iuris articulis, ſic in hac re omnium oculis expoſita ab Vlpiano authore. d. l. hodie familiari & conſeſſore ſuo diſſentire. Neque aliter vſu hodie obſerua-

obſeruatur, quin imo, ſi forte ex graui aliqua cauſſa pœna legitima minuatur, vel mutetur, cauſſam illam in ſententiam exprimi oportet vel nominatim, vt quidã cenſent, vel generaliter, vt plerique, veluti, illis verbis, Ex iuſtis cauſis nos mouentibus. idq; ita Camerã Imperii obſeruare teſtatur Andr. Geil. lib. 2. de pace publ. cap. 9. nu. 22. vbi cum alios tum Bartolum eius ſententiæ principẽ allegat in l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his qui not. infam. quo loco interpretes vulgo de hac re tractãt, recteq; cũ alia, tum illud tradunt hanc pœnæ immutationem minoribus præſertim magiſtratibus non eſſe, incõſulto Principe, permittendam. ſed nec maioribus quidẽ facile vt ſupra hoc libro probauimus, idque maxime verũ eſt, ſi miſeratio tantũ, & humanæ naturæ ſocietas animũ iudicis, non alia grauis, aut expreſſa legibus cauſſa, moueat. Satius eſt. n. cũ Nerone, tum optimo dicere, Quam vellẽ neſcire literas, quam legis præceptũ transgredi, quanto magis id magiſtratibus cauendum. Elegantiſſime ad hanc rẽ atq; hunc iudiciorũ vſum magnus Baſil. in Epiſt. ad Euſeb. Εἰ γὰρ οἱ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες ὅτ᾽ ἄν τινα τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἐφέλκονται τὰ παραπετάσματα. καλοῦσι δὲ τοὺς ἐμπειροτάτους πρὸς τὴν ὑπὲρ τῶν ὑποκειμένων σκέψιν, καὶ πολὺν ἀνασχολάζουσι χρόνον νῦν μὲν τοῦ νόμου τὸ αὐστηρὸν ὁρῶντες, νῦν δὲ τὴν κοινωνίαν τῆς φύσεως δυσωπούμενοι. καὶ πολλὰ στενάξαντες καὶ τὴν ἀνάγκην ὀλοφυρόμενοι, δῆλαι πᾶσι γίνονται πρὸς ἀνάγκην ὑπερετοῦντες τῷ νόμῳ οὐ κατ᾽ οἰκείαν ἡδονὴν ἐπάγονται τὴν κατάκρισιν. Neq; obſtat l. auxiliũ. ff. de minor. ibi. n. nõ ſimplex cõmiſeratio, ſed ætatis dicit poſſe iudicẽ mouere ad leniorẽ ſententiã, nec tamẽ cogi, quis contrariũ ſciã à Tiberio

Deciano reſponſum, ſed in fure, quem puniri morte, contra ius gentium eſſe Theophilus ait. Magis laudatur ſeueritas Trebii legati, qui de *impubere* ſummi ſupplicium vltimum iuſſit contra verbi SCti Sillaneiani: *ſed non ſine ratione*, inquit Marcianus: *nam is puer nec multum à puberi ætate aberat, & ad pedes domini cubuerat, cum occideretur: nec poſtea cædem eius prodiderat*. l. excipiuntur. ff. de Senatusconſulto Sillan.

CAPVT XXXV.

An iudex pœnam legitimam infamiæ vel aliam impedire tacitè poßit.

NON ignoro quàm grauis ſit hæc quæſtio, de qua Bartolus & alii in l. quid ergo. §. pœna. ff. de his qui not. infam. Ego duas pœnas eſſe in iure ciuili reperio, quę licet ſententia iudicis non exprimantur, tacite tamen in ea cõtineri, & damnatum ſequi intelliguntur, infamiam & bonorum publicationem. Deportatum vel aqua atque igni interdictum, item capite damnatum fere hęc pœna iure veteri comitatur, vt & bona familiaque eius publicentur. Quod iure nouo immutatũ eſt, vel potius temperatum, Nouella ſcil. Iuſtiniani, Auth. bona damnatorũ. C. de bon. proſcript. quæ licet generalis eſſe videatur, ſic, vt nullo hodie ex delicto, præterquam maieſtatis & ſi quid ſimile, nullaque pœna damnatis reis bona eorum in fiſcum redigãtur: tamen recte ita accepta eſt, vt iis tãtum criminibus locum habeat, ex quib. vi ipſa & poteſtate ſola pœnæ ea publicatio cõtinebatur, vt in deportatis dixi.

l. de-

l. deportatorum. C. de pœnis. At in iis criminibus nihil ea Nouella mutauit, quibus lex ipſa pœnam hanc confiſcationis nominatim irrogauit, vt l. Iulia Repetundarum, vel ambitus. Ex quibus illud intelligi volo neutro caſu iudicem, id eſt, nec Iuſtiniani conſtitutioni, nec veteribus legibus præiudicare ſua ſententia poſſe; nec executioni eam mandari ſi contra dict. Auth. publicari bona iuſſerit: vtpote quæ manifeſto per errorē lata ſit, vel per gratiam & ſordes, contraque Principum conſtitutiones. l. vlt. ff. ad l. Corn. de falſ. l. 1. §. 2. ff. Quæ ſent. ſine appell. reſcind. Et hæc quidem ita ſunt. De infamia, quia nulla poteſt in ea executio verſari Iudicis, cum tacite ipſa per ſe damnatū ſequatur, difficilior quæſtio eſt, an iudicis ſententia aliquid in ea poſſit efficere, ſi vel mitiorem pœnam, vel grauiorem reo inflixerit, quam ex lege, iureve oportebat. In quo tenenda eſt definitio illa Papiniani, *Durioribus pœnis adfectos, ignominia, velut tranſacto negotio, poſtea liberari. Minoribus vero, quam leges permittunt ſubiectos, nihilominus inter infames haberi. cum facti quidem quæſtio ſit in poteſtate iudicantium, iuris autem authoritas non ſit.* l. ordine. ff. ad Municipal. l. 1. §. quorum. ff. ad SC. Turpill. l. ad tempus. ff. de muner. & honorib. Eadem diſtinctio extat & adprobatur in l. 3. ff. de decurion. in l. inferior. §. vlt. ff. de pœn. l. quid ergo. §. pœna. ff. de his qui not. infam. in l. 4 C. eod. Et ratio illa Papiniani elegans, quod duriori pœna velut tranſactum negocium ſit, id eſt de infamia tranſactio quædam facta legibus vel iudicis ſententia. Nam vbi iudex pœnam auxit, lex minuit ſuam, & quaſi plus adcepiſſet à reo, quam ſibi ab eo deberetur, remiſit inuicē reo aliquid quod reus legi

debebat, id eſt infamiam.atq; ita hac deciſione ſatisfit legi, res ad æqualitatem redigitur. *Legati* (inquit Marcellinus libr. 28.) *ex nobilitate ad Valentinianum Imper. miſſi, rogaturi ne delictis ſupplicia ſint grandiora: neue ſenator quiſquam inuſitate & illicito more tormentis exponeretur.* Hoc igitur ita ſe habet cum pœna grauior impoſita eſt, quam leges volunt, nec tamen perpetuam. nam in furto non obtinet, ſi iudex cum debuiſſet furē dupli damnare, vtpote nec manifeſtum, damnauerit quadrupli tanquam manifeſtum: non propterea remittitur damnato infamia. d.l.quid ergo.§. pœna.ff.de his qui not.infam. vbi Vlpianus addit non idem ius eſſe, ſi in pœna nō pecuniaria eum oneraſſet: tunc enim tranſactum cum eo de infamia videri, nec infamē eſſe. Sed quæ ratio differentiæ? Præterea obſtare videtur l. non poterit 63. ff. de furt. vbi ſcriptum eſt, Præſidem nō poſſe efficere, vt furti damnatum non ſequatur infamia. quod de eo ſcriptū eſt ſine dubio, qui pœna non pecuniaria adfectus eſt: cū ſit ea lex ſumpta ex lib. 11. Macri de publicis iudiciis: quamuis enim nō ſit publicum iudicium furti etiā cum criminaliter agitur, in eo tamen tanquam in publico iudicio in crimen ſubſcribere actorem oportet. l. vlt. ff. eod. tit. ſed facilis reſponſio: neque enim eo caſu Macer loquitur, cū pœna eſt à Præſide adgrauata, de quo Vlpianus agit. Adgrauando pœnam non pecuniariam, ſed corporalem poteſt præſes efficere, ne fur ſit inter infames. d. §. pœna. Ratio autem differentiæ eſt, quod pecunia conſeruari, aut lui exiſtimationem, abſurdum viſum eſt. Ita enim diuites nunquam infames fierent, ſemper pauperes. Vel ſubtilius dicendum eſt, quod etiam ſcripſit Donell. l. 18. com-

comment. quia pecuniaria pœna non ſatisfiat legi. quæ pœnam irrogari voluit ad publicam vindictã atq; ad exemplum.l.locatio §.illicite. ff.de public. & vectig. l. bona. ff. de depoſ. at pœna pecuniaria præſtatur priuato,non Reipub. Quid igitur ſi fiſco pœna pecuniaria petatur,non priuato?non dubitẽ dicere non eſſe locum ſuperiori Vlpiani ſententię, ſed tranſactum & hic de infamia videri.Neque abhorret Bartolus ab hac ſententia, ſi quis eius dicta rimetur. Deinde ſuperior regula,vt aucta legis pœna tranſactum de infamia intelligatur, non habet locum,ſi aucta ſit ex ſententia & mente legis nimirum propter aliquam circumſtantiarum ob quas augeri pœnas ipſæ leges permittunt. l. aut facta. ff. de pœn. Tum igitur ea regula locum habet, cum vel iudex non debuit tantam pœnam imponere, vel recte quidem eam impoſuit, ſed non propter natiuam delicti, vel aliquam ei cohærentem qualitatem, ſed extrinſecam & aduentitiam cauſſam, puta, propter exemplum, & ob frequentiam delicti,vt recte Bartolus tradit in d.§.pœna & alii probant. ex cuius implicatiſſimis ſcriptis tertia ſuperioris regulæ exceptio, ſiue limitatio elici poteſt, vt nimirum ea locum non habeat ſi poſt ſententiam & damnationem pœna ſit adgrauata, puta, ſi quis in pecuniam, ea cauſa famoſa damnatus ſit, ſed cũ iudicatum facere non poſſet, corporalis eſt ei pœna impoſita,quod fieri ſolere diximus ſupra cap.12. Nam ſententia ſpectanda eſt, & legitima per eã inflicta pœna,vt nullo modo de infamia poſſit tranſactum videri, cum ſemel reo inuſta ſit: nec aboleri à iudice vllo, ſed à Principe poteſt l.vlt.§.1.ff.de qu. l. moris. ff. de pœn. reo ſcil. in integrum reſtituto

quæ tamen reſtitutio non abolet omnẽ prorſus infamiam, præſertim ſi indulgentiæ nomine ſit conceſſa, vnde dicitur *Indulgentia quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, ſed pœna gratiam facit.* l. vlt. C. de gener. abolit. Et Claudius Imperator ſcitiſſime cum rogatus vt cuidam notam demeret. *At litura*, inquit, *extabit*. Atq; hæc de pœna legis à Iudice per ſententiam aucta: ſiue corporalis in aliam corporalem grauiorem verſa ſit, puta, ſi in perpetuum relegatus ſit, qui ad tempus relegari debuit: ſiue pecuniaria in corporalem cõmutata ſit, ſemper enim corporalis eſt grauior quauis pecuniaria pœna l. in ſeruorum §. vlt. ff. de pœn. Videamus nunc de altera regula: ea eſt, ſi pœna à Iudice mitigata fuerit, infamiam quę ex lege inuritur, ſimul ſequi damnatũ. d. § pœna. & d. l. ordine. cum ſimil. Nihil enim hoc loco proponitur, propter quod legis pœna remitti debeat, cum iudex eam minuerit, quæ in ipſius poteſtate erat, puta, pecuniæ, vel relegationis. in his enim pœnis aliquid poteſt iudex, cum ſint facti. ipſe enim iudex infligit atque exequitur. At infamiam irrogat ſola lex, nec executione vlla indiget, ſed ſua ſponte comitatur damnatum. Quare etiamſi non minuerit pœnam legis iudex, imo etiamſi nullam pœnam irrogarit, ſed damnauerit tantum, id eſt, pronũciauerit aliquid feciſſe, ex quo imfamia pœna eſt, licet de infamia nihil dixerit, tamen irrogata cenſetur, puta, ſi dixerit, Calumniatus es l. 1. §. quorum ff. ad S C. Turpill. vel iniuriam feciſti, nam damnatus iniuriarum, quãuis nulla alia pœna poſita, vel irrogata ſit, ſtatim fit imfamis. nec poteſt iudex efficere vllo modo, ne hæc pœna damnatũ ſequatur, d. l. 1. & l. nec poterit. ff. de furt. l. Diuus. ff. de iniur.

iur. quamuis addat in ſententia, ſaluo honore, vti in Camera Spirenſi, aliiſque tribunalibus Germaniæ fieri ſolet. de quo Andr. Geil. videndus lib. 2. obſeruat. Sed & huic regulæ ſuperius illud temperamentum recte Bartolus adhibet, vt ſi ex cauſſa aliqua, quæ delicto cohæreat minuta ſit pœna, etiam infamia remiſſa videatur, puta, ſi ex iuſta ira hominem occiderit: non item ſi ex cauſſa extrinſeca & non inſita in delicto, veluti, ſi propter nobilitatem familiæ vel dignitatem l. Pedius ff. de inc. ruin. naufrag. l. Decuriones. C. ex quib. cauſ. infam. Hic tractatur ab Accurſio & aliis in d. §. pœna. de relegato vel ordine ad tempus moto quæſtio, an poſt illud tempus exiſtimationem recuperent, vel ad priſtinos honores, aut ad nouos admittantur. De qua etiã Cuiacius in d. l. ordine. ad municipal. in lectionibus ad Papinianum. Et Donellus præclare loco ſupra citato.

CAPVT XXXVI.

De homicidio aliove delicto componere vel tranſigere.

SVPERIORI capite genus tranſactionis ſingulare expoſuimus, quo lex ipſa cum reo velut tranſigit ac decidit propter adgrauatam à Iudice pœnam legis; Nunc vice verſa aliud nõ minus ſingulare cognoſcemus, in quo iudex ipſe tranſigit de delicto aliquo. Solent ac debent boni iudices hortari litigatores ad tranſigendum, nõ cogere, interdum tamen ipſi ſoli tranſigunt cum reo, etiam inuito actore vel adcuſatore. Verum id non quibus-

uis, ſed ſummis tantum iudicibus permiſſum eſt, qui non iuriſdictionem ſolum, ſed & imperium ſummum habent Exempli cauſa, De homicidio poteſt à Iudice iuſtis & magnis de cauſis compoſitio (vt loquuntur) fieri, ſic vt reus homicidii pœnā non ſuſtineat, ſed multo leuiorem & pecuniariam, & aliquando fere nullam, puta, ſi diu in reatu fuerit, vel ipſe ſponte exulauerit l. ſi quis diutino. ff. de pœn. Qua de re cum alii, tum Lucas Pennenſis tractat ad Tit. C. de Defenſ. lib. 12. quod & ſupra cap. 11. admonuimus. extatque de hac re pulcherrima apud Matthęum de Afflictis Deciſio, in qua ſcribit Alfonſum Ducem Calabriæ, regiſque primogenitum & Legatum dicere ſolitum, non ſe audere abſque ſcitu regis de vllo homicidio componere: ideoque de magnæ Vicariæ Neapol. facto iudicari à ſummis Curiarum aliarum iudicibus voluit, recte ne ea id ſibi arrogauerit, ac ſecundum eam reſponſum fuiſſe, quod & grauiſſimis de cauſis id feciſſet, & ius etiam faciendi ex Epiſtola regis Ladislai habuerit. Conſtitutione igitur Principis ac legis, qua ſpecialiter merum imperiū dari, ſæpe iam demonſtrauimus. Sic Epiſtola D. Seueri datum Præfecto vrbis l. 1. ff. de off. præf. vt aliæque Epiſtolæ eius & aliorum Principum de eadem re commemorantur, quibus inſigniora quædam generali conceſſu meri imperii non continebantur, eis ſpecialiter tributa ſunt, vt ius deportandi & confiſcandi, vt ſuo loco docui. Aliud eſt reſtituere iam damnatum: id nemo poteſt, quātumuis ſummus magiſtratus, facere, ſed ſolus Princeps, aut ſi cui id Princeps ſpecialiter nominatimq; conceſſerit, quod certe non ſolet. Imo contra ſolet: vt Carolus Quintus mandato

dato ſummo imperio, ſummaque & plane regia poteſtate Senatui Mediolanenſi & Neapolitano, etiam vt appellari ab iis ad ſe non liceret, quod eſt omnium maximum imperii & maieſtatis auxiliũ, exceperit tamen nominatim duas haſce res, ne delictorum veniam tribuere poſſent, aut literas ſalui conductus reis criminum dare. vt refert Ioh. Bodinus lib. 1. de Repub. c. 9. Quemadmodum & liberum mortis arbitrium condemnato dare ſolius principis olim fuit. l. aut damnum. ff. de pœn. de quo multa P. Faber adcurate cõgeſſit lib. 1. ſemeſtr. cap. 4. In Taciti tamen loco libro 16. Annal. *Et Nero interceſſit mortem ſine arbitrio permittens: ea cædibus peractis ludibria adiiciebantur*; minori mutatione, *ſuo arbitrio*, quam, mortis liberum arbitrium, legatur. Sed de hac tota re copioſe expoſui in libris de Imperio Principis.

LIBRI III. FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HISCE DE

iuriſdictione libris tribus continentur: quod ſi qua omiſſa ſunt, ea Lector priuato ſtudio poterit ſupplere.

ABolitiones quando dentur. 355
Abſoluere cuius imperii ſit. 354
Academiæ quę ſingulari priuilegio ius ſummum gladii habent, recenſentur. 401
Academiarum cauſſa inter ſacras & pias refertur. 403
Academiis Doctores idonei conſtituendi. ibid.
Actio definitur. 31
Actio an detur ex pactis. 98
Actio inutilis nulla eſt. 258
Actio in factum vel innominata an prætoria vel ciuilis. 34
Actio iniuriarũ ciuilis apud quem inſtituatur. 371
Actio iudicati vnde naſcatur. 32. eius vtilitas. 34. æquitas. ibid. quid in hanc veniat. ibid. quid quæratur in ea. ibid.
Actio iudicati ex lege 12. tab. deſcendit. 33. ciuilis eſt nõ prætoria. ibid.
Actio iudicati ſemper eſt rei perſecutoria & ob id perpetua, & hæredi & in hæredem datur. 34
Actione iudicati poſt elapsũ tempus rei iudicatæ faciendæ vſurę centeſimæ currunt. ibid.
Actio de eadem re, de qua antea iudicatum eſt, ſi non ſit eadem cauſa petẽdi vel perſonæ eædem, datur. 32
Actio qua hæres tenetur defuncti creditorib. ex quaſi contractu oritur. 33
Actio prætoria in factum eſt vltimum ſubſidium iuris noſtri perſequendi. 101
Actio tutelę naſcitur ex conuentione & lege. 32
Actionem moueri noxalem pro libero homine impoſſibile & iuri incognitum. 258
an Actione aliqua conueniri poſſint magiſtratus. 287
Actiones contentioſæ & iudiciales exerceri apud magiſtratus municipales poſſunt. 204
Actiones denegare cuius ſit. 36

Actio-

Actionum ad iuriſdictionē tuendam genus duplex. 27
Actiones legis etiam de volūtariis cauſſis proditæ. 61
Actus emancipationis ad iudicem competentem pertinet. 250
in Actibus omnibus ſolennia quædam adhibentur. 145
Ædiles Curules ſua ſunt iuriſdictione vſi non prætoris tū in ſtipulationib. tum aliis in rebus ad officium & ius pertinentibus. 124
Adoptio apud quē fieri poſſit. 68. 253
Adoptio & adrogatio quomodo fiant & ad quam iuriſdictionē pertineant. 66
Adoptio inter legis actiones numeratur. 67
Adoptio teſtamento fieri poteſt, ſi confirmetur à populo vel principe. ibid.
Adparitorum vſus. 60
Adulterium matris nihil neque nato neque nondum nato præiudicat. 83
Adulterii crimen multa habet ſingularia. ibid.
ex Ancilla ſuſcepti ſunt ſerui, nec extraneo ſolum ſed & patri ſeruire poſſunt. 266
Animalibus brutis quando, cur & quomodo pœna inferatur. 352
Appellatione pendente nihil innouandum. 357
Arbitrium ſuſcipitur à volētibus, & conſentientibus: iudicium redditur in inuitum. 32
ἀρχὼν generale omnium magiſtratuum nomen. 198
Audientia quid. 385

B.

Bannum mulctæ æquiparatur. 55
Beneficia Principum latiſſime ſunt interpretanda. 397
Bonorū poſſeſſio definitur. 69. non acquiritur niſi volenti & ſcienti. 77. quomodo olim data fuerit, & quomodo hodie detur. 71 ad officium ius dicentis pertinet. 287. peti debet à magiſtratu, alias non acquiritur. 10. Municipibus ſpecialiter eſt data. 105
Bonorum poſſeſſio Carboniana. 76. non impeditur ab ordinaria. 105. an cum reliquis ordinariis cōcurrat, & quomodo inuicem differant. 84
Bonorum poſſeſſio edictalis ad volūtariam refertur iuriſdictionem. 71
Bonorū poſſeſſionis edictalis & decretalis collatio. 101
Bonorum poſſeſſionis ſingularia traduntur. 100. vſus & neceſſitas. 101
Bonorum poſſeſſionis datio ex edicto nō tribuit ipſam rerū hæreditariarum poſſeſſionem, ſed ius tantum eas res perſequendi. 75

Bonorũ poſſeſſionem agnoſci oportet intra certum tempus. ibid.
Bonorum poſſeſſionem edictalẽ ſine vlla cauſſæ cognitione dari quomodo intelligendum. 74
inter Bonorũ poſſeſſionem, & poſſeſſionem bonorum differentia. 95
Bonorum poſſeſſionem dari & in bonorum poſſeſſionem mittere differunt. 69
Bonorum poſſeſſione obligamur ſicut hæreditatis aditione. 78
Bonorum poſſeſſiones dare ad officium prætoris pertinet. 100
Bonorum poſſeſſiones diuiduntur in edictales & decretales. 70. & qualis vtraque. ibid.

C.

Calumniæ in iudicio publico damnatus infamis eſt: in priuato ſecus. 51 ſine Calumnia nõ fit iniuria. 43
in Camera Rom. Imperii hodie nomine Cęſaris omnia aguntur. 286
Carbonianum edictum vnde. 77
Carcer perpetuus interdum inter genera vltimi ſupplicii refertur. 362
Carcer publicus & verbera à magiſtratu inflicta an ſint imperii mixti remedia legitima. 48
Carcer quando & in quibus adhibendus. ibid.
Carcer pœnalium & noxiorum hominum eſt. ibid.
Carcer perpetuus morti æquiparatur. 392
Carcer pro pœna iniũctus. 17
Carceris remedium in cauſis ciuilibus adhibetur. 41
in Carcerem poteſt quis duci ob prætoris præcepta vel decretũ contemptum. 56
Carceres in vicis & villis ad quid habeantur. 414
Caſtro vel prædio aliquo in feudum conceſſo an iuriſdictio vel merum imperium ſimul tranſeant. 420
in Caſtris iudices militũ dicuntur tum Imperator ipſe, tum alii, imprimis autem Tribuni. 195
Cauſæ Capitales & meri imperii non poſſunt mandari. 321
Cauſæ cognitione alicui delegata an poteſtas ſententiæ ferẽdæ cõtineatur. 321
Cauſæ mixti imperii an delegari mandarive poſſint. 286. 287
Cauſæ in quibus agitur de ſtatu hominis ſępe grauiſſimæ. 260
Cauſæ ſtatus maiores iudices requirũt. 257
Cauſarum ciuilium quę maioribus iudicibus ob earum excellẽtiam competunt,

tunt, cognitio mixto attribuitur imperio, quæ autē minoribus, ſimplici iuriſdictioni. 9
an Cautio & poſſeſſio ex cauſa damni infecti poſſit alteri mandari & delegari. 288
Cenſores an iuriſdictionem olim habuerint & cognitionem in rebus quibus præerant. 186
Centæ vocabulo in Franconia capitalium criminum coercitio ſignificatur. 420
Citatio realis & verbalis quæ 284
Ciuem Rom. vinci, verberari, necari olim nefas. 45
Ciues Rom. torqueri nulla de cauſſa olim potuerunt. 48
Ciuitates populi Rom. quib. legibus vſæ. 206
Ciuitates liberæ quam habeant iuriſdictionem. 416
Clerici in cauſſis ciuilibus qualem habeāt magiſtratum. 386
Clerici & monachi nec venatores eſſe poſſunt nec chirurgi. 462
Clerici olim in criminalibus ſubiecti fuere ciuilibus & magiſtratibus & legib. 386
de Clericis hodie ſoli Eccleſiaſtici iudices cognoſcunt & iudicant. 393. 423
Coercitio modica interdum leuioribus delictis adhibetur. 14
Coercitio pleniſſima pro re ſubiecta & iure perſonarum accipitur. 17
Coercitio modica mixtum imperium eſt. 14
à Coercitionis ſpecie vna ad alteram argumentari infirmum eſt. 24
Coercitionis modicę ſpecies 18
Cognitio omnis in cauſis criminalibus vel ciuilibus verſatur. 248
Cognitio de ſuſpectis tutoribus ad quē pertineat. 170
Cognitio de trāſactione alimentorū ſpecialiter prætori ac præſidi tributa. 243
Cognitio rerum priuatarum & pecuniariarum ad quē pertineat. 273
Cognitio cauſarum ſtatus & libertatis an delegari poſſit. 259
Cognitio heredis ſuſpecti an mandari poſſit. 180
Cognitio vbi nominatur, ſemper intelligitur perfecta niſi aliud addatur. 176
Cognitio à iuriſdictione diſtinguitur. 142
in Cognitionibus extraordinariis & prętoriis an iudex dari poſſit, & iuriſdictio mandari mandataque iuriſdictione tranſeant. 208
Commiſſarii an habeant iuriſdictionem. 211
Cōmiſſarii Cæſarei qui. 407

Competere proprie quid dicatur. 427
ex Concubina nati an ſint liberi & ciues. 267
Condictio ex lege quando detur. 97,100
Conſilium quid. 251
Conſilium exercere & cognitionem quis poſſit. 252
Conſules ordinarii qui olim dicti. 215
Conſulum apud Romanos officium. 201
ob Contemtum iudicis criminaliter agi poteſt. 27
Contractuum omnium certa quædam forma iure eſt conſtitura. 135
Contumacia carcere coerceri poteſt & ſolet. 42
Conuentio legitima definitur. 98
Corporis retentio ad mixtũ imperium pertinet. 42
Creditor fugientem debitorem etiam priuata autoritate comprehendere ac retrahere poteſt. 46
an Creditor inuitus cogatur accipere partem credìti à debitore oblatam. 35
de Crimine falſi cognoſcens quando ſententiam euulgare debeat. 321
Crimina ordinaria & extraordinaria quæ. 460
Crimina leuiora cognoſcunt & puniũt Defenſores plebis & Triumuiri apud Rom. 208
Crucis ſupplicium olim ſeditioſorum fuit. 380
Curator rebus datur nõ perſonæ. 158
Curatori furioſi licet bonorum poſſeſſionẽ eius nomine agnoſcere & amplecti. 77

D.

Damnari vel liberari quis poteſt ab eo apud quẽ & accuſari. 176
Damnatus in priuatis quibuſdam delictis, & actionibus infamis fit. 49
Damnati publico iudicio infames fiunt. 368
Decuriones vnde dicti. 198
Debitor non ſoluens, nec ſoluere valẽs publico carceri includi poteſt. 46
Debitores in priuata vincula ductos verberare olim licitum. 47
Decernere, imperare, exequi, & imperata rata efficere differunt. 19
Decretum deſcribitur. 122
Decretum interponere mixti eſt imperii. 121
Decretum & cauſſæ cognitio an ſint idem. 123
Decretum quæ deſiderãt, per libellum & reſcriptum expediri non poſſunt. 64
Decretum & libellus inter ſe opponuntur. 123

Decre-

Decretum niſi pro tribunali interpoſitum non valet. 71
Decreto vbi opus & cauſæ cognitione prætor vel præſes interuenire debet. 290
Decreta interponere nõ poſſunt iudices dati, ſed prætor & magiſtratus, & vices horum gerentes. 256
Defenſores ciuitatis hodie vulgo conſeruatores dicuntur vel Syndici. 157
Defenſores ciuitatum magiſtratus municipales ſunt & iuriſdictionem maiorem quam duumuiri habent. 24
Defenſores plebis in prouinciis olim tenuiorum & ruſticorũ patrocinium ſuſcipiebant. 208
Defenſorum cognitio quæ intra 300. aureos erat ad 300. à Iuſtiniano eſt pro lata. 207
Defenſorum electio, & appellatio 198
Defenſorum ciuitatis poteſtas quæ. 446
Defenſoribus ciuitatũ multæ dictio interdicitur. 25
in Defunctos quot modis pœna ſtatuatur. 351
Delegare legẽ quis dicatur. 428
Delegatus inferioris magiſtratus an tutorem dare poſſit. 167
Delegatus Principis omnes cauſſas à Principe commiſſas tam ciuiles quam criminales, alteri delegare poteſt. 444
Delegatus à delegato Principis an ſententiam ſuam exequi poſſit. 328
Delegati Cameræ Imperialis an ſentẽtiam ſuam exequi queant. 329
Delicta nominata & innominata quæ. 460
Delicta pignoris capione & múlcta coercentur. 39
Dictatores vnde appellati. 1
Δίκη. ibid.
Dimiſſio in militia an ignominioſa. 172
Diuortiũ iure Pontificio hodie nullum valet niſi quod in Eccleſia palam factum ſit. 164
Diuortii ſymbolum & argumentum quodnam olim fuerit. ibid.
Diuortia legitimo more facienda. 163
Diuortia bona gratia facta valent nec pœna ex iis irrogatur. 262
Domini duo in ſolidũ eiuſdem rei eſſe nõ poſſunt. 90
Domus olim euerſæ ob delendam memoriam ſceleris dominorum. 353
Dos ſine nuptiis nulla intelligi poteſt. 390
Duces belli an ſint magiſtratus. 192
Duumuir collegam ſuum

dare tutorem poteſt. 164
Duumuiri vnde dicti. 197.
στρατηγοὶ dicti. 198
Duumuiri an tribunali præeſſe poſſint. 26. an iuriſdictionem habeant. 197
Duumuiri primi in municipiis & ciuitatibus magiſtratus. 199
Duumuirorum varia appellatio. 198. 200. iuriſdictio & licentia. 202
Duumuiris an ſuo iure an alieno legis actio competat 206

E.

Eccleſiæ nulla olim in cauſis pecuniariis & ciuilibus iuriſdictio fuit. 384
Eccleſiaſticæ perſonæ an iudicare poſſint in iis cauſis in quibus ſanguis fundendus eſt. 452
Edicere vel edicta proponere cui liceat. 125
Edictalis citatio banno ſimilis. 126
Edicti conditionem & iuriſdictionis formam Papinianus ſumit pro eodem. 4
Emancipare volentis licentia. 250
Emancipatio lege ſpecialiter defertur, nec mandatur. 249
Emancipatio liberorum legis actio eſt, & autoritate magiſtratus fit. 67
Eremodicium quando contrahatur. 126
Epiſcopi nunquam forum, nec lictores nec apparitores habuerunt. 385
Epiſcopi & Pontifices in articulis fidei & rebus eccleſ. ſummum habent iudiciũ. 388
Epiſcopi an habeant iuriſdictionem. 385
Epiſcopi à quo feuda & ditione hodie accipiant. 394
Epiſcopi, Pontifices aliique prælati quomodo poſſint alios ex conſuetudine antiqua, inueſtire de feudis & ſimul merum imperium in eos transferre. 393
Epiſcoporum ſententias magiſtratus ciuiles exequuntur. 385
Ἐπίτροποι qui. 232
Exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. 429
Excommunicatio cuius imperii ſit. 375
Excommunicato agendi facultas, non item excipiendi & defendendi datur. 55. quod & in proſcriptis ſiue bannitis obſeruatur. ibid.
Executio omnis eſt imperii, nec vlli iudici dato competit. 55
Executio cui mãdata, eidem & cogni-

& cognitio mandata videtur. 330
Executio condemnationis & ſententia non eſt pedanei iudicis, ſed magiſtratus qui eum dedit. 54
contra Executionem rei iudicatæ appellatio non admittitur. 331
ab Executione non eſt incipiendum. 330
Exercitus & iuriſdictiones apud Corn. Tacitum opponuntur. 193
Exilii pœna qualis. 366
Expreſſa multa nocent, quæ non expreſſa non nocent. 183

F.

FAcinoroſi, malefici & improbi differunt. 348
Fideicommiſſarius in bonorum poſſeſſ. ſe mitti poſtulans contra heredem an audiendus. 113
Fideicōmiſſa hodie ſunt ordinarii iuris. 128
Filius patri iudex eſſe poteſt. 164
Filii omiſſa bonorum poſſeſſione vnde liberi, admittuntur ad bonorū poſſeſſionem vnde legitimi. 102
Fœminæ iure ciuili in criminalibus poſſunt eſſe teſtes, non etiam iure Canonico. 387
Fructus iuriſdictionis in emptionem veniunt. 418
Fur an infamis effici poſſit. 470
Furioſo datur bonorum poſſeſſio. 7
de Furto an ciuiliter etiam agatur. 372

G.

GLadius in criminibus puniendus hodie frequens. 343
Gladius pro mero imperio interdum vſurpatur 341
Gladii celebritas in quo. 346

H.

HEreditas ſine animo & conſenſu non acquiritur. 106
Hereditas non adita non tranſmittitur. 78
Hereditas quouis iudicio voluntatis etiam extra ius nobis acquiritur. 72
Hereditatis petitio non tollitur ſpatio longi temporis, 10. vel 20. annorum; ſed longiſſimi, id eſt, 30. præſcriptione. 115
Hereditatem alicui auferre maius eſt quam tutori tutelam. 181

Hereditates martyrum nullis heredib. legitimis extantibus ad Eccleſias ex edicto Imp. Conſtantini olim delarę ſűt, ſicut Theodoſ.& Valent. conſtitutione clericorum omniű quibus heres alius non ſit. 99
Heres ſuſpectus liberatur ſatiſdatione. 181
Heres acquirit dominium & iura defuncti ſola aditione hereditatis vel bonor. poſſeſſionis agnitione. 107
Heredis inſtitutio facta tanquam filii ſi erroris coarguatur, corruit. 82
Heredem ſuſpectum ſola inopia facit, tutorem ſoli mores. 178
Hiſpaniæ diuiſio ab Auguſto facta. 219

I.

IGnorans & non expreſſe conſentiens pro nolente & inuito habetur. 305
Imperator tutores dare poteſt, interdum etiam ſolet. 119
Imperatoris nomen nemo olim niſi ex victoria & militum acclamatione adipiſcebatur. 338
[Im]peratores pugionem ad oſtentādum ius meri im[pe]rii geſtare olim ſoli. 342
Imperatores militibus pro quibus olim vſi. 58
Imperium nemo habet extra territorium aut prouinciā ſuam. 422
Imperium ſine delicto nemini abrogari debet. 304
Imperium ſępe pro voce magiſtratus ſeueriori capitur. 56
Imperium habens decretum interponere poteſt. 256
Imperium minor in maiorem, nec par in parem habet. 324
Imperium iuſtum ex quo pendeat. 2
Imperium duplex, merum & mixtum. 19
Imperium mixtum iuriſdictioni ſemper cohæret, & iuriſdictione mandata ſimul tranſit. 320
Imperii quædā magis quam iuriſdictionis dicuntur. 8. & quomodo hoc intelligatur. ibid.
Imperii nomine quid ſignificetur. 334
Imperii nomen à magiſtratibus municipalib. remouetur. 199
in iis quæ Imperii ſunt argumentum à maiori ad minus non valet. 24
Imperio omni quid inſit. 19
Impetum in debitoris vel alias ſuſpecti domū facere libroſque perſcrutari aliaque

que ſecreta inciuile eſt. 60
Incarceratio hodie ſæpe ad pœnam delicti imponitur. 374
Incola tutor dari poteſt. 162
Inedia necare an liceat. 363
Infamia quem ſequatur. 459
Infanti tutorem non habenti datur bonorum poſſeſſio. 77
Iniuriarum damnatus an infamis efficiatur. 472
Inobedientiæ ratione in caſu vno poteſt alicui denegari audiētia in omnibus cauſis. 36
Inſinuatio teſtamentorum & donationum an, & cuius ſint iuriſdictionis. 67
Interdicere verbi ſignificatio. 127
Interdicta olim ad imperiū magiſtratuum maiorum pertinuerunt. ibid.
Iudex quam poteſtatem habeat in irrogandis pœnis. 464. vnde dicatur. 323
Iudex fieri à priuato nemo poteſt. 246
Iudex à principe datus an ſententias ſuas exequi poſſit. 317 an delegare cauſſas etiam capitalium. 245
Iudex quem magiſtratus ex authoritate Principis dedit, quam habeat poteſtatem. 299
Iudex à legitimis pœnis recedere non debet. 466. in cauſis meri imperii dari non poteſt. 454. an ſtipulationem prętoriam interponi iubere queat. 132
Iudex pro magiſtratu & prætore accipitur. 53. quomodo citare ſoleat. 126
Iudex ordinarius malitiam vel deſidiam iudicis delegati ſupplet & corrigit, & vice verſa. 308
Iudex de eadem re pronunciare cogitur, de qua & cognouit. 322
Iudex Cameræ Rotuillenſis perpetuus qualem habeat iuriſdictionem. 216
Iudex ad cognoſcendum & pronunciandum datus an idem & ad exequendum datus. 324
Iudex ante litis conteſtationem nullam habet poteſtatem. 326
Iudex à principe delegatus non ſolum notionem ſed & iuriſdictionem & imperium habet, imo & apparitores ſuos. 327. quod ſecus in Iudice à magiſtratu dato. ibid.
Iudex etiam accuſatore abſente de crimine cognoſcere & ad ſententiam definitiuam vſque progredi tenetur. 351
Iudex an poſſit de incidenti cauſſa cognoſcere vel potius pronunciare. 19

Iudex habens merum imperium in aliquo loco fundatam habet intentionem vt poſſit de omnibus deliĉtis iudicare, niſi ſint aliqua ſpecialiter excepta. 411
Iudex à principe datus poteſt per edictum citare. 301. quod ſecus in eo qui à magiſtratu datus eſt. ibid.
Iudex pedaneus, & arbiter compromiſſarius in integrum reſtituere non poſſunt. 140
Iudex datus omni iuriſdictione caret. 50. non poteſt coercere contumaces remediis vllis iuriſdictionis propriis. 327. decernere non dicitur. 121. an ſit prætor, & prætoria vtatur poteſtate. 268. an ſententias ſuas exequi poſſit. 323. in cognoſcendo & pronunciando vtitur iuriſdictione ſua, non eius qui dedit. 236
Iudicis poteſtas ſentẽtia pronunciata finitur. ibid.
Iudicis à principe dari poteſtas. 297. 299
Iudicis à principe & magiſtratu dati differentia. 295
Iudicis nomen prætoribus a liiſque magiſtratibus frequenter tribuitur. 119
Iudici dato ea omnia permiſſa videntur, per quæ expediri iudicium poſſit. 325
Iudice remoto an executor remoueatur. 330
Iudicẽ dare qui poſſint. 140. 152. 269. 299
Iudicum genera duo. 212. alii iuriſdictionem habent, alii notionem. 213. Eorum varia in iure diſtinctio. 210
Iudices cauſſarum criminalium & ciuilium inuicem diſtinguuntur. 435
Iudices dati nullum mulctãdi ius habent, cognoſcere tantũ & iudicare poſſunt, eorumque ſententias magiſtratus qui eos dederunt exequuntur, litigatorumque coercent ac puniunt contumaciam. 22
Iudices pedanei cur ita dicti. 211
Iudices interdum pro conſulibus accipiendi. 253
Iudices à minis contumelioſis abſtinere debent. 56
Iudices maximi qui olim fuerint. 259
Iudicare an in tenebris vel veſperi liceat. 317
Iudicare non poſſe & non ſolere quomodo differant. 119
Iudicare pro imperare olim vſurpatum. 183
Iudicium publicum proprie quod. 169
Iudicium omne & cõtentioſum & neceſſarium eſt. 61
Iudicium ſoluitur vetante eo qui iudicem dedit. 311

Iudicium remouendi ſuſpectos tutores eſt famoſum itemque publicum. 168. 169
Iudicium ordinarium interdum pro ciuili ſumitur & opponitur criminali. 461
Iudicium omne quibus conſtet. 20
Iudicia an ſint omnino extraordinaria quia eorum ordo in vſu eſſe deſiit. 459
Iudicia capitalia qua ratione dicantur extraordinaria. 465
Iudicia ordinaria vnde dicantu 459
Iuriſdictionis definitio.2.120. diuiſio. 7.210
Iuriſdictio an ab imperio diſtinguatur. 6.in quib.cauſis duret. 313
Iuriſdictio caſtrenſis ſecura & obtuſior pluraque manu agens calliditatem fori non exercet. 2
Iuriſdictio an pro territorio ſumatur. 3. & an pro loco ibid.frequentiſſim pro edicto prætoris capitur. ibid.
Iuriſdictio merumque imperium non in facinoribus cognoſcendis & puniendis ſed in cauſis ciuilibus ac pecuniariis iudicādis verſatur. 14
Iuriſdictio aliquando ex parte magiſtratui adimitur. 308
Iuriſdictio an mandetur.232. cui.239. quomodo. 294
Iuriſdictio mandata quibus modis finiatur. 310. quando 316. quomodo reuocetur 311
Iuriſdictio magiſtratuum au morte Principis finita cenſeatur. 308
Iuriſdictio omnis lege deferri magiſtratibus dicitur. 183
Iuriſdictio an magiſtratus ſit propria. 182
Iuriſdictio qua ratione alicui compe a . 505
Iuriſdictio in quo potiſſimū conſiſt t 229
Iuriſdictio ſine imperio eſt ridicula & nullius mo menti. 185
Iuriſdictio feudalis vbi & apud quos locum habeat. 421
Iuriſdictio ordinaria & propria quomodo finiatur. 302
Iuriſdictio Eccleſiaſtica in poteſtate ligandi & ſoluendi fundatur. 383
Iuriſdictio cui mandata, ea quoque conceſſa ſine quibus iuriſdictio explicari nequit. 285
Iuriſdictio in feudum data quæ intelligatur. 418
Iuriſdictio nulla eſt ſine imperio mixto modicaque coercitione. 15

Iuriſdictio nomine, re, & iure ab imperio mero & mixto ſeparatur. 8
Iuriſdictio & merum imperium an ſint vnum. ibid.
Iuriſdictio magiſtratuū propria eſt. 7
Iuriſdictio cui data, ea quoque conceſſa videntur ſine quibus iuriſdictio explicari nequit. 26
Iuriſdictio voluntaria diebus etiam feſtis & feriatis exerceri poteſt. 148
Iuriſdictio iudicis dati ab eo cui iuriſdictio mandata, quandiu duret. 315
Iuriſdictio non expirat in rebus quæ cœpto negotio cohærent. 314. quandoq; pro iure vel iuris neceſſitate ſumitur. 5
Iuriſdictionis legibus non eſt adſtrictus qui omnib. ſolutus eſt. 143
Iuriſdictionis & mixti imperii definitiones examinātur. 10
Iuriſdictionis eſſe & mixti imperii conuertuntur. 7
Iuriſdictionis antiquitas, vis & gloria 2. forma. 4. origo. 1. diuiſio. 61
Iuriſdictionis ſignificatione latiſſima quid contineatur. 1
Iuriſdictionis vocabulum ſignificatū meri imperii nō facile reperitur. 7
Iuriſdictionis verbo merum imperium ſignificatur. 43
Iuriſdictionis amittēdæ modus proprius. 318
Iuriſdictionis mādatū morte magiſtratus qui eam mādauit ſoluitur. 232
Iuriſdictioni quid inſit. 3
Iuriſdictioni vrbanæ & togatæ opponitur militaris atque caſtrenſis. 2
Iuriſdictionem prætoris abrogare, non eſt adimere, ſed decretum reſcindere. 310
Iuriſdictionē denegare prætor quando dicatur. 55
Iuriſdictionem habere, & adminiſtrationem an differant. 141
Iuriſdictionem tantum habens non poteſt de criminis quæſtione etiam incidenti cognoſcere. 51
Iuriſdictionem denegare & actionem an differant. 38. & quando vtraque denegetur, & cui. ibid.
Iuriſdictionē mandatam habentis poteſtas. 320
Iuriſdictionem ordinariā & mandatam exercere differunt. 167
Iuriſdictionem mandari ex omnibus cauſis & olim licuit, & hodie licet. 279
Iuriſdictio contentioſa & voluntaria differunt. 63
Iuriſdictionem habere, iuriſdictionem mandare, iudidictionem mandare, iudi-

in Iuriſdictione quæ conti-
neantur. 5.262
Iuriſdictione mandata, in eū cui mandata eſt quę tranſeant. 271.283
Iuriſdictione mandata vtens nil proprii habet, ſed eius qui mandauit iuriſdictione vtitur. 236
Iuriſdictione ſupplenda quæ legi vel edicto deſunt. 4
Iuriſdicūdi officium duobus modis accipitur. 195
Iuriſdicundi poteſtatem nemo priuatus vlli dare poteſt. 384
Iuridicundo qui olim pręfuerint. 230
Iure Pontificio omnes cauſſę tam meri quam mixti imperii delegari poſſunt. 45
Ius à magiſtratu pro poteſtate atque imperio dicitur. 19
Ius aliquādo pro loco in quo ius dicitur accipitur. 3
in Ius vocare plus eſt quam prehendere. 42
Ius dicere & iudicare & iudicem alium dare complectitur. 119
Ius prætorium multis in rebus commodius ciuili. 102
Ius Rom. de matrimoniis & diuortiis extra Romam olim etiam valuit. 262
Ius dicentis appellatio non facile tribuitur magiſtratui municipali. 68
Ius ciuile cognatos non agnoſcit. 99
Ius dicere de cauſis omnibus ciuilibus prætorum proprie olim fuit. 131
Ius dandi tutoris quibus datū. 157. remouendi ſuſpectos tutores quibus olim datum. 168. abſoluendi reos cuius ſit imperii. 354. liberādi eos ad quem pertineat. 176. dandi iudicis, an mandata iuriſdictione tranſeat. 229. gladii geſtandi quibus olim tributum. 342
Ius fiſci facilius remittitur, quam priuatorum. 39
Ius gladii quando cœperit. 341. an habeant Eccleſiaſtici. 391. penes quos apud Iudæos fuerit temporibus Chriſti. 379
Ius dicentis officium quam late pateat. 277
ad Ius dicentis officium quæ pertineant. 11
Iuſiurandū in litem quo coerceri dicitur dolus & contumacia non reſtituentis vel exhibentis rem petitam iuſſu arbitrioque iudicis cuius ſit imperii. 40. Et quid de iuriſiurādi religione quam aduerſus litigatores eorumque aduocatos conſtituit ne temere lites moneant, ſuſcipiant, atque defendant. ibid.
Iuſtitia & iuſtitiare pro animaduerſione & ſuppli-

tio ſumitur. 421

K.

K Pîνειν verbi intellectus in iure. 120

L.

L Egatus quid exequi poſſit. 271

Legatus an ius dandi tutores habeat. 166. 288. quo in loco ſententiā dicere poſſit. 225. an merum habeat imperium. 230. 371

Legatus proconſulis quid iuris habeat. 440

Legatus olim & lictores & faſces & tribunal habuit. 223

inter Legatum & alium cui mandata iuriſdictio eſt, differentia. 221

an in Legato imperandi prohibendique poteſtas, aut legis actio inſit. 319

Legati poteſtas quæ. ibid.

Legati Cæſaris poteſtas, quę. 440

Legati Cæſaris interdū magiſtratus & defenſores ciuitatum creant. 226

Legati an vllam habeant iuriſdictionem. 166

Legati quæ ſpecialia habeat. 226

Legati poteſtatem de ſuſpectis tutoribus cognoſcēdi ex quo habeant. 173

Legati proconſulum quam habeant iuriſdictionem. 219

Legatorum genera duo. ibid.

Legatos qui magiſtratus olim habuerint. ibid.

Legis actiones definiuntur. 144

Legis actio de nulla vnquam litis actione vſurpatur. 145

Legis actionem an magiſtratus municipales habeant. 204. itemque defenſores. 205

Legis actiones non mandantur, nec data iuriſdictione transeunt. 254

L. ſi pignora ff. de euictionibus intellectus. 41

L. 2 C. de pedan. iud. 272

L. 1. C. de ord. iud. 196

L. penult. ff. d. confeſſ. 332

L. 1. ff. de offic. eius. 426

Lege ſpecialiter quæ tribuatur. ibid. & 248

Legem condere cuius ſit imperii. 362

Lege agi olim quando diceba tur. 31

Lege agere quis dicatur. 144

Legitimæ actiones & legitimi actus vnde dicantur. 145

Lex generaliter accipitur pro SCto, & cōſtitutione principis. 99

Lex Lectoria de prætoris vrbani officio & imperio. 231. quæ

231. quæ & Pletoria dicitur. ibid.
Lex Iulia viceſimaria in bonis & hæreditatib. in multis vrbibus Germaniæ & Italiæ ad vſum reducta. 117
Libellus quid. 123
Liberæ perſonæ in criminalibus non ſunt torquendæ vt cogantur teſtimonium dicere. 48
Libertatis iudicia grauiſſima. 621
Lictores cui habere liceat. 285
Lis vbi cœpta eſt an ibi terminari debeat. 389
Lis cum quibus nondum eſt conteſtata, contra eos nec iudicium inſtitui nec ſententia proferri poteſt. 90
Litigare etiam per alium licet. 63
Litigatorum fauor exigit ne iudicia protrahantur. 312

M.

Magiſtratus definitio accurata. 191
Magiſtratus propria ſecundum Ariſtotelem. 185
Magiſtratus an collegam ſuum tutorem dare poſſit. 159. 163
Magiſtratus an ſuam iuriſdictionem alteri mandare poſſit. 153. & quomodo. 293
Magiſtratus nullus ſine iuriſdictione intelligi poteſt. 14
Magiſtratus, etiamſi omnem vel partem iuriſdictionis mandauerit, ius dicere poteſt. 311
Magiſtratus in iure quomodo accipiatur. 185
Magiſtratus omnis iuriſdictionem aliquam vel imperium habet. 186
Magiſtratus iuriſdictionem ſuam mandare poteſt, nõ dare. 235. 291
Magiſtratus minor à maiori coerceri, etiamque in carcerem coniici poteſt. 188
Magiſtratus in iure ſæpe κατ' ἐξοχὴν dicitur magiſtratus Pop. Romani. 190
Magiſtratus etiam poſt litem conteſtatam vetare poteſt iudicem iudicare. 237
Magiſtratus tẽpore elapſo, magiſtratus & imperium omne finitur. 303
Magiſtratus iuriſdictionem non mandatam ſed propriam habet. 320
Magiſtratus non poteſt apud collegam manumittere. 163
Magiſtratus iudicare & ius dicere quando proprie dicatur. 120

Magiſtratus leuius crimē eſt, ſi publicam iniuriam remittat, quam ſi actionem priuato poſtulanti deneget ſine cauſa. 38
Magiſtratus omnes iudicum nomine appellantur. 40
Magiſtratus minores conueniri iudicio poſſunt. 199
Magiſtratus ius dicunt non modo in pecuniariis & ciuilibus cauſis, ſed & in capitali b. quæ meri ſunt imperii. 6
Magiſtratus omnes Romæ olim appellati iudices: Carthagine autem iudices à magiſtratibus diſtincti. 211
Magiſtratus Romani voce & bacillis lictorum ad quid vſi. 56
Magiſtratus proprie qui dicantur, & qui poteſtates. 247
Magiſtratus ad quid creentur. 182. vnde iuriſdictionē habeant. 231. qui imperium habeant. 337
Magiſtratus etiam inuiti cogi poſſunt ante tēpus abdicare. 304
Magiſtratus Galliarum quā habeant iuriſdictionem. 309
Magiſtratui ſe abdicans an imperium vel iuriſdictionem amittat. 302
Magiſtratui licet delinquentes punire. 51
Magiſtratum maiorem ad minorem venire indecorum. 63
Magiſtratuum minorum definitio. 187
Magiſtratum aliter definit IC. aliter politicus. 185
Magiſtratu finito & iuriſdictio finitur. 315
in Magiſtratu ſępe negligentiæ culpa grauior quam in committendo dolus. 304
Magiſtratibus omnibus leuiter verberandi vel coercēdi poteſtas cōceſſa. 446
Magiſtratib. omnibus maioribus in carcerem ductio permiſſa. 42
Magiſtratibus omnibus licet iuriſdictionem ſuam pœnali iudicio defendere, exceptis duumuiris. 9
Maieſtatis tenetur qui imperium vltra legitimū tempus retinet. 303
Malorum aut mœrorum inſignia quæ dicantur. 44
Mandare quid. 165. 233
Mandari quæ dicantur. 241
Manumiſſio quomodo fieri poſſit. 256
Manumiſſio ſerui quæ fit apud prætorem per vindictam nullā requirit cauſæ cognitionem. 67
Manumiſſio & tutoris datio extra territorium fieri non poſſunt. 160
Manumiſſio ſerui à minore viginti quinq; annis facta

non valet, niſi cauſſa manumiſſionis antea in conſilio probata fuerit. 65

Manus regia tam iuſtitia quam poteſtate definienda. 2

Manus militaris vbi in iure fiat mentio. 58. varie in iure accipitur. 59

Manu & imperio magis interdum vtendum quam iure ordinatio. 60

Matrimonia conſenſu nudo contrahuntur, ſed nō diſſoluuntur. 263

Merum imperium definitur. 345. mixto opponitur. 15. ius gladii vulgo dicitur. 346. multis modis exerceri poteſt. 351. etiam priuatis datur. 407. an mandari poſſit. 182 437. an iure magiſtratus competat. 433. an mandata generali Iuriſdictione tranſeant. 284

Merum imperium qui olim habuerint. 338

Merum imperium & ius gladii in alterum nec transferri, nec alteri mandari poteſt. 381

Merum imperium ſpecialiter lege datur. 7. 338. & ratio. ibid. & 409.

Merum imperium in cauſſarum criminalium cognitione & animaduerſione conſiſtit. 152

Merum imperium vel ius gladii ante Pauli & Vlpiani & tempora quoduam dictum. 7

Merum imperium non habens an de crimine cognoſcat. 51

Merum imperium an penes Eccleſiaſticum Iudęorum cōceſſum tēporibus Chriſti fuerit. 379

Meri imperii gradus præcipue tres. 400

Merum imperium verbis illis *mit Gerichten*, conceſſum videtur. 421

in Metallum damnari grauius quam in opus metalli. 365

in Metallum damnatio, quid differat ab in opus publicum damnatione. 365

Militis ob flagitium militare capite damnati bonorum poſſeſſio defertur cognatis vſque ad quartum gradum. 106

Militi in prouincia vxorem olim nec ducere licuit, & liberi ibi ſuſcepti pro ſpuriis habiti. 266

Militaris res quatenus ad magiſtratū pertineat. 192

Minæ quam vim habeant. 56

Minores 25. annis prædia alienare non poſſunt ſine decreto prætoris vel præſidis. 123

Miſſio omnis in poſſeſſionē eſt imperii. 109

Miſſio in poſſeſſionem rerum hæreditariarum vtri-

by Google

liſſima, & neceſſaria. 107. cui magiſtratui competat. 108
Miſſio in bonorum poſſeſſionem magnum eſt remedium exequendæ Iuriſdictionis. 32. non adhibetur ad res iudicatas exequendas. 41. eſt imperii mixti maximum remedium. 85 cum translatione poſſeſſionis confertur. 91.92.93
Miſſionis in bonorum poſſeſſionem cauſę recenſentur. 86
Miſſionis in bonorum poſſeſſionem collatio cum aliis. 89. neceſſitas. 90
Miſſioni in bon. poſſ. quis contradicat. 100
per Miſſionem in bonorum poſſeſſionem nuda cuſtodia & obſeruatio conceditur. 94
Miſſionem in bonorum poſſeſſionem ante fine vlla cauſæ cognitione prætor concedat. 88
Mixtum Imperiũ idem quod iuriſdictio. 7
Mixtum Imperium cur dicatur non etiam iuriſdictio mixta. 15
Mixtum imperium mandari & delegari poteſt. 150
Mixti Imperii definitio ſecundum Paulum. 13
Mixti quod eſt imperii idem & iuriſdictionis. 85
Mixti imperii quædam ſpecies falſæ enumerantur. 53.& 54
Morte finitur iuriſdictio mãdata. 315
Mulctare iuriſdictionis eſt vel imperii iudicialis. 24
Mulcta vera quomodo irrogetur. 22
Mulctę irrogandę ius ex quo competat. 24
Multarum modus, & quæ cuiuſque magiſtratus iudicisve ea in re poteſtas iure Iuſtinianeo. 21
Mulier ſi ventris nomine in bonorum poſſeſſionem miſſa ſit, eaque adulterii accuſetur, differenda eſt accuſatio ne nato præiudicium fiat. 83
Mulieres olim in mariti, vel propinquorum tutela fuere. 252
Municipal magiſtratus quale ius habeat. 413. 257. quos tutores dare poſſit. 160 161. ex cuius iuſſu det. 227
Municipalis magiſtratus habet ius mittendi in poſſeſſionem ex cauſſa damni infecti. 166
Magiſtratus municipalis ea, quæ magis imperii ſunt quam iuriſdictionis, facere non poteſt. 288
Municipales magiſtratus qui 412. quæ facere queant.

ant. 25. publici iudices non dicuntur. 26. lege Aquilia conueniri poſſunt. 199
Municipales magiſtratus, itemque delegati iudices an rem iudicatam faciant, ius mulctandi, vel aliam vllam coercitionem habeant. 25
Municipales magiſtratus an hodie mulctæ dictionem habeant. 22. item an Duumuiri. ibid.
Municipali magiſtratui cognitio cauſæ ſtatus denegatur, imo & procuratori Cæſaris. 260
Municipaliũ magiſtratuum genera duo. 197. 413
Municipalib. magiſtratibus quæ competant. 289
Municipes an petere poſſint bonorum poſſeſſionem, itemque actione de dolo conueniri, & poſſeſſionem adquirere. 105
Municipia vel ciuitates olim ex teſtamento capere non poterant. 106
Mutare maius eſt quam emendare. 4. & quomodo vtrumque fiat. ibid.

N.

NEgocium cœptum quãdo dicatur. 313
Negocia ciuilia, in quibus iuriſdictio verſatur, quænam. 61
Nocẽtem abſoluere melius, quam innocentem condemnare. 354
Nomina locorum ſicvt ſunt, quantumuis barbara & aſpera, pronunciari & ſcribi debent. 306

O.

OBligatione in omni quę ex quaſi contractu oritur non tam voluntas quam lex & ius ciuile ſpectatur. 33
Officium iudicis cum ius dicentis & magiſtratus ſæpe confunditur. 195
Officium ius dicentis pro ipſa iuriſdictione capitur. 5
Officium ius dicentis latius & anguſtius magiſtratus officio, diuerſo intellectu. 194
Officium in magiſtratibus imperium omne ſignificat etiam extra iuriſdictionem. ibid.
Officium iuris dicũdi anguſtius quam officium ius dicentis. 5
Officium omne mandata iuriſdictione tranſit. 195
ab Officio remotio an ſit pœna, & cũ ignominia quadam coniuncta. 171
ad Officium iudicis pertinent, quæ in iudicio & cauſæ cognitione contingunt. 54

Offi ii notatio. 131
in Officio iuriſdictionis ſiue ius dicentis quid comprehendatur. 279
Omnis vocabulum quid cōplectatur. 421
Omnis dictio de plurib. differentibus numero non ſpecie dicitur. 17
in Opus publicum damnatio qualis. 365

P.

Παλινδιϰία. 37
Palma lictoris quid. 250
Pares curię an de crimine vaſalli cognoſcant & quam pœnam irrogare poſſint. 424
Pars potiſſima meri & mixti imperii itemque Iuriſdictionis quæ ſit. 12
Pecuniam accipientes vt calumnientur improbiſſimi. 51
Pecuniam ad perpetrandum delictum accipiens cumulat ſibi pœnas. ibid.
penes Principem ſumma eſt omnium rerum poteſtas 2.& quæ pro poteſtate illa agat, limitatur. ibid.
Periculū vbi maius, ibi magis ſuccurrendum. 397
Petitio hæreditatis non datur niſi aduerſus iniuſtos poſſeſſores. 107
Pignus quod ex cauſa iudicati capitur, iudiciale appellatur. 39
Pignoris capio à miſſione in bonorum poſſeſſionē in quo differat. ibid.
Pignoris capio cum mulcta coniungitur, eiuſque vſus eſt maximus. ibid.
Pignora capi magiſtratus quando & in quibus iubeat. 39
Pignorum capiēdorum vſus hodiernus. ibid.
Pignorum Iudicium an ſit ordinarium vel extraordinarium. 40
Pœna per ſeſe damnatum ſequitur. 49
Pœna carceris interdū à prætoribus vſurpata. 17
Pœna eius qui in formulam pacis publicæ iurauerit eamque ſeruare recuſauerit. 353
an Pœna capitalis vel ſimilis lege impoſita, verti in pecuniariam ab eo qui merum habet imperium, poſſit. 378
Pœna pecuniaria cuius ſit imperii. 370
Pœna corporalis ſemper grauior pecuniaria. 472
Pœna pecuniaria propter egeſtatem debitoris an in corporalē cōuertatur. 375
Pœna pecuniaria in actionibus quæ infitiando creſcunt à quorum ſit imperio.

Pœnam

Pœnam magiſtratus remittere non poteſt, nec minuere vel mutare, ſed ad principem referre debet. 318

Pœnæ mutatio cui conceſſa. 467

Pœnæ nõ niſi ex magna cauſa mutari poſſunt. 466. hodie ſunt arbitrariæ. 437. atroces quæ. 365. aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ. 461

Pœnæ duæ in iure ciuili ſunt, quæ licet ſententia iudicis non exprimantur, tacite tamen in ea continentur & damnatum ſequi intelliguntur. 468

Pœnarum diuiſio 360. formæ innumerabiles. ibid.

Pœnarum genera octo Romani vſurpauere. 360

in Pœnis imperio vi in malam partẽ ſumitur, quamuis nocens id mereatur. 60

in Pœnis quæ viuis infliguntur quid ſpectetur. 353

in Pœnis arbitrariis & extraordinariis ſiue iudiciis iudex ad vltimum ſuppliciũ progredi poteſt. 465

Poſſeſſionis trãslatio vbi locum habeat. 52

Poſſeſſione ſua præſertim legitima nemo ſine cauſa ſpoliandus. 110

Poſſidere iuſte quis dicatur. 103

Poſſidere eandem rem duo in ſolidum non poſſunt. 90

Poſthumus teſtamento patris præteritus naſcendo rumpit teſtamentum. 78

Poſthumo bonorum poſſeſſio datur. ibid.

Poteſtas faſciũ ad quid pertineat. 25

Poteſtas in magiſtratib. imperium ſignificat. 15

Poteſtas exequẽdi imperium dicitur. ibid.

Poteſtas Procuratoris in quibus duret cauſis. 314

Poteſtatis verbo quid intelligatur. 337

Prædia minoris alienari vel obligari an poſſint. 64

Prædiorum minorum 25. annis alienatio prætori eſt mandata. 152

Præfectura vrbi ſibi omnia crimina vindicat. 427

Præfectus omnis στρατηγὸς dicitur. 198

Præfectus vigilum & annonæ an magiſtratus ſint. 190

Præfectus Auguſtalis ſummũ imperium habet. 256

Præfectus Pariſienſis cogitur duos ſuſpenſos ſtudioſos de furca tollere, eoſq; deoſculari, & ſepelire. 401

à Præfecto prætorio olim nõ licebat appellare, ſicut neque à ſenatu. 57

Præſcriptio fori apud quem iudicem valeat. 432

Præſes quodnam ius habeat. 423. quam habeat iuriſdictionem ante ingreſſum vel egreſſum è prouincia. 307. de cauſa ſtatus pronunciare poteſt. 258
Præſes prouinciæ tutorem dare non poteſt niſi qui ſit eiuſdem prouinciæ, prætor non niſi intra vrbem, præfectus extra vrbem etiam ad centeſimum lapidem. 159
Præſidis iuſſus aliud, aliud mandatum eiuſdem. 167
Præſides Cameræ Spirenſis qualem habeant iuriſdictionem. 217
Præſides prouinciæ legatos non habent ſed ipſimet ſunt & appellantur legati Cæſaris. 173
Præſidere iuriſdictioni, vel iudicio quis dicatur. 196
Prætor heredem facere non poteſt, vice tamen heredis eum conſtituit cui bonorũ poſſeſſionem dedit. 85
Prætor prætori intercedere poteſt, non imperare. 163
Prætor vrbanus & prouinciæ iudices dare poſſunt. 119
Prætor ſeu præſes iuriſdictionem Duumuiro mandare poteſt. 290
Prætor in omnibus reſtitutionum cauſis ex officio ſuæ iuriſdictionis ſubuenit. 279
Prætoris officium quæ contineat. 131
Prætoris nomen omnes alios ſub ſe magiſtratus cõprehendit. ibid.
Prætores merum olim imperium non habuere. 377. iuriſdictionem vnde habeant. 231. nunquam capitalem pœnam in ſuis edictis cõſtituerunt 16. neque fere vllam aliam præter pecuniariam. ibid.
Prætoria remedia an in omnib locum habeant. 134
Presbyterium Chriſtianorũ an poteſtatem gladii vel meri imperii habeat. 383
Prehenſionem iudex à principe datus non habet. 501
Princeps ſupra magiſtratus omnes eſt. 191. ſolus omnium rerum arbitrium habet. 408. iuriſdictionem alteri mandatam reuocare poteſt, itemque magiſtratus. 310. lex animata dicitur. 295. iuriſdictionem tanquam lex deferre dicitur. 294. eaq; morte principis non extinguitur. 295. non poteſt ratam alienationem efficere ſine cauſæ cognitione. 64. non eſt alligatus ordini iudiciorum. ibid.
Principis mãdata ad ſucceſſorem miſſa nec dum impleta, an ſucceſſor implere teneatur. 316
Principis cõceſſio per reſcriptum

ptum facta an tantum valeat ad alienationem quãtum valet magiſtratus decretum. 64
Principis permiſſus quomodo fiat. ibid.
Principi, cui vult, iuriſdictionem & magiſtratum adimere licet. 304
Principes & domini qui olim fuerint, & qui ſint hodie. 404
Priuato ſi iuriſdictio mandata ſit an etiam ius prehenſionis habeat, itemq; apparitores & lictores. 284
Priuati inſignibus magiſtratus vti non poſſunt. 240
Priuati iudices qui. 300
Priuilegium deſcribitur. 246
Proconſul hodie quis. 172
quando è prouincia cedere debeat. 312. an abſens legato merum imperium mandare poſſit. 441. quando & quatenus Iuriſdictionem ſuam mãdet. 238
Procõſul antequam prouinciam ſuã ingreſſus & poſtquam egreſſus fuerit quã habeat iuriſdictionem. 307
inter Procõſules & præſidem differentia. 306
Procurator Cæſaris an magiſtratus ſit. 190
Procurator fines mandati excedens ſcienti domino præiudicat, non etiam ignoranti. 318
Procuratores qui dicantur. 232
Procuratores fiſci vel ciuitatis an ius mulctæ irrogandæ habeant. 24
Procuratores Cæſaris multis in prouinciis partib. præſidum functi ſunt. 216
Procuratores Cæſaris rerum ad fiſcum pertinentiũ præcipuam habent poteſtatem. 260
Pronunciare de eadẽ re quis tenetur de qua cognouit. 54
Proprium & mandatum in iure inter ſe opponuntur. 214
Prouerbium, Qui non habet in ære, luat in corpore explicatur. 52
in Prouinciis ſolus olim præſes cognoſcere potuit. 280
Publicatio teſtamenti ad quã iuriſdictionẽ pertineat. 68
Puer hæreditatis actiones exercere nequit. 80
Puero Carboniana poſſeſſio non eſt deneganda. 81
Puniendi qui ſint. 354
Pupillus ſine tutore non poteſt obligari. 78

Q.

QVæſtiones olim de reis ſpectante vniuerſo populo in foro vel quo alio loco publico habitæ. 457

Quæſtiones interdũ pro iudiciis maleficiorum legũtur. 7
Quæſtorum poteſtas. 259
Quotidiana quæ ſunt, plenius attingi debent. 320

R.

REctores vniuerſitatũ an merum habeant imperium. 396
Remedium iuris extraordinarium an cum ordinatio interdum concurrat. 102
Remedium transferẽdæ poſſeſſionis inter prætoria referendum, vt & miſſionis in bon.poſſ. 53
Remedia prætoris quæ dicantur. 16
in Remediis iudiciisque poſſeſſoriis nullus eſt exceptioni dominii locus. 112
Reos capitalium vincire licet. 47
Res iudicata quæ. 323
Reſtituere damnatum quis poſſit. 474
Reſtituere in integrum qui poſſint. 139.140
Retractari cauſæ à ſenatu finitæ olim potuerunt. 37. quod & hodie obtinet in Camera aliiſque curiis. ibid.
Reuocatione finitur iuriſdictio mandata. 315
Rex & Princeps à magiſtratibus diſtinguuntur. 294

S.

SAcerdotes an apud imperatorem accuſari debeant vel poſſint. 388
Satisfacere in iure quid. 46
Scholaris delinquens vbi puniendus. 398
Scholares omnes Eccleſię inſeruire dicuntur. 403
Sculteti vel prætores vrbium in Germania ſolent iuriſdictionem ſuam in caſum abſentiæ vel grauis impedimenti priuatis hominibus mandare. 234
Securis ius imperii meri ſignificat. 342
Senatuscõſulta legis vim obtinent. 193
Sententia iuriſdictionem cõtrouerſiis imponere debet. 31
Sententia iudicis in bona & pecuniam fertur, famam non attingit. 49
Sententiæ executio ad mixtũ imperium pertinet. 324
à Sententia iudicis à principe dati ſolus princeps appellatur. 299
Serui in re pecuniaria ac ciuili torqueri non poſſunt, exceptis rebus hæreditariis. 48
Seruitus grauior morte. 360
Solemnitas verborum quibus diuortia antiquitus facta. 263
Specialiter tribui quæ dicantur. 426
Spe-

Specialiter verbi ſignificatio. 242
Stipulationes an mutentur & à quibus. 135.136
Stipulationes conuentionales quomodo interpretandæ, & quomodo prætoriæ. ibid.
Stipulationes prætoriç itemque iudiciales quando interponantur. 133
Stipulationes prætoriæ ex quo æſtimandæ. 136
Stipulationes ædilitiæ an iuriſdictione prætoris veniant. 128
an Stipulationes ædilitiæ olim & Tribunitiæ dictæ. 130
Stipulationum enumeratio quas prætor pro officio & poteſtate ſua interponi iubet. 133
ſub Stipulationibus prætoriis an etiam ædilitiæ contineantur. 129
Studioſorum priuilegia recenſentur. 395
Subdelegare vulgo quid. 246
Suffecti hodie qui dicantur. 218
Supplicia more maiorum ſumenda. 463
Suſpectus tutor quando remoueatur. 172
Syndici an iuriſdictionē habeant. 197

T.

TEmere litigantes tribus poſſunt coerceri modis. 48. & an hi modi mixti ſint imperii. 49
Territorium ſine iuriſdictione, & contra, eſſe poteſt. 399
extra Territorium ius dicenti impune non paretur. 15
Teſtatoris res quas poſſedit tantum vel detinuit in deſcriptionem inuentarii referendæ. 110
Teſtamenti inſinuationis & publicationis definitiones traduntur. 69
Teſtamento quiuis recte tutor datur, etiamſi non ſit eiuſdem ciuitatis. 161
Tormenta & verbera in cauſis ciuilibus quando adhibenda. 372
Tortura an ſit meri imperii ibid.
Torturæ ſubiici viles & ignobiles à quo magiſtratu poſſint. 373
Tranſactio de alimentis teſtamento relictis rata eſſe nō poteſt niſi prætore autore facta. 65
Tranſactio de alimentis relictis ex decreto prætoris fit. 152
Tranſigere de delicto cui liceat. 473
Tribuni plebis olim pauperibus ciuib. Romanis auxilium ferebant. 208
Tribuni plebis an ius olim dixerint, decretumque interpoſuerint. 185

Tribuni in ius vocare olim non poterant, prehendere poterant. 42
Tribunorum plebis quodnam olim fuerit officium 130.131
Tribunal magiſtratus municipales proprie non habẽt ſed de plano ſella poſita iudicant. 190
Tribunali præeſſe proprium eſt magiſtratus non legati, vel qui iuriſdictionem mandatam exerceat. 217
Tutor perſonę non rebus datur. 158
Tutor ſuſpectus factus remouetur à tutela. 178
Tutor ſuſpectus ſatiſdatione non liberatur. 181
Tutoris datio cui competat. 427
Tutoris dandi ius quibus olim conceſſum. 154
Tutoris datio quo iure magiſtratib. competat. 152. an ſit iuriſdictionis & cuius. 65
Tutori ſuſpecto quæ pœna infligenda. 170
Tutorem dare pertinet ad officium ius dicentis. 195
Tutorem dare nemo poteſt eum qui ei parere non cogitur. 163
Tutorem nemo dare poteſt niſi in loco vbi iuriſdictionem habeat. 159
Tutorem dare nemo poteſt niſi cui ſpecialiter id lege conceſſum. 165
Tutores inuiti coguntur eſſe tutores, niſi legitimis, de cauſis excuſentur. 163
Tutores dare an ad iuriſdictionem pertineat. 149
Tutores ſuſpecti apud quem accuſari poſſint. 176
à Tutela ob quid quis remoueatur. 179

V.

Verberum coercitio cui conceſſa. 285.371
Verberatio cui conceſſa. 285
Verberatio leuior mixti imperii. 17
Verbera an iuriſdictionis ſint itemque tormenta. 48
Veſtes Perſarum qui puniebantur, flagellati olim ſolitæ. 351
Vicarius Epiſcopi qualẽ habeat iuriſdictionem. 216
Vicarii ordinarii qui ſint. 215
Vicarii omnia quæ ſpecialiter præſidibus tributa ſunt conſequuntur. 243
Vicarii decretum interponere poſſunt ad alienandas minorum facultates. 255
Vicarii Cameratum Imperii an vice ſacra iudicare dicendi. 217
Vicarii qui in locum abſentis vel

vel mortui ſubrogantur quam habeāt poteſtatem & quis eorum vſus hodiernus. 218
Vicariorum genera tria. 214
Vicerector vniuerſitatis quā habeat iuriſdictionē. 218
Villæ non habent forum, nō magiſtratus, non leges vllas municipales. 209
Vinciri qui in publico eſt carcere debiti cauſa non debet. 47
Vrbanorum magiſtratuum à prouincialib. differentia. 303
in Vſucapione & odium & fauor verſatur. 114
Vſucapionis tempus legitimum quod nam ſit. 115
Vxore poſteriori ducta an diuortium cum ſuperiori videatur factum. 261
Vxores duas ſimul & eodem tempore habere non licet. ibid.

FINIS.

ANT 1319002

9784

Digitized by Google

Digitized by Google